GUIDI PANCIROLII

J. U. D.

PATRITII REGIENSIS

AC OLIM IN PATAVINO GYMNASIO

LECTORIS CELEBERRIMI

RERUM HISTORICARUM PATRIÆ SUÆ

LIBRI OCTO

REGII LEPIDI

UD JACOBUM MAGNANIUM EDITOREM.

GUIDI PANCIROLII

J. U. D.

PATRITII REGIENSIS

AC OLIM IN PATAVINO GYMNASIO

LECTORIS CELEBERRIMI

RERUM HISTORICARUM PATRIAE SUAE

LIBRI OCTO

REGII LEPIDI

APUD JACOBUM MAGNANIUM EDITOREM

MDCCCXLVII.

MUTINAE, EX TYPIS R. D. MENSAE

JOAN. BAPTISTAE SPALLETTIO

V. C.

IACOBUS MAGNANIUS

Quum consilium inissem libros evulgare, quibus GUIDO PANCIROLIUS, *civis noster juris disciplina doctissimus idemque eruditione varia ornatissimus, historiam rerum Regiensium est complexus, nec saepe nec diu mecum ipsi cogitandum fuit, cujus honori et meritis eos potissimum dicarem. Nam tu statim occurristi, Vir Clarissime, qui caritatis in patriam ac munificentiae piae exemplar calamitosorum hominum vindex, fautorque artium bonarum et egregii cujusque facinoris auspex, digna profecto agis, quae, si quis Pancirolii opus in haec tempora deducendum susciperet, posteris imitanda proderentur; eoque magis, quo tu studiosius, gloriae contemptor et ab omni levitate alienus, tua recte facta luce atque oculis civium prohibere contendis. Accedit*

huc, quod mihi non semel maximis tuis beneficiis affecto, erat occasio arripienda, qua studii mei grataeque voluntatis testimonium darem.

Habe igitur, tibi hoc, qualecumque demum est, memoris animi pignus; nec sine delectatione majorum nostrorum virtutes recognosce, eorumque aemulator perge semper, ut facis, dignitatem et decus civitatis sustinere, deque patria et omnibus bene mereri.

GUIDI PANCIROLI

AD CIVES SUOS REGIENSES

PRAEFATIO.

Praeclara multorum illustrium virorum, gentiumque facta, optimi Cives, duabus potissimum de causis diu sepulta jacuisse comperio; vel quod, nescio quo misero fato, nullos rerum gestarum scriptores habuere, vel quod si aliqua nonnunquam eorum monumenta extitere, saevis externorum hostium incursionibus, aut luctuosis intestinarum seditionum injuriis, deleta fuerunt. Hanc cladem, etsi omnes fere orbis regiones non semel senserint, nulla tamen terrarum pars crebrius, acerbiusve, quam Italia pertulit; quae, Romanorum cadente imperio, velut insignis scopus, saevis barbarorum telis semper exposita, non modo aliquod scribendi otium non habuit, sed, si qua litteris mandata erant, non paucis urbibus funditus eversis, miserabiliter amisit. Caeterae, quae Dei benignitate hostium furori superfuerunt, civitates domesticis et ipsae discordiis ad exitialem insaniam usque exagitatae ferro, igneque se se crudeliter consumpserunt. Ita factum est, ut nullis, aut

paucis earum annalibus extantibus, omnem rerum gestarum memoriam amiserint. Inter alios autem oppressos populos praecipue lugenda Regiensium calamitas fuit, qui Gallorum in primis potentia subacti, deinde Romanorum armis deleti, tamdiu jacuere, donec a M. Æmilio Lepido Cons. cujus nomen etiam nunc retinent, colonia isthuc deducta, restituti fuere. Verum non multo post subortis civilibus bellis, saepius vexati, diversisque imperantium factionibus attriti, tandem in Erulorum, ac Gothorum, mox Graecorum principum potestatem pervenere. Cum vero Longobardi a Narsete acciti cum tota Gallia Togata etiam nostram patriam diu subditam tenuissent, ea postea a Germanis occupata fuit: quorum jugo vicinarum civitatum conspiratione feliciter excusso, cum jucundam libertatem acquisivisset, quo tempore paullulum oculos attollere, et aliquantulum respirare debuisset, intestinis seditionibus misere lacerata ac pene extincta, rursus principum Italorum imperio se subiecit. Interea crebris Gallorum, Hispanorum, aliarumque gentium irruptionibus fatigata vix unquam quiescendi aliquod spatium invenit. His malis effectum est, ut nullis vetustarum rerum Regii extantibus monumentis, etiam qui posterioris aetatis gesta scriberent vix reperiri potuerint. Primus quidem Sagatius Mutus cognomento Gazadius non pauca suorum temporum usque ad annum humanae salutis MCCCLIII, quo jam nonagenarius oculos amisit, non penitus inutili historia composuit; quam postea Petrus ejus nepos, insigni relligione, ac doctrina Monachus, continua aliquot annorum serie est prosecutus. Sed uterque dum,

omissis rerum initiis, concisa narratione, quae latius explicanda erant breviter perstringit, multorum legentibus desiderium reliquit. Alii vero, quae novissime contigerunt, plenius quidem exposuerunt, sed aliquot dumtaxat dierum facta complexi, paucorum notitiam tradiderunt. Itaque non solum verus nostrae urbis natalis hucusque est ignoratus, sed etiam caetera vetustiora tempora usque ad Fridericum Ænobarbum obscurissima permansere. Cumque complures in prima ejus exquirenda origine enixe laboraverint, in re penitus incerta, quod quisque vel levi conjectura, soloque inditio suspicatus esset, id pro certo, exploratoque posuit. Qui apud Trogum, et Livium annis ante Virginis partum sexcentis et duo de triginta a Celtis Mediolanum, Novum Comum, Brixiam, Bergomum, et Veronam urbes, Belloveso duce, Thuscis antiquis sedibus expulsis, conditas fuisse legerunt, ab iisdem Regium quoque aedificatum fuisse opinantur. Alii a Brenno, qui annis post Bellovesum ducentis apud Alliam fluvium Romanorum fuso exercitu, etiam urbem, excepto Capitolio, cepit, nostram civitatem originem trahere contendunt, antiquissimique apud nos lapidis, in quo, quamvis exesis vetustate litteris, Brenni tamen usque adhuc nomen scriptum apparet, testimonio moventur. Praeterea portam, quamque hodie, sicut rerum vicissitudine omnia mutantur, obstructam, etiamnum ejusdem Brennonis nomen retinentem, ad fidem dicti comprobandam citant. Plurimi vero nos a Romanis ortos ob id solum fuisse crediderunt, quod *Regium Lepidi* vocari de claris scriptoribus didicerunt, quem non primum

nostrae civitatis auctorem, sed restitutorem fuisse suo loco apertius demonstrabo. Quae autem post urbem conditam per multa saecula a majoribus nostris gesta sunt, ut penitus abstrusa, nullus unquam eruere ausus fuit. Ego in tanta opinionum varietate, et obscuritate temporum, etsi institutum opus ad exitum perduci posse non semel animum despondi, ut meam tamen singularem erga vos benevolentiam declararem, quo difficilius res vestras scribendi negotium videbatur, eo audacius mihi tentandum esse existimavi. Cum enim in Jure civili docendo Patavii occupatus, non magno me vobis usui futurum animadverterem, aliquo facto meam in patriam pietatem testatam relinquere cupiebam, ad id me etiam accendebat praeclarum Alberti parentis mei exemplum, qui cum in conservandis, augendisque rebus vestris omne suum studium, operam, ac totam denique vitam indefessus posuerit, ab eo non mediocriter degenerasse visus essem, si nulla patriae meae navata opera, segniter decessissem. Statui itaque quidquid ex veterum historiis, et nostris, ac vicinarum urbium annalibus undique conquisitis, de rebus gestis civitatis nostrae eruere potui, id totum ad ipsius gloriam illustrandam actaque explicanda proferre. Hoc quidem mihi aliis continuis negotiis detento difficillimum opus fuit, sed dum subsecivas horas in hoc omnes impendo, divino favente Numine, aliquid me effecisse confido; qui tametsi non universam ab ovo, quod ajunt, ad mala, Regii historiam contexuero, plura tamen, aut certe quidquid, pro ingenii mei tenuitate, inveniri potuit, prima origine repetita, ordine explicabo: maximumque

tunc benefitium me assecutum esse arbitrabor, si aliquam, ut Trasybulus dicebat, pro multis quas Patriae debeo, gratiam retulisse videbor. Primum igitur, qui ante jacta urbis nostrae fundamenta eam terram incoluerint, exponemus; tum ipsius primordiis indicatis quaecumque ad hanc diem de Regiensium rebus nosse potuimus ex historica fide integra referentur. Verum in prima nostrae urbis aetate exponenda, ut in re vetustissima quae vix ad hujus saeculi hominum notitiam pervenit, pauca, nec fere nisi toti provinciae communia narrari poterunt. In quo geographos imitabor, qui in longinquis, nec plane cognitis regionibus describendis, cum locorum particulas vel situs exacte exprimere nequeant, quae sola norunt, longa littora, aut cum montibus planitiem referunt. Ita mihi nostrae civitatis primordia, quorum vix aliqua extat memoria, rudius erunt adumbranda. Sequentem vero aetatem, ut notiorem, vetustis annalibus semper inhaerens cum suis partibus, veris, quoad ejus fieri poterit, coloribus expressam integre depingam. Opus igitur liberali animo vobis oblatum benigne suscipite, ut majorum originem, gesta, ac vos denique ipsos, velut vestra imagine in speculo inspecta, cognoscatis. Valete.

Patavii XVII *Kal. Febr.* MDLX.

GUIDI PANCIROLI

RERUM REGIENSIUM

LIBER PRIMUS

Vetustissima origo, et potentia Hetruscorum, qui, priusquam in immensum Romanorum vires crescerent, imperio, opibusque florentes, pluribus in omnes finitimas regiones coloniis deductis, nostram regionem incoluisse, ac demum Regium condidisse creduntur, ante omnia altius est repetenda. Hi ab Jano, Japheti filio, Noe nepote, orti esse feruntur, qui annis post ingens diluvium ducentis sexaginta, jam aucto genere humano, ex Armenia, ubi animantium conservatrix Arca supra Gordianum montem consederat, cum pluribus suorum in Italiam navigavit, Tyberimque ingressus, duodecim urbibus conditis, totamque usque ad Arnum Hetruriam primus occupavit. Denique ob astrorum, atque aliarum, quas docuit, artium peritiam, velut praeterita, futuraque prospiceret, Bifrons effictus summos honores promeruit. Ac inter alia, quae adhuc extant, ejus monumenta asses aereos nummos ab una parte Janum geminum, ab altera rostrum navis habentes spectamus: quo magno vetustatis argumento ipse

ad Italiam primus appulisse significatur. Cum vero ad DCCCCL aetatis annum pervenisset, qui fuit post diluvium CCCL, moriens Crano filio, quem postremum genuerat, Italiae imperium reliquit. Is Coritus vocatus, quo nomine prisca lingua regem appellabant, cum quinquaginta octo annos imperasset, et ipse Aurunum filium coritum creat, qui anno regni circiter vigesimo ex Armeniis Griphoniis in Italiam navigantibus suam adhuc exiguam gentem plurimum adauxit. Ausoni quoque non multo post ad Hetruscum littus appellenti orientalem Italiae plagam, quae ab eo Ausonia est appellata, benigne concessit. Ea est pars, quam nunc Calabriam, et Apuliam nominant. Auruno cum annis quadraginta quinque regnasset, Malotos Tageti filius in regno succedens, anno post sceptrum susceptum secundo, Phaetontem ad se cum multitudine venientem, caeteris jam Italiae regionibus occupatis, in Liguriam, et nostros agros transmisit. Tum rudes populi colendis potius agris unde viverent, quam luxui intenti, nondum lapideos muros aut aliam nobilium aedificiorum magnificentiam noverant; sed humilibus tectis, quae ex arida stipula componebant, contenti, agrestem vitam degebant. Cum igitur circa sinuosas Eridani ripas ob opportunum fluentis usum, et ad loca Istris proxima late se extendissent, continuis mapalibus ex arundine erectis forte evenit, ut orto incendio, et igne in proximas casas se effundente, multis diebus tota regio conflagraverit; inde postea universus ille tractus Palensana, idest regio combusta, sua lingua a Janigenis est nominata. Hinc nata fabula, Phaetontem, impetratis a sole equis, regendi currus imperitum coelesti igne terram exussisse, et ob temerarium ausum a Jove ictum fulmine in Padum cecidisse. Primus ergo loca agro nostro finitima, anno post diluvium CCCCLV Phaeton tenuit.

Post eum Sicano, Malotis filio, Hetruscis imperante, Ligur Phaetontis filius ex Liguria Cydnum et Eridanum a quo postea Padus est appellatus nostras regiones occupaturos cis alpes misit, qui latius effusi etiam caetera usque ad Istriam loca tennerunt.

Creverant interim nonnulli vasti corporis viri, gigantes appellati, qui robore caeteris praestantes in Macedonia et Palensana, quae postea Gallia Cisalpina fuit, saevam tyrannidem latrociniaque crudeliter exercebant. Horum plurimos cum Osiris ex Rhea et Camesene Libiae Principe genitus occidisset, eo egregio facto maximum apud omnes populos nomen consecutus, ad Istriam cum plerisque colonis, et ingenti gloria pervenit. Id ubi ad Palensanos nostram regionem incolentes perlatum est, virum ad expellendos gygantes, regno pro mercede promisso, vocant, qui fortissimis stipatis sociis cum ad opem oppressis ferendam venisset, atroci praelio fusis tyrannis totam Italiam pacato imperio obtinuit; ac, cum decem annos feliciter regnavisset, Laestrygonem gygantem ex filio Neptuno susceptum nepotem Janigenis, anno post diluvium circiter DLX regem reliquit. Ipse in Ægyptum profectus, quae per universum fere terrarum orbem inclyta fama gesserat, ut aeternam ad posteros memoriam transmitteret, in columna ambitiosius descripsit. Sed postea a Typhone fratre dolo peremptus, filium Herculem Lybicum, non imperii modo, sed etiam propriae virtutis haeredem reliquit; qui cum plures tyrannos varias provincias affligentes pari felicitate domuisset, etiam ad liberandam Italiam a Laestrygonis liberis impotenti tyrannide oppressam conversus, eos per continuum decennium bello attritos delevit. Ibi cum annis viginti pacate regnavisset, ad Celtiberos discessurus, Thuscum, unde

Thusci nomen traxerunt, ex Araxa susceptum filium regem Hetruriae constituit. Thusco Hesperus filius succedens, Italiam a se Hesperiam nominavit, qui cum annis IX imperasset, a fratre Cytim, quem sua lingua Janigenae Atlantem Italum vocabant, ex Sicilia, vel ut alii malunt Celtiberia in Hetruriam veniente (1), expulsus regno cessit. Italus fraterna ditione potitus, ut cum novo principatu omnia commutaret, antiquis cognominibus extinctis, universam regionem a se, quod nomen hodie quoque retinet, Italiam nuncupavit, quam alii remotiores populi ab antiquo ejus nomine Cytim terram dixerunt. Italo naturae ordine Morges filius, postea Jasius successerunt, qui omnes priscorum Hetruscorum lingua *Coriti*, hoc est reges sunt appellati. Sed ut dominandi libido raram quoque fratrum gratiam efficit, intestina lite pro regno inter Jasium et Dardanum exorta, cum diu concoctum odium Dardanus amplius ferre non posset, Jasium dolo interceptum occidit. Ejus filius Coribantus, ut patris caedem vindicaret, populo ob parricidium ad arma vocato, adhuc sanguine madentem patruum in Sarmatiam, nunc Poloniam dictam, omni regnandi spe relicta, fugere compulit. Ibi cum diu latuisset, demum in Asiam transiens ab Aty agri Maeonii parte donatus, regnum Trojanum condidit. Sed cum parva, et tunc sterilis provincia exuberantem multitudinem alere non posset (2), alterque ex duobus Atydis liberis, aut Lydus aut Tyrrhenus ad novas sedes quaerendas egredi cogeretur, Tyrrheno sorte exeundi necessitas obtigit; Dardanus, vel ut acceptum benefitium rependeret, vel ut fratris filium aliquo modo ulcisceretur, Italiae juribus hospiti

(1) Beros lib. 5 et Fabius Pictor lib. 1.

(2) Erod. lib. 1.

condonatis, ipsum ad opulentam terram occupandam hortatur. Nec felix votis exitus defuit. Cum enim ad Italicum littus appulisset, tamquam Herculis nepos a Coribanto, qui postea cum uxore Cybele in Phrygiam navigavit, Hetruriam obtinuit, et Tyrrhenam a se regionem nominavit. Universa haec gens a rege Tyrrheno primo Tyrrheni, postea a sacrifico ritu, Graecorum lingua qui θύσαι sacrificare dicunt, Thusci sunt cognominati (1). Vanae enim idolorum superstitioni praeter alios populos dediti, etiam in Deorum honorem spectacula invenerunt, unde et a Lydis Ludos dictos fuisse in libro de spectaculis gravissimus apud Christianos auctor Tertullianus affirmat. Iidem pyraticam diu exercuerunt, et ob maris imperium, quod sibi vendicarunt, delphini appellati, postea Graecis hominibus fabulandi occasionem dederunt, qui eos in delphinos versos navibus alludere et antiquam (2) cum hominibus societatem retinuisse finxerunt. Tantum denique opibus, et populorum multitudine excreverunt, ut ante Romanorum ortum ab infero mari ad superum, quibus Italia peninsulae modo cingitur, ditionem late extenderint. Ac prius in Hetruria duodecim opulentissimis urbibus constitutis, cum affluentem multitudinem angusta regio capere non posset, cis Apenninum totidem coloniis cum gentis cujusque Capitibus ad nos missis, excepto Venetorum angulo, qui sinum maris incolunt, omnia loca usque ad Alpes tenuere (3). Cujus rei, praeter clarissimos Auctores, etiam nomina magnum praebent argumentum; cum mare inferum communi gentis vocabulo Thuscum,

(1) Plin. lib. 3 c 5.
(2) Mars. Lesb. lib. De orig. Ital.
(3) Polib. lib. 3. Hist.

superum vero Adriaticum ab Adria Tuscorum colonia eo missa, fuerit appellatum (1). Ante alios, qui ex his cis Alpes in eam regionem, quae nunc est Longobardia, diversas sub variis ducibus colonias deduxerunt, Bonus Bononiam, et Verunus Veronam urbem condidit. Post eos Regius, et ipse suae coloniae dux Apenninum transgressus oppidum a se Regium vocatum aedificavit. Sed an haec nostra sit civitas nonnulli maxime dubitant, cum hujus rei auctor Portius Cato loca aperte non demonstrans tantum Regios apud Alpes a Regio duce descendere memoret (2), nec clare quam gentem significet exprimat. Aliquae tamen non desunt conjecturae, a quibus Regium primum Regiensium auctorem fuisse non absurde credi potest; cum Livius, ac caeteri nobiles historiographi Galliae Cisalpinae municipia primum a Thuscis condita fuisse consentiant. Quod vero de alia ejusdem nominis urbe in Calabria posita Catonem sensisse quidam arbitrantur, falsum est. Siquidem quo tempore Sicilia, quae olim cum reliqua Italia conjuncta fuisse fertur, maris impetu a Calabria est dirempta, illi *Rhegio* ab abscissione Graecum nomen impositum fuit (3). His accedit, quod cum sub Alpibus Italiae Regium ducem consedisse Cato referat non de alio in extrema Italiae ora sito, et ab Alpibus remotissimo, sed potius de nostro non ita longe ab illis distante dixisse credendum est. Deinde cum Veronensi, Comensi et aliis propinquioribus Regii coloniam recenseat, ut minime verisimile sit, his Catonem remotissimos Rheginos annumerare voluisse. Cum vero ad novam nostrae

(1) Liv. lib. 5, Dec. 1.
(2) De Orig. Ital. lib. 7, Hist. 1.
(3) Justin. lib. 4, in p. et Plin. lib. 3, c. 8.

urbis ponendam sedem cum Thuscis Regius veniret, non sine ratione a quibusdam hanc viam tenuisse existimatur.

In snmmo Apennini jngo, ubi mons Letus, nunc s. Peregrini dictus, extollitur, non amplius dnorum stadiorum planities iacet, quam Pratum Rheni vulgus appellat. Ibi duorum fluviorum fontes scaturiunt, quorum alter per Hetruriam ad portum Via-egium in mare Tyrrhenum cursum dirigit, Auser ab ant'quis, ut Blondus opinatur (1), nunc Sergius vocatus; alter ad nos primo in occidentem, deinde in septentrionem conversus olim Gabellus, nunc *Situla* dictus, descendit. Secundum Auseris ripas ad Apenninum Thusci ascendentes, Gabello trajecto, in agrum nostrum descendisse dicuntur. Portusque Viaregius, ubi Auser Tyrrhenum mare influit, ad horum confirmandam opinionem non omnino absurdum argumentum suppeditat. Nam unde Regius discedens viam incepit, Viaregium locum appellatum fuisse putant; quamvis portum illum corrupto vocabulo Viregium antea vocatum fuisse Blondus existimet (2); adduntque in medio itinere Regium in loco, quem etiamnum Campum Regianum in Carphiniana valle nominant, in quam partem se verteret diu dcliberabundum constitisse, ac postea in agrum nostrum iter direxisse. Quo vero tempore id acciderit, nullus est qui prorsus affirmare audeat. Si Virgilium sequamur, ante Trojae ruinam Thuscos Alpes transmisisse dicendum erit, cum is (3) Ocnum Hetruscum Mantuae conditorem, et proximarum gentium principem Æneae Trojano adversus Latinum regem auxilium tulisse fingat. Sed quamquam maximum

(1) Ital. Illustrat. lib. 1, in 2 reg.
(2) Ibidem.
(3) Lib. 10 Eneid.

antiquitatis auctorem fuisse Virgilium non ignoro, non tantum ei in omnibus tribuo, ut ipsum poetam fuisse non meminerim. Leonardus vero Aretinus in quadam ad Jo. Franciscum Gonzagam epistola, annis ante Romam conditam trecentis, et natum Christum millesimo qninquagesimo primo Mantuam conditam fuisse autumat, quo tempore Thuscis certatim cis Alpes confluentibus etiam Regium aedificatum fuisse credi potest. Qui ante cis Alpes venerunt populi agrestium more pagis passim constructis, nulloque munito oppido ad arcendam injuriam aedificato, degebant. At Tyrrheni novis urbibus earum instar, quas in Hetruria opulentissimas incolebant, conditis, cultiorem vitam agentes, etiam incolas ad mitiorem vivendi rationem traduxerunt. Siquidem latis legibus, magistratibusque ad continendos in offitio homines institutis, humiliores a potentium injuria protegi voluerunt. Ac quantam quisque gentis dux regionem cum novo populo occupavisset, desertis tum cultoribus terris, tantam imperio suo subjiciebat. Porro colòniae, etsi ut latiorem agrum caperent in plures pagos, vel oppida dividebantur, uni tamen principi, tamquam regi, paruisse videntur. Sunt qui Ocnum Bianorum, quem Virgilius poetica fictione veritatem inumbrans Tyberis et Mantus fatidicae filium fuisse dicit, Mantua condita, a Parma torrente ad Scultennam universae regioni, quae tum ab eo Bianora dicebatur, late imperavisse existimant, et ei Regium urbis nostrae Praefectum obtemperavisse: ac sicut duodecim populorum Lucumones, idest Praefecti, in Hetruria uni summo parebant regi, idem cis Alpes, ubi omnia ad vetustarum Tyrrhenarum urbium exemplum regebantur, observatum fuisse memorant. Postea vero Felsina, quae nunc Bononia dicitur, Cisalpinorum Hetruscorum princeps facta universae regioni nostrae

imperavit [1]. Caeterum sub Hetruscornm Lucnmonibus, hoc est Praefectis, et regibus Thuscis, tamdiu Tyrrheni vixerunt, donec repentino Gallornm adventu patrio solo expulsi, novas sibi sedes qnaerere coacti fuere. Primi anno ante salutem Christianam circiter sexcentesimo, Romae Tarquinio Prisco regnante, Bituriges, Arverni, atque alii Celtarum populi, Alpibus superatis, in Italiam, ut Livius[2] prodit, ob hanc causam descenderunt. Celtis, quae Galliae tertia pars fuit, ex Biturigibus Ambigatus virtute et fortuna potens imperabat, qui cum immensam multitudinem hominum regere non posset, turba praegravante regnum exonerare cupiens, Bellovesnm, et Sigovesum cnm magnis equitum peditnmque copiis ad novas sedes quaerendas mittit. Sigoveso sorte Hercyneis saltibus datis, Belovesus Julias transgressus Alpes, a nemine adhnc, nisi forte ab Hercule, si fabulis credimus [3], superatas, in Taurinos descendit, Thuscisque haud procul Ticino flumine fusis, qui Doriam tenebant, agrum cuidam Heduorum pago Insubri dicto cognominem esse andivit, et Insubrem vocari. Omen secuti Galli, urbe Mediolano condita, ibi consedere. Sed aliam eorum adventus cansam in Italiam, quam nec Livius improbat, Plutarchus [4] tradit. Arnus Tyrrhenus vitae splendore et natura praestantissimus, nobilissimi pueri, qui Lucumo vocabatur, in Doria apud Insubres tutelam gesserat. Pupillus a prima pueritia apud tutorem educatus, cum adolevisset, domestica consuetudine irretitus, Aruntis uxorem flagrantissime deperiit: demum

---

(1) Plin. lib. 3, c. 4. In post. Cat. orig. lib. Cajus Sempr. de Ducib. Ital.
(2) Lib. 5, Decad. 1.
(3) Just. lib. 24.
(4) In Camillo.

amoris impatiens mulierem speciosissima sui forma captam abduxit. Maritus gravem ab impudico juvene illatam injuriam ulturus, Lucumonem in jus vocat, qui gratia et opibus apud judices potens absolvitur. Aruns injusta sententia commotus, simulque ob facti atrocitatem ira accensus, ad Gallos cis Alpes deducendos, in Gallias contendit, quos, ut ad pellendos Italia Tyrrhenos facilius invitaret, generosissima vina, quae secum ex Italia attulerat, primum eis degustanda proposuit. Galli qui, vitibus nondum trans Alpes allatis, usque ad ea tempora aquae potu usi fuerant, novi liquoris dulcedine illecti, et Aruntis beatam sedem promittentis amplissimis verbis impulsi, regionem, ubi omnium rerum et Bacchi copiam haberent, petere constituunt. Nec mora, uno consensu Alpibus superatis, primo Insubriam, mox alias proximas terras ingressi, duo de viginti, quae tum ad eum numerum excreverant, opulentissimas Tyrrhenorum urbes, easque celeberrimas, omnia Ariminum usque occupantes ceperunt. Ita Thuscorum iniquitas, et impuniti adulterii facinus divina ultione acerbius vindicatum fuit. Plinius (1) vero Eliconem quemdam ex Helvetiis civem fabrilem artem Romae exercuisse, et in patriam remeantem, ficum siccam, uvam, oleum, ac vinum secum domum retulisse scribit; quae cum Galli primo admirarentur, mox summopere optarent, Alpibus coercitam, et inextricabili munimento septam Italiam invaserunt. Caeterum prima Gallorum origo ex Scythia Armenica provenire dicitur. Nam cum auctis gentibus ob exuberantem multitudinem simul habitare plurimi non possent, eorum pars, Riphaeis montibus superatis, ad paludem Maeotidem, nunc Zabaccam vocatam, uni-

(1) Lib. 12, cap. 1.

versa loca tenuit; alii longius progressi inter montes Pyreneos et Alpes nostras, provinciam Galliam dictam occupaverunt (1). Nonnulli Comerum (2) Gallum primo in Italiam venisse, mox Alpes trangressum, provinciam, ubi sedem posuit, a se Galliam vocavisse scribunt. Sed utcumque haec se se habeant, constat primum ex Gallis Bellovesum anno post Romam conditam circiter CLX, et ante salutem humanam ferme DC, et C quam a Gallis Roma caperetur, pulsis Thuscis, Mediolanum, Comum, et Bergomum in Insubria tenuisse (3). Alia deinde manus ab eodem Belloveso accersita, Elicovio duce, ubi nunc Brixia et Verona opulentissimae urbes florent, loca occupavit. Hos Saluvii, qui Salutiorum oppido nomen dederunt, sunt secuti. Lingones denique et Boii vicinorum exemplo, et ipsi montium juga transcendentes, antiquis Regiensium et Felsinae Thuscis colonis ejectis, nostrum agrum tenuerunt. Id ex aliorum, et Livii (4) verbis apertissime depraehenditur, qui Mutinae et Parmae praedia ante Thuscorum, postea Boiorum fuisse scribunt. Quin et villa hodie apud nos a Boiorum nomine (si tam vetustae originis monumenta extare credendum est) sub Scandiani oppido Boionum appellata, antiquae gentis memoriam conservare dicitur. Tanta eorum fuit multitudo, ut a Laude Pompeja, quam ipsi etiam condiderunt, usque in Urbinates, auctoribus Catone, et Plinio (5), per centum et duodecim tribus, sive hae urbes, sive clariora oppida fuerint, late diffunderentur. Primo adventu cum indigenis

(1) Plin. ubi sup.
(2) Beros. ubi sup.
(3) Plin. lib. 3, cap. 6.
(4) Lib. 5, Decad.
(5) Plin. lib. 3, cap. 12 et 15.

novos hospites non recipientibus pugnare compulsi, a Bianora et Felsina, proximisque regionibus Tyrrhenis expulsis, etiam Umbros, quorum trecenta antea oppida Thusci expugnaverant (1), prospera fortuna ejecere; quamquam non exignum snbactornm Tyrrhenorum numerum apud se Gallos retinuisse Polybius memoret (2). His regionibns a Gallis occupatis cum gente etiam vetusta provinciarum nomina sunt immutata. Antiquato enim Doriae, Bianorae et Felsinae vocabulo, universa provincia ab Alpibus usque ad Rubiconem vetustum Italiae limitem Gallia Cisalpina a nova Gallorum gente est appellata. Eadem postea etiam togata, qnod hi populi Romanorum more civili toga in pace uterentnr, vocata fuit. Novo imperio potitos Gallos, clarioribns locis ducibus datis, Thuscorem more, regem snpremum sibi constituisse tradunt. Caeterum, cum diu Galliam Cisalpinam Boii tenuissent, ducentis post annis quam in Italiam Bellovesus venerat, sub Brennone duce alia trecenta Senonum Gallorum millia, Alpibus superatis, in nostras regiones descenderunt, qui primis conjuncti, omnia ab Athesi usque ad Ufentem flnvium loca occupaverunt (3). Hi, cum exuberante multitudine patrio solo non continerentur, ad novas sedes quaerendas cum numerosa gente domo profecti fuisse feruntur. Ex quibus centum millia in Italia considentia, postea Roma capta, et incensa Capitolium obsidernnt, oppidumque Senogalliam, quasi Senonum Galliam ad hodiernum diem vocatum, condiderunt. Alii et ipsi ad centum millia Graeciam ingressi ad Parnassum

(1) Plin. lib. 3, cap. 14.
(2) Lib. 2. Hist.
(3) Liv. lib. 15, Decad. 1.

montem, ubi Delphici Apollinis templum erat, misere sunt trucidati, eorumque dnx Brennus graviter sauciatus pugione transfosso pectore infelici exitu vitam finivit (1). Reliqui a Bithiniae rege vocati, et in proxima regione locati eam a se Gallograeciam mox Galatiam dixerunt. Praeter eum qui a Graecis profligatns est, alius Brennus regulus genere Britannns, et Dumualli regis filius, cnm a Bellino fratre domestica ob regnum discordia dissentiret, maternis precibus fratri reconciliatus, in Galliam, stipendia facturus, trajecit; postea gentis caput creatus, in Italiam venit et Romae Cspitolio obsesso, a Camillo ad ultimum excidium est profligatus. Sed alii huno apud Allobroges, et cisalpinos Gallos diu consedisse, ab hisqne in honorem habitum fuisse narrant. Nec desunt qui eum Regii sedem habuisse, aut saltem aliquandiu in nostra urbe fuisse affirment, cum unius Brenni Regii portam apertam fuisse antiquum marmor testetur, et porta etiam ipsa, quae hodie quoque Brennonis vocatur, hujus rei fidem facere videatur. Ea nunc, ut quotidie in nova vetusta mntari solent, obturata non apparet; priscae tamen formae faciem, et arcum, antequam ab Hercule secundo Atestino urbs muniretur, et ipse vidi, et plnres adhuc meminernnt, marmor in fronte stabat, quod vetustate exesis litteris quae vix legi poterant, Brenno Duce portam illam conditam fuisse continebat. Sed quis ille Brennus fuerit non apud omnes plane constat. Ponticns Britannum eum fuisse, quam alium credere mavult, a quo Regium dirutum, et postea restitutum fuisse cujusdam orationis funebris in Helisabetham Vicedominam habitae testimonio affirmat. Sed ego apud vetustissimos annales a Brennone tertio Saxonum rege, qui cum Odoacre

(1) Just. lib. 24. et Paul. Diac. lib. 2. de gentib. Longobardis.

Erulorum rege, post annum salutis quadragentesimum sexagesimum in Italiam venit, portam illam dictam fuisse legi, prout hanc infra difusius suo loco historiam prosequar.

Sed ut ad Boios nostra regione potitos revertar, maenibus tunc temporis omnes Galliae Cisalpinae urbes carebant, ut in V Geographiae libro Strabo, et Polybius in II scriptum reliquerunt, qui Mediolanum Insubrium metropolim, aliarum Gallicarum urbium instar, quae sine muris erant, villae formam habuisse memorant: unde munitiores portas, quibus propugnaculorum vice uterentur, ad vim propellendam Galli extruere cogebantur. Iidem apparatuum omnium penitus expertes, humi super strato gramine dormiebant. Plurimum carnibus vescentes, bellicas solummodo res atque agriculturam exercere, nullas omnino litteras eas scivisse aut vidisse, nisi quas Graeci advenae pro miraculo habiti vel pauculas ostendissent. Nullis scientiis, aut certis artibns operam dantes, divitias in auro et pecudibus habere, quod haec sola alio migrare coacti, quocumque liberet facile transferre possent. Amicitiis vero comparandis ingens quisque studium adhibebat, quippe quanto plures quis asseclas post se trahebat, tanto apud eos potentior existimabatur. Praeclaro corporis habitu exculti, torquibus aureis sagulisque ruffis (1), et auro virgatis praesertim pugnantes utebantur; unde magnus tunc temporis Gallorum splendor, caeteris in Italia populis adhuc sordentibus, fuisse dignoscitur: ensibus quoque longis et gravibus, sed obtusa cuspide utebantur (2). Clypeos item longos gerebant, qualibus Romani curvis instar tegularum, longitudinis quatuor pedum, et latitu-

(1) Martial. Epig. 17, lib. 14.
(2) Polib. ubi sup.

dinis duorum et semis utebantur. Porro grandia horum scuta fuisse etiam inde conjicitur, quod Octaviano Caesare apud Myconium montem sine tentorio ullo pernoctante, cum autumnali tempore ingens exortus imber fuisset, scutum [1] Gallicum supra eum tota nocte armigeri tenuere. Unde caeteris illud clypei genus grandius fuisse deprehenditur. Plurimus vero tum in Regiensibus ager sub Boiis sylvis obsitus, et incultus fuit; quod et aliorum, et Livii testimonio comprobatur, qui ob colonias Cremonam, et Placentiam missas a Boiis Mutinam confugentibus Lucii Manlii Praetoris exercitum in sylvis inviis, quae circa viam erant, plerisque tunc ibi squallentibus locis, caesum fuisse scribit [2]: et alibi deviarum sylvarum, quae nostris in locis frequentes erant, saepius meminit. Nos hodie quoque latissimam villam a vetustis illis, densisque nemoribus nomen retinentem habemus. Caeterum sub Boiorum imperio plurimis annis cum proximis regionibus Regienses fuerunt, donec ipsis saepius praelio victis, et tandem subactis universa Italia Romani sunt potiti. Anno enim ab urbe condita trecentesimo sexagesimo quinto, quo urbem captam Galli victores incenderunt, a L. Furio Camillo primum fusi, iterum in agro Albano post annos unum et viginti, vel, ut Polybius [3] mavult, triginta, quam urbs capta fuerat, eodem Dictatore, profligati fuere. Rursus quinquennio post a T. Quinctio Poeno Dictatore ad quartum ab urbe lapidem in via Salaria prope Anienem fluvium, ubi T. Manlius, Gallo singulari certamine interfecto, et torque spoliato, Torquati nomen meruit, sunt

---

(1) Appian. lib. 5 de Bell. Gall.

(2) Lib. 4, dec. 3.

(3) Ubi supra.

superati. Mox sequenti anno non procul a Porta Collina a Q. Servilio Hala, deinde a C. Sulpitio Dictatore cruento praelio caesi [1], tandem pace cum Romanis inita, intra suos fines diu se continuerunt. Interea intestinis praeliis afflicti, cum Subalpinis vicinorum gloriae et opibus invidentibus, nonnullis factis incursionibus, conflixerunt. Denique omnibus, qui luctuosum cum Romanis bellum experti fuerant, jam defunctis, aut aetate ingravescentibus, insana succedens juventus in vetustos paterni nominis hostes bellicam virtutem ostendere gestiebat: sed ut majoribus aucti copiis, certiorem victoriam haberent, prius cognatos suae gentis populos, quibuscum praeliabantur, sibi adiungendos esse censuerunt, quos Boii simul et Senones tandem precibus victos, opimisque muneribus placatos, communia arma in populum Romanum convertere compulerunt. Anno igitur ab urbe condita quadrigentesimo quarto, et ejectis Regibus centesimo sexagesimo, plurimis sociorum copiis sibi adscitis, repentinam in agrum Romanum incursionem faciunt. Praeda ingenti facta, domum reversi, dum, orta in bonorum divisione discordia, altercantur, primum a M. Popilio Lenate Consule caesi, [2] deinde a L. Furio Camillo Consule in Pontino agro profligati, et imperii parte privati fuere [3]. Boii cum Senones propriis finibus expulsos viderent, eamdem et ipsi vim veriti, coacto exercitu Tyrrhenisqne omnibus in subsidium vocatis, Romanis bellum inferunt, quibuscum (anno ab urbe condita quadrigentesimo septuagesimo quinto, qui fuit post Pyrrhi in Italiam transitum tertius, et quintus post cladem, quam apud

(1) Liv. lib. 7, decade 1.
(2) Polib. ubi supra.
(3) Liv. lib. 7, dec. 1.

Delphos alios Gallos accepisse supra memoravi) commisso praelio, magnaque Tyrrhenorum parte caesa et ipsi fere omnes sunt trucidati. Hac ingenti clade accepta, cum se funesto certamine attritos esse cernerent, pacem cum Romanis inire compulsi, ad qnadraginta quinque annos tranquillo in otio quieverunt. At Senones Samnitibns conjuncti, redivivo bello cum plures Romanos occidissent, postea ab A. Cornelio, et aliis acie saepius victi, anno ab U. C. circiter quingentesimo decimo octavo, quatnordecim millibns amissis, universam usqne ad Boios provinciam amiserunt (1). Tum Romani Arimino prius in Umbria, et Benevento in Samnio urbibus ad continendos in officio populos, conditis, Senogalliam, quam in Adriatici maris littore antea Galli extruxerant, coloniam deducunt. Boii etsi potentes hostes finitimos aegre paterentur, eorum tamen arma non semel experti vel inviti quiescebant. Sed cum primum senes qui dubia bellorum pericula, et luctuosum Martem saepius sustinuerant, naturae concessere, ingenio feroces juvenes, transalpinis in auxilium vocatis, novas res moliri caeperunt. Duces id inconsulta plebe tractaverant, quae ut Ariminum pervenit, se contra Romanos duci intelligens, Regulis interfectis, cum superstitibus nobilibus conflixit. Caeterum quinto post anno, quam haec acta fnerant, M. Lepido Consule, Cajus Flaminius Romae legem tulit, ut Senonum regio, antea Picenum, nunc Marchia Anconitana vocata, inter milites divideretur; quae res caeteris Gallis, et praecipue proximis Boiis, qui se omnibus bonis, et universo agro jam spoliatum iri arbitrabantur, ingentem timorem incussit. Nec multo post inhumanum Romae patratum facinus, conceptum metum non medio-

(1) Eutrop. lib. 2.

criter adauxit. Consilio enim Pontificum, qui eo modo ex libris sybillinis urbem expiandam dicebant, Gallus vir, et Galla femina cum muliere Graeca simul in Foro Boario vivi defossi (1) implacabile Romanorum in Gallos odium ostendisse videbantur. Quamquam alio tempore post cladem apud Cannas acceptam id contigisse Livius (2) prodit. Horrendum hoc factum ubi ad Boiorum aures pervenit, jam nihil humanum a saevo hoste expectare posse, fremere: se velut hostias immani feritate pro gentis odio publico mactari; eum jam non imperio contentum, Gallicnm sanguinem sitire; nisi obviam eatur, se non agris modo cunctis cessnros, sed furori immanium hominum objectos pecndum more trucidandos. Haec vociferantes anno ab urbe cond. qningentesimo vigesimo nono simul Senones, Boii, et Insubres conspirant. Verum cum Romanorum potentiae impares se crederent, trans alpes legatione missa Congolitanum, et Aneroestem Gallorum reges, aliosque ejus provinciae ad Rhodanum habitantes populos, et Gessatas, quorum lingua mercede militantes ita appellantur, ad bellnm contra Romanos gerendnm magnorum praemiorum spe sollicitant. Illi ingenti opimae praedae spe allecti tanto apparatn venerunt, ut nunquam neque majore, neque validiore exercitu in Italiam Galli descenderint. Hoc nuntio Romam perlato, Senatus, ut tanto hosti resisteret, prius cum Carthaginensibus, quibuscnm bellum gerebat, foedere percusso, universis viribus in Gallos incubuit. Ac ut snbjectorum populorum vires exploratas haberet ex Italia delectu undequaque habito omnium copiarum, quae cogi potuerunt numerum ad se referri jussit;

(1) Plutarc. in Marcell.

(2) Lib. 2, dec. 3.

quae equitum octoginta, et peditum septingenta millia fuere (1). Galli, coacto circa Rhodanum ingenti exercitu et alpibus superatis, ad Padum Boiis et Insubribus conjunguntur, copiarumque parte, praesidii causa domi relicta, reliquum exercitum circiter quinquaginta millia peditum, equitum ac bigarum ferme bis millium ferro, igneque omnia vastantes versus Hetruriam ducunt. Cum ad Clusium pervenissent, Romanis, qui ibi in praesidio erant obviam facti, equitibus ad fallendos hostes in ima valle inter densas arbores collocatis, et simulata fuga pedites Fesulas versus celeriter retrahunt. Romani veram hanc Gallorum trepidationem arbitrati, eos effuso agmine sequuntur. Cum in insidias venissent, sex millibus amissis, caeteri in fugam conversi, tumulum situ, et natura munitum occupavere. Galli transactae noctis vigiliis, et diei labore defessi, cum difficilem adversi collis pugnam temere tentandam esse non censerent, in posterum diem praelium distulerunt; interim relicta ad hostium obsidionem equitum custodia, ad curanda corpora vertuntur. Erant eo anno Consules L. Æmilius Paulus, et Attilius Regulus, quo in Sardiniam cum classe profecto, Æmilius, cui Gallica expeditio obeunda erat, quod per Umbriam transituros Gallos crederet, Ariminum cum exercitu iverat; sed cognito hostium in Hetruriam itinere, confestim opportunum obsessis sociis auxilium laturus venit; qui in adverso colle a Gallis custoditi, consuli, cujus adventum ex nocturnis ignibus intellexerant, per nuntios rei gestae infelicitatem nunciaverunt. Contra Aneroestes Boiorum dux, ubi hostes venisse cognovit, convocata concione, ingentem se omnium rerum praedam coegisse memorat; fatuos eos esse si res jam tot

(1) Plin. lib. 63, cap. 20.

laboribus quaesitas dubio rursus praelio velint committere; primo patriam repetendam suadet, ut ibi impedimentis relictis expeditiores postea adversus Romanos revertantur. Consilio ab omnibus probato, ante lucem praeda onusti, per inferi maris littus Galliam repetunt. Æmilius receptis, quae in collem confugerant, copiis confligendi occasionem expectaturus, hostem insequitur. Eodem forte tempore C. Attilius alter Consul ex Sardinia cum exercitu Pisas profectus, expositis in terram copiis Romam iturus, Gallis apud Aretium occurrit. Ex quibusdam captivis, hostium iter, et Æmilium pone sequi audit. Itaque statim ad intercludendos Gallos legionibus per anfractuosum tramitem praemissis, ipse imminentem collem cum equitatu occupat. Galli, qui Attilii adventum ignorabant, ut praecedentes copias viderunt, primo Æmilium nocte cum equitatu praecessisse existimarunt; sed re postea ex captivis certius comperta, se interclusos cernentes a fronte et tergo, aciem instruunt, Gessatis et Insubribus Æmilio, Taurinis vero et Bois circa Padum habitantibus Attilio oppositis, curribusque cum impedimentis extra aciem collocatis, reliquam praedam cum equorum praesidio in proximo colle exponunt. Æmilius, qui socios venisse nondum cognoverat, ut ex clamore suorum et armis certamen intelligit, militibus, qui in colle servati fuerant, subsidio missis, ipse a tergo hostes circumvenit. Boii Insubres aureis torquibus et virgatis auro sagulis fulgentes inter omnes insignes se ostendebant. Verum Gessatae nudi ante aciem cum armis pugnantes horrendam aspectu pugnam faciebant. Tantus vero erat classicorum sonitus, quibus universa Gallorum multitudo dissonum clamorem inter inconditum ululatum attollebat, ut omnia proxima loca terrifico sonitu undique circumstreperent. Aspera in primis ad collem pugna

commissa, C. Attilius Consul fortissime dimicans occiditur, cujus capite ad reges Gallorum delato, Romani non solum animis non cecidere, sed atrociore praelio renovato collem tutati etiam hostium equitatum spectata virtute fuderunt. Gessatae, qui scuto Gallico nuda corpora protegere non poterant, cum a sagittariis Romanam aciem praecedentibus graviter vulnerarentur, animum desponderunt. Alii in hostes temere irruentes trucidabantur; nonnulli, ad suos pedem referentes, universos ordines perturbabant. Solis vero Insubribus cum Boiis et Taurinis praelium excipientibus, pilis, et gladiis cominus certari coeptum. Gallorum enses graves, sed obtusa cuspide, scuta vero ad ictus sustinendos debiliora erant; contra Romani clypeis ad tegenda corpora validioribus, et brevioribus gladiis, sed acutis utebantur. Dispari itaque armorum apparatu cum equites Romani e colle impetum fecissent, Galli fusi, profligatique fuere. Caesa sunt in eo conflictu hostium quadraginta millia, decem millia cum rege Congolitano capta; equorum celeritas equites se fugae committentes servavit. Alter Gallorum rex Aneroestes, cum in propinquum locum fugisset, non multo post doloris acceptae cladis impatiens sibi mortem conscivit. Æmilius re feliciter peracta, reliquis spoliis Romam transmissis, praedam abactam prioribus dominis restituit. Inde cum omnibus copiis per Liguriam in nostrum agrum profectus, crebris incursionibus populabundus, nemine obstante, omnia diripuit. Hinc domum reversus, specioso acto triumpho, fulgentibus armis aureisque torquibus Capitolium exornavit. Juraverant in ea expeditione obeunda Galli, non prius balthea se deposituros, quam Capitolium intrassent; ob id Æmilius victos per ignominiam in Capitolio discinxit. Quod suo quoque Marti de Romano milite aureum torquem Aneroestes

devovisset, de Gallicis torquibus aureum Jovi trophaeum est constitutum.

Sequenti anno, qui fuit ab U. cond. DXXX et ante nostram salutem CCXXI T. Manlius Torquatus, et Quintus Fulvius Flaccus Cousules cum ingenti exercitu, et ipsi Boiorum fines ingressi, nullo fere negotio, pluribus oppidis eversis, universos eorum agros in populi Romani ditionem redegerunt. Nostra itaque regio multo effuso sanguiue tunc primum Romanis parere coepit. Sub id tempus urbem Regii a quadam legione ducis jussu solo aequatam fuisse Blondus memorat; quod factum cum Senatus graviter ferret, quatuor millia eorum militum necari jussa, etiam sepeliri, lugerive prohibuit; idque (1) Sex. Jul. Frontinum tradere scribit. Sed Rhegio Calabriae, non nostro id evenisse ex Orosio (2) satis liquet. Ego tamen, quamvis nulla certa de hoc extet memoria, eo bello Regium, cujus nulla in tot Boiorum gestis fit memoria, a Romanis dirutum fuisse existimo, quod postea M. Æmilius Lepidus restituit. Neque ipsum a Gallis solo aequatum fuisse credendum est, quia si tam longo tempore jacuisset Regii nomen, jam omni ejus abolito monumento, longo post tempore facile recipere non potuisset. Cum vero reliqui subinde Galli vi imbrium, et pestilentia eodem tempore subigi nou potuissent, postea C. Quintius Flaminius, et P. Furius Philus Insubribus, qui Mediolanum tenebaut, profligatis, ingentem captivorum multitudinem, spoliaque in urbem insigni pompa detulere. Tantis cladibus Insubres afflicti, pacem a Romauis victorum arbitrio per legatos

(1) Ital. Illustr. in sept. region.
(2) Lib. 4, cap. 3.

supplices petiere. Caeterum M. Claudius Marcellus et Gn. Cornelius Scipio Calvus in sequentem annum coss. designati, cum haud mediocrem gloriam ex futuro bello sperarent, eam in Senatu dissuasere (1). Quare, desperatis rebus, Galli extremam aleam subituri, triginta millibus Gessatarum conductis, statim Aceras urbem supra Padum positam muniunt, quam Consules ineunte vere, copiis eductis, arcta obsidione cinxerunt. Viridomarus rex decem millibus delectorum Gessatarum assumptis, prius nostram circumpadanam regionem nuper Romanorum imperio adjectam depopulatus, et ipse Clastidium oppidum in Gallia Cisalpina Romanorum obsedit. Qua re cognita, Marcellus, collega ad Aceras relicto, cum expedita manu praelium commissurus, hostibus occurrit. Primo congressu Viridomaro hasta transfixo, reliquisque Gallis profligatis, opima Jovi Feretrio spolia postea dedicavit. Adversae rei fama socii perterriti, relictis Aceris, trepidi Mediolanum confugerunt, quos oppido jam Cornelius potitus insequitur. Mox intra paucos dies Marcellus Mediolano, Insubriae metropoli, ac caeteris oppidis captis, reliquam Galliam Cisalpinam eo anno victricibns armis subactam Romanorum ditioni addidit. Eorum mos erat in terras bello partas, inde ejectis regibus, Praetores cum imperio jus dicturos, et Quaestores tributa exacturos mittere, cujus imperii specie regiones in provinciae formam redigere dicebantur. Cum id primo in Sicilia, mox in Sardinia, et caeteris deinde captis regionibus observatum (2) fuisset, evenit, ut quot in ditionem veniebant provinciae, totidem in eas mittendi Praetores crearentur. In subactam itaque Galliam Cisalpinam

(1) Plutarc. ubi sup.

(2) C. Pompon. lib. 2 de orig. dumis.

incipiente bello punico cum duabus legionibus Romanis, et quatuordecim millibus sociorum, ac MDC equitibus L. Manlium praetorem [1] missum fuisse invenio: nec multo post ad continendos in offitio populos Romani Placentia citra Padum, et ultra Cremona aedificata in singulas sena millia colonorum deduxerunt [2]. Eam gentem coloniam appellabant quod pauperiores Romanos ad novum agrum colendnm alio habitatum mitterent. Id non tam ad sublevandam civitatem infimis hominibus urbi onerosis inventum fuit, quam ut propugnaculis imperii collocatis, quasi frenum iis injicerent, qui aliquid contra Rempublicam essent molituri. Plerumque etiam iisdem manentibus incolis jus Latii dabatur, quod tunc plerisque in Galliae Cisalpinae locis factum fuisse Polybius innuit. Triumviri earum coloniarum deducendarum causa creati fuere C. Lutatius, A. Servilius, et T. Annius. Boii ob veteres injurias adhuc Romanis infensi, cum novam gentem, velut jugum sibi impositum, aegre ferrent, sollicitatis ad defectionem Insubribus, infestis armis in novos colonos impetum faciunt. Ea impressione non agrestis modo multitudo perterrita, sed ipsi etiam Triumviri, qui ad agrum assignandum venerant, Placentiae moenibus diffisi, Mutinam confugerant. Eam urbem a C. Fabritio Luscino in loco, qui Muculena vocabatur, fabricatam, indeque, mutato vocabulo, Mutinam dictam fuisse quidam ferunt. Boii eos persecuti, urbe arcta obsidione undique cincta, in speciem ineundae pacis evocatos Romanorum legatos contra jus gentium comprehenderunt: quos cum Romani repeterent, ita demum se restituturos promiserunt si a se dati obsides

(1) Liv. lib. 1, dec. 3.
(2) Polib. lib. 3 hist.

redderentur. Hac re cognita, L. Manlius Praetor, qui tunc in proximis locis versabatur, obsessis auxilium laturus, cum expeditis cohortibus advolat. Eo loco viae proximam sylvam fuisse jam diximus, ubi insidiis inter densas arbores positis, venientem Praetorem Boii repentino impetu aggressi, magnam Romanorum partem caedunt. Manlius ex invio nemore tandem in apertos campos exiens Canetum confugit. Erat vicus hic inter Regium et Brixillum non longe a Pado positus (1), ubi comeatu per flumen transmisso, Cenomanorum auxilio se adversus crescentem in dies hostium multitudinem fortiter defendit. Nuntio acceptae cladis Romam perlato, alius Praetor Cajus Atilius cum una legione, et quinque millibus sociorum ad ferendum Lucio Manlio auxilium missus est. Galli Romanorum adventu cognito, metu discedentes, Atilio Canetum venienti liberum iter reliquerunt. Lucius vero Manlius, qui vitam servasse pro magno benefitio habuit, excitata etiam seditione militari, aedem Concordiae vovit quae postea in Arce a Duumviris, dum L. Scribonius Libo Tribunus Plebis, et Triumvir mensalis esset, dedicata fuit. Ob id hodie quoque in quibusdam argenteis nummismatibus in altera parte nomen Aemilii Pauli Lepidi, qui tum Pontifex, et Consul in Cannensi pugna occubuerat, et aedis Concordiae in altera Lucii Scribonii Libonis cum sui putealis imagine scriptum nomen legitur.

Dum haec apud Boios geruntur, Poenus Annibal ex Hispania in Galliam adversus Romanos pugnaturus venit. Rhodanum vix trajecerat cum a regulis transpadanis conventus, ut in Italiam transeat, magnis pollicitationibus invitatur. Ipsi se socios, caeterosque Galliarum accolas

(1) Blond. Ital. illust. lib. 1, Region. 7.

auxilio futuros promittunt. Tanta spe excitatus Poenus, ne quam bene gerendae rei occasionem praetermitteret, quindecim diebus Alpibus emensis in circumpadanos campos late se dimisit. Publius vero Cornelius Scipio Consul, ut hosti maturius occurreret, fratre in Hispaniam, quam sortitus fuerat, cum exercitu adversus Asdrubalem profecto, Pisas quanta potest celeritate navigavit. Inde Alpibus superatis, a Manlio et Atilio Praetoribus militem ad resistendum Boiis paratum accepit. Mox cruento praelio commisso vulneratus superatusque confestim per pontem, quo Padum junxerat, transmisso milite, Placentiam contendit. Eum biduo post Annibal insecutus ad sextum ab ea urbe lapidem castra munit. Sequenti nocte ad bis mille pedites, et fere ducentos equites Gallos, qui vigilibus Romanorum ad portas obtruncatis, ad se transierant, in suas quemque civitates ad caeteros sollicitandos, ut a Romanis deficerent, punica calliditate dimisit. Boiorum quoque legati, triumviris, quos Mutinae obsessos supra diximus, captis, et Annibali traditis, illi se cum tota gente conjunxerant. Scipio tot repentinis malis circumventus, cum totius Galliae defectionem timeret, motis castris ad Trebiam amnem ex Sicilia collegam in eminentioribus tumulis munitus expectavit, quem secutus Annibal non longius quinque millibus passuum ab eo consedit. Interim Clastidium, ubi magna vis frumenti inventa est, Praefecto quadrigentis aureis corrupto, occupavit. Titus vero Sempronius alter Consul ex Sicilia, ubi rem adversus Carthaginenses prospere gesserat, cum copiis Ariminum profectus, inde maturato ad Trebiam itinere, collegae conjungitur. Primo adventu mille et quingentos Numidas, qui suspectorum Gallorum agrum diripiebant, in castra fugavit. Ea inani victoria elatus, etsi dissentiente collega, cum omnibus legionibus

ad confligendum exiit. Pugnandi copiam faciente Poeno primo ingente strage fusus, postea aequo Marte congressus, ipse Lucam petiit, et Annibal in Ligures concessit; quem Galli ab utriusque partis exercitu oppressi, in eum odio a Romanis converso, saepius per insidias tollere tentaverunt. Sed ille crimine per indices cognito, nunc vestibus mutatis, nunc crinibus, quos diversarum aetatum componi jusserat, alium se mentiendo, punica arte elusis sicariis se incolumem servavit. Demum, ne perpetuo timore inter infidos homines teneretur, suspectis sociis relictis, in Hetruriam bellum transtulit. Caeterum Gn. Servilius Consul, qui Sempronio successerat, levibus praeliis cum Gallis peractis, et ignobili quodam oppido expugnato, cum cladem suorum ad Trasimenum lacum acceptam intellexisset, patriae moenibus metuens, Romam revertitur. Plerisque vero Gallis Poenos in Hetruriam secutis, L. Posthumius Albinus Praetor creatus, cum exercitu ad subigendam Galliam Cisalpinam mittitur, qui mox Consul absens Romae dictus, dum regreditur in insidias lapsus inopinato casu a Gallis cum copiis est deletus (1). Per silvam nomine Litanam, qua exercitum erat traducturus, laeva, dextraque arbores Galli ita inciderant, ut levi impulsu extremis in proximas labentibus, facile omnes prosternerentur: ipsi in ultima sylva circumfusi, ingresso Posthumio succisas arbores magno impetu deiicinnt, quae alta proceritate eminentes alia in aliam cadente tanta ruina Romanos obruerunt, ut ex viginti quinque millibus armatorum vix decem fugere potuerint: plerisque enim ab arborum truncis, ramorumque fragmentis necatis, caeteros repentino malo oppressos Galli facile trucidarunt. Posthu-

(1) Liv. lib. 3, decad. 3. Polib. Hist. lib. 3 in fin.

mius cum paucis in proximo ponte, ad quem fugerat, interclusus, dum ne vivus capiatur, fortiter pugnat, occisus est. Boii Praetoris ejusdemque designati Consulis capite praeciso, primum templo, ut ipsis mos erat, oblato, ex eo purgatum cranium auro caelarunt, ut ad Deorum libamina, ritu barbaro poculum esset. Universa quoque praeda potiti ex hostium spoliis simul amicissimi quique hilariter sunt convivati. Hac strage Romam nuntiata, clausis tabernis velut nocturna solitudo in urbe fuit; donec circumeuntes Ædiles ubique officinas aperiri, et moestitiae publicae speciem abiici jusserunt. Aliam apud Cannas maximam cladem eodem tempore, ferme octoginta millibus amissis, Romani acceperant. Quare Punico bello intenti, Gallorum ultione in aliud tempus opportunius dilata (1), nullum ad nostram regionem eo anno Praetorem miserunt. Ex quatuor enim tunc creatis Praetoribus, duo Romae jus dixerunt, alius in Siciliam, quartus in Sardiniam est profectus. Cum primum vero respirare caeperunt, viribus receptis, M. Pomponius in agrum Gallicum cum duabus legionibus, ad continendos ut poterat in offitio populos, venit. Pomponio, T. Sempronius Graccus tum aedilis successit (ille, qui Cannensi praelio profligatis omnibus per medios hostes vi eruperat) duabusque a Pomponio legionibus acceptis, septuaginta amplius millia hominum cepit, et Cliternum oppidum expugnavit, cui ob rem prospere gestam cum exercitu in biennium Galliae prorogatum est imperium (2).

Sequenti anno L. Veturio in Galliam misso, Cremonensis et Placentina coloniae, quae adhuc in fide mane-

(1) Liv. ubi sup.
(2) Liv. lib. 5 et 6, decad. 3.

bant, se cum sexdecim aliis coloniis, milites, pecuniamque, ut moris erat, daturas Romanis per legatos liberaliter promiserunt. Vetnrius in sequentem annum prorogato imperio sibi pro Praetore provinciam tenuit: non enim amplius Praetores permanebant, qui legitimum anni tempus excesserant; sed ne legibus fraus fieri videretur, pro Praetoribus erant. Huic, cum Lucius Portius Licinius Praetor successisset, nunciatum est Asdrubalem magno cum apparatu in Italiam Annibali fratri auxilium laturum descendere, qui etsi omnium opinione celerius Alpes transgressus, dum tamen in obsidenda Placentia tempus conterit, M. Livio Consuli, cui ea provincia obvenerat, instituendi exercitus spatium dedit. Demum et ipse circa munitum locum operam perdi sentiens, fratri se ei in Umbria occursurum scribit. Litteris interceptis, alter Consul C. Claudius Nero, priusquam hostis moveretur, collegae se conjunxit, prosperaque pugna fusis Poenis, quinquaginta sex millia occisa, et capta quinque millia et cccc, Asdrubalis caput magna diligentia servatum, postea in fratris castra ad terrendos hostes projectum fuit. Hac memorabili victoria potiti Consules, deductis ex Gallia legionibus, L. Portium cum veteranis ad ejus provinciae praesidium reliquerunt. Romae in aerarium tricies octoginta millia aeris illata, et quinquageni seni asses inter milites liberaliter divisi.

Sequenti anno Q. Manlius Praetor, nostrae Galliae cum exercitu Praefectus, Gallorum, qui ad Asdrubalem defecissent, agros jussus est populari. Huic postea in Gallia, quam Romani Ariminum vocabant, Sp. Lucretius successit, cui cum M. Livio et Sp. Lucretio in sequentem annum prorogato imperio, reliqua Gallia L. Scribonio Liboni est decreta. Quo tempore, etsi ob Mago-

nem Poenum Amilcaris filium Gallos sollicitantem magni motus timebantur, nihil tamen memoria dignum actum fuit. Liboni M. Cornelius, qui praecedenti anno Consul fuerat, in Ariminensi Proconsul, et Sp. Lucretio P. Quintilius Varus Praetor successit. Hi conjunctis exercitibus pugnantes Magonem in agro Insubrium, quinque millibus caesis, fuderunt. Cum vero res Carthaginensium maxime laborarent, eo cum Annibale fratre ad patriam defendendam revocato, Gallia Manlio Sextio Sabino Praetori est demandata. Interea Boiis incursiones in agro sociorum Romanorum facientibus, P. Aelius Petus et ipsum C. Appium per Umbriam agrum hostium invadere jubet, qui dum incaute frumentatur, cum septem millibus ingenti clade caeditur. Caeteri ex hostium manibus elapsi per saltus invios fugientes ad consulem pervenerunt. Postea L. Furio Purpurioni in Galliam misso, quinque millia sociorum Latinorum, qui Galliae praesidio essent, sunt concessa. Amilcar Poenus, reliquus de Asdrubalis exercitu dux, adhuc in Gallia substiterat, qui ex Boiis, et caeteris Gallis quadraginta millium armatorum collecto exercitu, repentino impetu Placentiam invasit. Direpta urbe, et magna ex parte incensa ut vix duo millia hominum ex funesta ea ruina sint relicta, trajecto Pado, statim Cremonam aggreditur. Lucius Furius Purpurio. tum Arimini cum quinque millibus latini nominis subsidebat; qui, cum ad tantam vim arcendam exiguis copiis non sufficeret, alio exercitu a C. Aurelio Consule, qui Italiae praeerat, accepto, magnis itineribus Cremonam contendit. Ibi cum hostibus praelio commisso tantam eorum stragem fecit, ut supra triginta quinque millia caesa, captaque fuerint, et Amilcar dux ceciderit. Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis. Triumphavit Praetor,

in aerarium trecentis millibus aeris, argenti centum septuaginta millibus pondo relatis. Consul C. Aurelius Cotta invidia rei bene gestae tactus, cum, bello prope confecto, in Galliam profectus victorem exercitum a Praetore recepisset, reliquum anni tempus in populandis hostium agris indignabundus consumpsit. Ab hoc Consule nostram regionem, quae prius a Parma ad Bononiam Bianora dicebatur, postea Aureliam vocatam fuisse, cum C. Sempronio in libro de Divisione Italiae non pauci autumant.

Praetor deinde in Galliis C. Bebius Pamphilius creatus, etsi exercitum ibi retinere jussus, donec cum novo exercitu Consul provinciam ingrederetur, omnes tamen postea praeter quinque millia sociorum Latinorum S. C. exauctoravit. Demum cum fines Insubrium temere ingressus esset, supra sex millia et sexcentos milites amisit. Consul L. Cornelius Lentulus fama rei male gestae excitus, cum eo pervenisset, graviter Praetorem reprehensum Romam remisit. Caeterum et ipse nulla memorabili re gesta reliquum anni tempus ignaviter transegit. Ab hoc Sex. Ælius Petus Consul cum C. Ælio Praetore exercitum accepit, qui nullo facto insigni secuto totum ipse quoque annum cunctanter in cogendis Cremonam et Placentiam colonis contrivit.

Eo tempore etsi finem difficillimum bellum Punicum habuisset, qui tamen in Italia relicti erant Poeni ad defectionem Gallos sollicitare non desistebant. Ut veteres igitur Romani nominis hostes tollerentur, sequenti anno Gn. Corn. Cethego, et Q. Minutio Ruffo Coss. tota Gallia Cisalpina subigenda est demandata. Qui Senatus jussa facientes, divisis copiis, ut Gallorum vires distraherent, alter per Hetruriam, alter per Æmiliam convertitur. Contra Galli, qui simul utrumque Consulem bellum gesturum

crediderant, Boiis, Insubribus et Cenomanis se conjunxerant. Sed ubi Minutium in Liguriam profectum, et suum agrum devastari Boii intellexerunt, relictis sociis, ad sua tutanda properanti agmine sunt reversi. Cum aliis vero, qui super Mincii amnis ripas consederant, congressus Cornelius Consul triginta quinque millibus hostium caesis, quinque millia, et septingentos cum Amilcare Poeno, qui bellum suscitaverat, feliciter cepit. Minutius quoque, nonnullis oppidis in Liguribus expugnatis, ac omnibus cis Padum praeter Boios subactis, hostinm agrum passim est populatus. Sed cum ipsos ad sua defendenda reversos esse audiret, acie cum hoste dimicandum ratus, castris se tenuit. Neo pugnam Boii erant detrectaturi, sed ut victos Insubres cognoverunt, viribus diffisi, ad suos quique vicos tutandos se receperunt; ita ut nihil aliud a Minutio praeter populationes actnm fuerit. Cornelius septuagenos asses inter milites, duplex equiti, et triplex Centurioni divisit: in triumpho ex Gallorum spoliis, aeris ducenta triginta septem millia et quingentos, argenti bigati septuaginta novem millia speciosa pompa praetulit. Minutius vero ex praeda aeris ducenta quinqnaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia, et cc in aerario condidit, et idem quod collega militibus donavit. Lucio deinde Furio Purpurione, et Mario Claudio Marcello ad subigendam reliqnam Galliam transmissis, Corolanus regulus castra munientem Marcellum repentino impetu adortus, tribus fere millibus hominum interfectis, in propinqua castella, vicosque cum suis exultans recessit. Marcellus hac clade accepta, post aliquot dies in Insubres, qui sibi Comenses adjunxerant, profectus, quadraginta millibus hostium secundo praelio caesis, insignem victoriam retulit; deinde castris eorum expugnatis cum etiam Comum

oppidum cepisset, castella viginti octo ad victorem defecerunt. Furius vero alter Consul in Boios veniens Marcello se conjunxit, et universum nostrum agrum, usque ad Felsinam, quae nunc Bononia dicitur, populatus, Boios in devias sylvas se abdere compulit. Sed cum urgente fame frumentatnm incautius exiissent, vix nuntio cladis relicto, universi sunt trucidati. Itaque hostibus deletis, Felsina, caeteraque Castella et omnes fere Boii facile in Romanorum potestatem venerunt. Annus is fuit ab U. C. DLVII et ante humanam salutem centesimus nonagesimus quintus. Marcellus in singulos pedites octingentis aeris triplici equiti et Centurioni, liberaliter donatis, aeris CCCXX millia, argenti bigati CCXXXIV millia clarissimo triumpho ex hostium spoliis praetulit.

Decreto sequenti anno facto, ut alter Consul Hispaniam citeriorem, alter, in Italia imperans, Galliam obtineret, L. Valerius Flaccus ad nos cum duabus legionibus profectus ad Litanam sylvam cum Boiis prospera pugna conflixit. Octo enim millibus hostium caesis, et reliquis in vicos suos dilapsis, ipse ad restituenda, quae Placentiae et Cremonae diruta essent, se convertit. Idem posteriore anno Proconsul decem millia Boiorum et Insubrium, alio commisso praelio, circa Mediolanum interfecit. Nondum tamen tot cladibus consternatis Boiis, cum totam gentem eorum regulus ad bellum concitasset, Titi Sempronii Longi Consulis armis victus, duodecim millia hominum amisit (1). Lucius quoque Cornelius Scipio alter Consul omnes Boiorum agros usque ad sylvas et paludes, opima facta praeda, est depopulatus. Lucius postea Cornelius Merula Galliam sortitus, rebellantibus adhuc Boiis, sed pugnandi

(1) Liv. lib. 4, decad. 4.

potestatem non facientibus, eorum agrum non longe a Regiensibus praedatus, dum Mutinam petit, Boios in insidiis collocatos esse cognovit. Cum his congressus quatuordecim millia profligavit, et mille nonaginta duo vivos non incruenta victoria cepit.

Sequenti anno ad Gn. Domitium Ænobarbum et Lucium Quintum Consules in Galliam exercitum ducentes non pauci Boiorum transfugerunt; sed quinam hi fuerint, quove in oppido morarentur non satis constat. Ego eos in propinquis nostrae urbis locis habitasse arbitror, cum citra Mutinam, quae in Romanorum potestate erat, agros incolentes Boii semper ipsis ad id tempus infesti fuerint. Demum P. Cornelius, Gn. F. Scipio Consul alio anno duo de triginta millibus caesis, et tribus millibus quadringentis captis, reliquos omnes Boios in deditionem accepit (1). Mos erat vetus Romanorum, populum, quem debellassent, non prius pro pacato habere, quam opportunis urbibus praesidiis impositis omnia divina, humanaque jura, et obsides in potestatem accepissent. Tunc ergo Cornelius obsidibus acceptis, Boios etiam agri parte fere dimidia mulctavit, ut si populus Romanus voluisset, eo commode coloniam posset deducere. Tantam vero ex nostra provincia pecuniam coegit, ut militibus, qui eum in triumpho secuti sunt, centenis vicenis quinis assibus, duplici Centurioni, et triplici equiti donatis, etiam mille quadringentos septuaginta aureos torques et auri pondo CCXLV, argenti infecti, factique in vasis Gallico cultu non ineleganter caelatis CCCXL pondo, bigatorum nummorum ducentorum triginta quatuor aerario intulerit. Post haec C. Laelius Consul Galliam provinciam sortitus cum

(1) Liv. lib. 6, decad. 4.

pluribus ex colonia Cremonensium, et Placentinorum absumptis in supplementum novos colonos conscripsisset, etiam ut duae novae in agrum Boiis ademptum deducerentur obtinuit. Bononiam itaque pro Latina colonia tribus millibus deductis equitibus septuagena, caeteris vero quinquagena jugera sunt assignata. Si ex his minimum trecentos, ut par est, equites fuisse dixerimus, simul omnibus circiter centum quinquaginta sex millia jugera divisa fuisse invenimus. C. Laelio Proconsuli in alium annum prorogato imperio, Galliam postea C. Livius cognomento Salinator suscepit. Demum pacatis rebus, cum placuisset, ut duo in Italia Praetores, alter in Gallia, Tarenti alter jus dicerent, M. Furius Crassus Praetor ad nos est profectus. Creati erant Consules M. Æmilius Lepidus, et C. Flaminius, qui Liguribus quibusdam perdomitis, ne otiosum militem haberent, via Bononia Aretium perducta, cum ea universam etiam provinciam, quae nunc Romandiola dicitur, Flaminius a se Flaminiam appellavit. Viae non congesta terra aut invecta, ut nunc solent, glarea a Romanis extruebantur, sed durissimis lapidibus, qui a curribus frangi non poterant, ad unguem commissis, magno euntium commodo sternebantur. Marcus vero Æmilius montem Balistam, tum Ligurum, nunc Regiensium factum, oppugnare adortus est. Ferunt insignem latronem Balistam nomine, qui antea ludimagister fuerat, illi jugo, ubi hominum vitae insidiari consueverat, nomen dedisse; id nunc corrupto vocabulo Valestram vocant; fama est in eum, qui ab incolis lapidibus obrutus fuerat, a Virgilio adhuc puero postea hoc Epitaphium conditum fuisse.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, dieque tuum carpe, Viator, iter.

Æmilius eo monte, jugis nostris subactis, aliisque populis, qui tunc Ligures erant, perdomitis, et ipse Placentia viam, quae Flaminiae committebatur, Ariminum usque stravit, et totam provinciam a se Æmiliam vocavit (1). Nostra planitie tum paludibus, aut densis nemoribus occupata, via ad collium radices est deducta, quae agris postea exsiccatis et excultis, in eum locum, ubi nunc visitur, translata fuit. Deinde M. Philippus in Ligures Apuanos Bononiensium juga colentes profectus, quatuor militum millia insidiis circumventus amisit. A strage saltus ille postea Martius est vocatus. Sed eam injuriam M. Sempronins Tuditanus sequens Consul, caesis hostibus, et vicis castellisque eorum incensis, vindicavit. His annis, vel sequentibus duobus, quibus bellum prope has regiones gerebatur, Praetores ad nos venisse non invenio. Lucio vero Julio in Galliam Praetore misso, Parmam et Mutinam binorum millium Civium Romanorum colonias in eum agrum, qui ante Thuscorum postea Boiorum fuerat, missas fuisse Livius scribit. Octona jugera duobus millibus qui Parmam tenuerunt assignata fuere, quae sexdecim millium jugerum summam efficiunt. Aliis, qui Mutinae collocati sunt, quina jugera, idest omnibus simul decem millia sunt divisa. Colonias Triumviri M. Æmilius Lepidus antea Consul, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus deduxerunt.

Rebus provinciae ita dispositis Lepidus miseranda ruina jacentem Regii urbem, restitutis aedificiis instauravit. Id praecipue ex vetustis Valerii Probi, inter illustres Grammaticos a Tranquillo (2) celebrati, notis probatur qui his

(1) Strab. lib. 5 Georg.
(2) Strab. de Viris illust.

litteris M. LEP. Q. REG. INST. M. Lepidum Civitatem Regii instaurasse significari tradit; unde etiam non oppidulum, sed civitatem Regium fuisse deprehenditur. Nec dubitandum est Probum in vetusto marmore illa verba legisse, quae si nullibi extitissent, illas notas temere interpretatus non esset. Hinc Blondi (1) error deprehenditur, qui a Lepido Triumviro posteriore aetate Regium restitutum fuisse absurde affirmat. Antequam enim Lepidus Triumvir esset, jam Regium urbem nostram stetisse ad C. Cassium scribens Cicero (2) manifestum facit, qui praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam studiosam Reipubl. fuisse memorat. D. quoque Bruti, ejus, qui C. Julium Caesarem interfecit, epistola data Regio Lepidi, ubi castra habebat, reperitur hodie. Quare, quin ante insignem illum Triumviratum urbs nostra restituta fuerit non est dubitandum. Alium etiam M. Æmilium Lepidum, post aliquot annos, quam is, cuius supra memini, Consul fuit: Galliam Cisalpinam Consulem sortitum fuisse apud Appianum (3) legitur; sed urbem nostram ab illo instauratam fuisse, ut opinemur, nulla nos movere ratio potest. Annus igitur ab urbe condita DCLXVII et ante salutem humanam centesimus octogesimus quartus fuit, quo M. Æmilius Lepidus, quem supra cum C. Quinctio Flaminio Consulem fuisse dixi, Civitatem nostram a se Æmiliam vocatam instauravit(4). Unde etiam in aeris bigatis, qui abhinc centum annis cudebantur, adhuc scriptum legitur, *Regium olim Æmilia;* quod nomen, antiquissimo retento, paullatim frequentari desiit. Eumeliam vero quod bellicosum significat,

(1) Lib. 1, reg. 7.
(2) Epist. Famil. lib. 10, epist. 5.
(3) Lib. 1 de bel. civ.
(4) Caes. Cesarianus Mediolan. lib. 1.

hanc urbem vocatam, et alio a Lepido translatam fuisse temere Ponticus fabulatur, cum nulla hujus opinionis vel auctoritas, vel certa afferatur ratio. Tantam vero restituendi Regii curam Lepidus habuit, ut totius Galliae Cisalpinae ibi forum habuerit, quod praecipnus negotiationis, et litium locus haberetur. Cum enim per hyemis saevitiam a bello gerendo Romani revocarentur, pluribus Judicibus constitutis, quos Recuperatores vocabant, certum etiam locum ad dirimendas provinciae lites eligebant. Comitia illa Conventus, Judicii vero locus Forum dicebatur. Quare sicut Flaminii, Livii, Aurelii, Cornelii, et Sempronii Forum vocabatur, ita et Regium Forum Lepidi appellatum fuit. Vicum, ubi ipse resedit, ab eo Æmilium nuncupatum fuisse tradunt, qui etiamnum Burgus Æmiliolus vocatur; nostramque urbem Romanam coloniam fecit. Ea nobilior, quam Latina censebatur. Cum qui ex Romanis deducebantur, jure civitatis gauderent, ac ne virgis turpiter caederentur, pro summo benefitio haberent: ex suo relinquere, et alieno testamento bona capere poterant; agnatos, tutelas, familiae sepulcra, patriam potestatem, et caetera civium jura retinebant. His vero carens Latina colonia suam nudam, velut populi romani socia, libertatem conservabat; ac solo hoc munere honestabatur, ut in exercitu una cum Romanis Centurionis, Tribuni, et Praefecti offitio fungeretur; si tamen ex se stirpem, idest liberos, Latini domi reliquissent, postea cives romani fieri poterant. Regii vero positam coloniam Romanam fuisse, praeter Livii, et Ptolomaei testimonium, inde etiam satis comprobari potest, quod ex agris, qui tunc colonis assignati fuere, quidam adhuc Romanorum nomen retinent. Ubi enim Cajo ager assignatus fuit nunc ignobile castellum est, quod etiamnum

vetusti possessoris nomine rétento, Campus Cajanus vocatur: cum a dominis nomina agris imponi solita fuisse ex jurisconsultorum lectione manifeste percipiatur. Quem enim Grazzanium, Paternum, et Cassianum vulgo vocant, ab illis Gretianus, Paternus et Cassianus fundus dicitur. Pleraque etiam alia locorum nunc obscura vocabula ab antiquis illis possessoribus descendere feruntur; ut Clodia Porta, postea Brennonis dicta, quae a quodam Romano ita vocata fuisse creditur. Sic Bebiani castellum ab agro Bebiis assignato, Gabiani, quod nunc S. Pauli vocatur, a Gabiis: Ciani, qnod Sejanum erat dicendum, a Seiis dictum plures opinantur. Ab Albiniis Albineam, a Vectiis Vectianum, a Liviis Livianum, quod corrupto vocabulo Livizzanum nominatur; a Sessiis Sessum villam alii derivant, cum Dercilii Sessae (qui pro Triumviris contra C. Cassium, et M. Brutum cum C. Norbano iu Macedoniam profectus est) Dion aliique luculenti scriptores mentionem fecerint. Scandianum etiam Romanum nomen esse dubitandum non est, cum inter malorum genera Scandianum sylvestre Macrobius recenseat. Ovianum, qnod nunc Vianum est, ab Oviniis; Sergianum, nunc Sarzanum, a Sergiis; Scurranum ab aliquo qui cognomento Scurra dicebatnr: Portianum, nunc Borzanum, a Portiis, et alia hujusmodi locorum nomina a Romanis descendere plerique autnmant. Certe villam hodie Covioli vocatam a Cluviis, Guincii a Quintiis appellatam fuisse vetusta marmora attestantur. Romanorum vero coloniae in oppido, ubi residebant, Campum Martium, Forum, Circum, Theatrum et alia Romae propria aedifitia ponentes, quandam patriae urbis effigiem formabant, ut locus tantnm non urbs mutata videretur; sicut Varro, et Gellius illustres auctores referunt, qui colonias Romae instar conditas, atque inde,

quae prius erant oppida, postea ab urbe Roma, urbes vocatas fuisse tradunt. Colonorum etiam decimam partem Senatus vice functuram conscribere solebant, unde Decuriones, qui postea Curiales, et graece βουλευτηρες dicti sunt, velut Reipublicae consulentes appellati fuere. Regium igitur Roma deducti coloni praeter Forum, Theatrum, et alia quae in patria habere consueverant loca, etiam ad habenda comitia Campum Martium condiderunt. Is locus tunc extra urbem fuit, qui, mutatis saepius statu, et civitatis aedificiis, tandem intra moenia receptus adhuo Campus Martius vocatur: quod, praeter ea quae supra diximus, Regienses Romanorum coloniam fuisse, magnum argumentum praestat. Fuerat autem olim Romae Campus Martius inter Urbem et Tiberim Tarquiniorum ager, qui Regibus expulsis Marti consecratus, Campus postea Martius est nominatus, eoque ad creandos magistratus, et alia negotia publica obeunda, Comitiis indictis, intra quaedam septa convocatus populus conveniebat.

Colonia Regium deducta, M. Claudius Marcellus, qui proximo anno cum Q. Fabio Labeone Consul fuerat, Galliam Proconsul obtinuit. Is septem millibus peditum, et quadringentis equitibus ob tutandam regionem acceptis, jam attritis hostibus terribilis factus, duo millia Ligurum ad se confugientium armis ademptis per deditionem recepit. Hujus successor Q. Fabius Buteo Praetor cum Istris, qui Aquilejam deduci coloniam prohibebant, bello prospere gesto, eandem provinciam, prorogato sibi in alterum annum imperio, pro Praetore feliciter rexit. Quo tempore tria millia Gallorum, alpibus superatis, cum in Italia colendum agrum a Senatu frustra petiissent, trans alpes rediere. Bello deinde Istris illato, Placentina cohors eo missa, et milites vetusto Romano more nobis sunt im-

perati; sed rebus prospere succedentibns Aulus Manlius Volso Consul, cui Gallia provincia obvenerat, sine sociornm auxilio, levibus praeliis hostes superavit.

Sequenti anno in duas provincias nostra regione divisa, duo etiam in eas missi Praetores fuere C. Cornelius Scipio, et C. Valerins Levinus. Eodem fere tempore C. Claudius Pulcher Consul, cum, Istris domitis, in Ligures transiret, ad Scultennam fluvium, nunc Panariam nuncupatum, obviam hostibus factus, plus septingentis captis, XV M. acie cecidit. Sed eo Romam ad triumphum profecto, exercituque dimisso, Ligures per transversos tramites, montibus emensis, agrum populati repentino impetu Mutinam occuparunt. Quare Caius Claudius Proconsul in Galliam provinciam suam cum delectis copiis reversus, octo millibus Ligurum caesis, tridno post Mutinam recepit; aliis circiter millibns quingentis in agro amissis, reliqni Ligures in Montem Laetum, nunc Alpes Sancti Peregrini vocatas, et in jugum Balistam se receperunt; ubi omnes captivos, et pecora, quae ex Mutinensibus abduxerant barbarica rabie trncidarunt. Caetera quae fragiliora invenerunt, parietibus templorum collidentes attrivere. His auditis Quintus Petilius Consul in Galliam properans, exercitum a Marcello Proconsule in Campis Macris accepit. Hunc locum in Gallia Cisalpina circa Mutinam et Parmam, Livii, et Columellae testimonio, esse comprobatur; qui earum ovium vellera maxime ex iis pascuis commendat, quae circa Mutinam et Parmam Macris in Campis stabulari consueverünt. Hinc eos manifesto errore decipi constat, qui ultra Bononiam, Ravennam versus, Campos Macros fuisse opinantur; cum etiam prope eos Siciminam et Papinum montes in Mutinensibus fnisse Livius scribat, ubi tamen jaceant, omnium ferme locorum nominibus

tot gentium et temporum varietate commutatis, nobis liquido non apparet. Forte, ubi nunc Macreda vetustum nomen retinet, fuisse, non absurde defendi posset. Eos Campos crebra negotiantium mercimonia nobilitarunt, cum undique mercatoribus ad frequentes nundinas convenientibus quotannis celebre forum ibi fuisse Strabo meminit. Caeterum Petilius dum Balistam montem, et Laetum occupare nititur, missili trajectus occubuit. Id ante ipse sibi ominatus fuerat, qui, ambiguitatis verbi immemor, jactabundus eo die se *Laetum* capturum gloriatus fuerat. Pugnans exercitus, cum adhuc Consulis casum ignoraret, quinque millibus Ligurum occisis, omnia eorum montium juga bellica virtute superavit. Hac funesta victoria omnis Gallicus Ligusticusque tumultus non magno negotio brevi est sopitus.

Sequenti anno in Gallico nostrae provinciae agro, dum araretur, sub glebis pisces magno prodigio emersisse dicuntur. Posterioris deinde temporis saeculo centum prope annis Gallia Cisalpina in otiosa pace, sub Consulibus et Procousulibus administrata, cum nihil memorabile gestum fuisse reperiatur, eorum etiam nomina ad evitandum taedium praetereunda esse censui. Illud tamen ommittendum non fuit, quod regione nostra, ut plurimum a scatentibus paludibus deformata, ita ut inde magnum in Thusciam transiens Annibal negotium habuerit, Scaurus deductis ex Pado usque in Parmensium agrum latioribus ad navigandum emissariis stagnantia loca exsiccavit. Fossam eam esse plerique opinantur, cujus etiam vetusta hodie vestigia apparent, et quae postea navigandi usum praebuit. Sed quo anno facta fuerit non constat. Aliud etiam in Galliae Cisalpinae honorem tentatum, exitum sortiri non potuit. Cum enim ea extra Italiam quae

Rubiconem fluvium non excedebat, provincia censeretur, anno ab U. C. sexcentesimo vigesimo Lucio Opimio, et Quinto Fabio Maximo Coss., Cajus Gracchus decennio post fratris obitum legem agrariam laturus, ne quis ultra DCXXXIII jugera possideret, etiam illud addidit, ut usque ad alpes Italia extenderetur. Sed eo importuna nobilium factione interfecto, nihil agi potuit. Tentavit deinde Cajus Fulvius Flaccus, omissa agrorum divisione, ut in civitatem Romanam Itali adscriberentur; quod cum Senatus rejecisset, tumultuantibus populis, sociale bellum exarsit. Demum ad tollendas exitiales discordias Italis civibus factis, etiam universa Gallia Cisalpina, quae adversus socios ardente studio Romanis affuerat, si Straboni credimus, in civitatem recepta fuit. Sed ea nondum Italia fuit, quia quo tempore a Marco Antonio obsidebatur Mutina, Rubicone Italiam a Gallia discretam fuisse Appianus scribit; quam etiam paulo ante Cajo Julio Caesare apud nos Proconsule eosdem fines habuisse, nec nisi sero, ne praefecturae nomine onerosos milites aleret, Italiae adscriptam fuisse Dion memorat. His Lucani accedit auctoritas, qui etiam posterioribus Neronis temporibus Galliam nostram ab Italia divisam fuisse memorat. Sociali autem bello vix tandem sedato Cn. Papirius Carbo nostram Galliam anno ab U. C. DCLXIX Consul rexit, cujus Quaestor Cajus Verres sordidissimae avaritiae homo, et Marci Tullii Ciceronis actionibus insignis, cum omne rapinarum genus exerceret, etiam stipendium militibus solvendum, et pecuniam ad emendum frumentum sibi commissam intervertit. Cum vero Cajus Marius Mithridaticum bellum Lucio Cornelio Syllae decretum affectaret, internecinum bellum inter eos suscitatum totam Galliam Cisalpinam misere vexavit: quae turbolentis factionibus lacerata diu in armis stetit,

donec Sylla tyrannide arrepta se Dictatorem creavit. Sub ejus imperio provinciis omnibus gravibus tributis oneratis, etiam liberi socii, et foedere populo romano conjuncti immensam pecuniam conferre coacti sunt. Eo vero non multo post dictaturam depositam pediculari morbo consumpto ob vetustas altercationes rursus inter Q. Luctatium Catullum Syllanarum partium hominem, et Marcum Æmilium Lepidum Coss. funesta suborta est contentio. Is cum Galliam nostram sortitus Praetorem Perpennam cum exercitu apud se habebat, et cum nova moliturus crederetur, a Senatu vocatus, instructis copiis Romam proficiscitur. Ibi ante Campum Martium cum Catullo praelio superatus, postea in Sardiniam navigio delatus periit. Brutus alius Marianarum partium dux Mutinam versus fugit, ubi a Pompejo, anno qui fuit ab U. C. DCLXXVI, apud Regium nostrum pugnans est interfectus. Blondus eum Scipionem Lepidi filium fuisse scribit. Hoc primum tempore qui fuit annus DCLXXX ante humanam salutem LXXV urbis nostrae postquam restituta est apud Historiographos mentionem fieri invenio. Quadriennio post Lucius Lucullus Consul Galliam sortitus, cum in pacata provincia nihil memoria dignum sperare posset, Octavio tunc Ciciliae Proconsule forte mortuo, ad eam administrationem ambitiosius aspirare coepit. Denique opera Praeciae meretricis, quae a nobilibus frequentata plurimum Romae poterat, Cethego sibi adversario conciliatus, eam provinciam, et bellum contra Mithridatem, postea feliciter gestum, obtinuit.

Sequenti anno Cassius nostrae provinciae Praetor insignem a Spartaco cladem accepit. Is ex Thracia oriundus ad gladiatoriam artem exercendam cum aliis servis ad id munus emptis a quodam Lentulo Batiato detinebatur.

Hi ut ad arenam inviti cogebantur, ferme numero cc fugiendi consilium iniere. Re detecta duo de octoginta, qui domini manus evasere, ex coquinaria taberna primo verubus, et bipennis, ut sors obtulit, postea ferro gladiatorio invento, militum more se armaverunt. Eminebat inter eos Spartacus vir aetate integra, manu promptus, et ingenio ferox: quo duce electo et facinorosissimis quibusque postea ad eos confluentibus, ignobilia oppida, et villas diripere coeperunt. Ita paullatim rerum omnium copiam nacti, et in numerosam multitudinem aucti, formidandi exercitus speciem habuerunt. Missus primo contra eos Claudius, deinde Publius Varenus, amissis castris turpiter fusi fuere. Deinde Lucius Gallus Poblicola et Cn. Cornelius Coss. minus prospere et ipsi pugnantes Spartaci nomen celebre et timendum fecerunt, qui prospera hac fortuna elatus in Galliam Cisalpinam alpes superaturus contendit. Illi obviam circa Padum factus cum decem millibus armatorum Cassius Praetor, conserta infeliciter pugna, et pluribus amissis vix ipse incolumis evasit. Tandem ejus belli cura Marco Licinio Crasso tradita, cum Romanos saepius Spartacus elusisset, demum in pugna occisus ingenti sollicitudine populum romanum liberavit.

Varii deinde Praefecti Galliam Cisalpinam obtinuerunt, donec eloquentiae principi Marco Tullio Ciceroni Consuli, anno ab U. C. DCXC, pro Macedonia, quam sortitus Antonio collegae ob quasdam controversias concesserat, ea provincia est commissa. Sed Catilina apud Fesulas contra Rempublicam exercitum tumultuose cogente, Romae ipse manere coactus, in Galliam nostram, ne a facinorosis occuparetur, Metellum Celerem Praetorem misit. Catilina vero a Cajo Antonio Fesulis feliciter caeso, et ceteris ejus factionis seditiosis sero extinctis, magna jam consulatus

parte exacta in decretam provinciam non venit. Sexto post anno cum legibus in plebis gratiam latis et speciosis ludis magnifice editis, atque omni lenocinio Cajus Julius Caesar cives sibi conciliasset, in quinquennium Galliae nostrae Praetor cum tribus legionibus a populo, et Transalpinae cum alia legione a Senatu praeficitur: quibus instructus copiis plures Romanorum ditioni populos subiecit. Deinde in aliud quinquennium Crassi et Pompei opera prorogato imperio universam trans alpes Galliam domuit. Demum orto inter eum et Pompejum dissidio Romam profectus, Licinio Crasso nostram provinciam regendam commisit. Milites qui circa Placentiam erant, ubi sua opera ad novum bellum opus esse intelligunt, a nona legione orta seditione quinas singulis antea sibi Brundusii promissas minas solvi petebant, ducemque ruptae fidei licentiosius accusabant. Id audiens Caesar Massilia magna celeritate Placentiam contendit, ubi concione advocata de importuna libidine et avaritia militum conquestus nonae legionis decimum quemque pro veterum more supplicio affici jussit. Tandem supplicis exercitus, et Praetorum lacrimis flexus ex centum et viginti seditionis auctoribus duodecim tantum occisis omnia pacavit. Cum vero non multo post Pompejo superato adversam factionem sustulisset, rerum potitus, militibus, quos fideles et strenuos habuerat in Italia et provinciis, adversariorum agros divisit: sed Galliam nostram cujus praecipua opera in bello contra Pompejum gesto fuerat usus, ab ea iniuria immunem fecit. Caeterum in tam laeto rerum successu Caesar post quintum mensem, quam urbem ingressus fuerat, pluribus in eum coniurantibus patritiis idibus martiis occisus fuit. Tum Decimus Brutus unus ex ejus percussoribus in Galliam Cisalpinam, quae ei Consuli designato etiam a vivente

Caesare decreta fuerat, se contulit. Verum Marcus Antonius Consul, qui tyrannidi superbe inhiabat, Macedonia, quam provinciam sortitus erat, Cajo Fratri Praetori concessa, Galliam Cisalpinam Bruto assignatam, velut consiliis suis opportunam invadere cogitavit. Sed cum ad eam occupandam armis opus esse cerneret, exercitum, qui in Macedonia ad bellum Parthicum instruebatur, ad se vocat. Decimus Brutus venienti obviam factus praelio superatur, in quo non paucis amissis, ubi in campo se parum tutum videt, cum tribus legionibus, pluribusque gladiatoribus Mutinam se contulit. Antonius eum secutus urbem muro et fossa cinctam arctius obsedit. Bononia, Regium Lepidi, et Parma Antonio favebant; caetera Gallia pro Decimo stabat.

Interea Cajus Octavius ex Actia Cai Julii Caesaris sorore, vel ut alii malunt nepte, genitus se ab avunculo haeredem scriptum, et adoptatum intelligens opulentam haereditatem adiverat, arrogationeque a Populo Romano confirmata plures qui sub patruo militaverant quotidie excipiens, magnum jam exercitum contraxerat. Quare hostibus formidabilis factus adversus Marcum Antonium, a quo velut puer neglectus fuerat, acceptas iniurias ultum proficiscitur. Senatus quoque labentis Reipublicae rebus consulturus Antonio denunciat, ut dimisso exercitu ex Gallia in Macedoniam sibi ante creditam provinciam proficiscatur. Sed cum ad dominatum impotenter anhelans imperata facere nollet, Hirtio et Pansa aliis Coss. creatis, hostis Reipublicae declaratur. Praeter spretam Senatus auctoritatem id ei etiam objiciebatur, quod Galliam alii commissam sine decreto violenter invasisset; et legionibus, quae in Parthos ducendae erant, in Italiam traductis domum Romae armis contra leges instructam tenuisset.

Octavio praeterea, qui Reipublicae partes tueri videbatur, Praetori creato, statua erecta, et sententiae inter Consulares viros dicendae, decennioque antequam per legem liceret obtinendi consulatus jus datum, et bellum contra Antonium decretum fuit. Marcum quoque Æmilium Lepidum, qui et ipse tamquam Cai Caesaris magister equitum non mediocrem exercitum tenebat, et L. Munatium Plancum tunc in ulteriore Gallia Praetorem in ea expeditione ejus socios esse voluerunt. Decimus vero Brutus a Marco Antonio Mutinae obsessus, quamquam incredibili prudentia, et singulari virtute diu, fortiterque se defendisset, muro undique ab hoste cinctus omnem exeundi facultatem amiserat. Octavius, qui apud Forum Cornelii, nunc Imolam vocant, se per aliquot dies continuerat, de ejus salute sollicitus, dum Vibius Pansa Romae delectum habet, cum Hirtio altero consule contra Antonium pugnare constituit. Ex hibernis igitur primo quoque tempore educto milite Bononiam praesidio destitutam nullo negotio capit. Mox nonnullis equitibus hostium fusis ad Scultennam Mutinae flumen, nunc Panariam vocatum, perveniens ob praesidia ubique in ripa torrentis ab Antonio disposita, ultra progredi non potuit. Quare de Bruti deditione jam dubitans, ut eum in defendenda urbe confirmaret, nocte ex proceris arboribus igne praelato adventus sui signum ostendit. Id cum ille non intellexisset, rursus in tenni plumbi lamina litteras scriptas, et in epistolae formam complicatas urinatori clam sub aquis perferendas tradit. Itaque sociorum auxilio cognito Brutus eadem arte rescribens Octaviano omnem rerum statum declaravit. Ob novum copiarum adventum, difficilem Mutinae deditionem fore videns Antonius, Lucio fratre ad ejus obsidionem cum exercitus parte relicto, ipse cum expeditis cohortibus

contra Caesarem et Hirtium contendit. Levioribus primo utrinque certaminibus commissis, Celtarum equites, quos cum elephantis sibi Octavius adjunxerat, ad Antoninm defecerunt. Postea vero coepto universis viribus praelio. cum utrique aciem diu sustinuissent, tandem penes Antonium victoria fuit. Eo tempore Vibius Pansa sociis auxilium laturus Roma cum exercitu adventabat, quem, ne aliis hostibus conjunctus magnum rebus suis incommodum afferret, Antonius intercipere statuit. Dum proficiscitur, ne militum paucitate absens esse proderetur, partem exercitus late per vacna castra diffundi, levioribusque praeliis qnotidie hostes distineri jubet. Ipse obscura nocte cum duabus legionibus clam discedens insidiis inter palustres arundines collocatis Vibium apud Bononiam sauciatum feliciter fudit. Verum revertens in itinere ab Hirtio, qui Caesare ad castrorum custodiam relicto sociorum iniuriam ulturus properanti agmine veniebat, pugnare coactus, superatus fuit. Re prospere gesta tanta fuit victorum laetitia, ut non tantum Hirtius Consul, sed et Caesar, qui certamini non interfuerat, et Vibius, quamquam victus, laeta acclamatione ab exercitu et Senatu imperatores sint salutati. Qui in eo praelio pro republica ceciderant, publica impensa humati, et stipendia, quae viventibus dabantur, etiam liberis, et parentibus pia liberalitate assignata fuere.

Alia clades, quam Mutinae Pontius Aquila, unus ex Cai Julii percursoribus, et tunc Decimi Bruti Propraetor, Munatio Planco Antonii legato intulit, felicius gaudium fecit. Caesari et Hirtio ex prospera pugna adeo animus crevit ut sub ipsis hostis castris Antonium ad certamen audacter provocaverint. Sed is in adversis casibus fortunam tentare non ausus tamdiu se intra munitiones con-

tinuit, donec novi subsidii occasionem invenit. Per eos enim dies Marcus Æmilius Lepidus Iberiae Praefectus, Senatus jussu, Marcum Syllanum cum exercitu in Italiam miserat, quem parum reipublicae fidum Antonius inveniens opportune sibi adiunxit, novisque auctus viribus hostes invasit. Plurimi hinc inde cecidere, inter quos Hirtius Consul fuit; tandem in fugam versus Antonius, ut superstites copias colligeret, ad alpes contendit. Itaque Mutina obsidione soluta, Vibius alter Consul non multo post ex vulneribus ante acceptis decessit. Ob eam victoriam Octavianus, qui Romanis de regno concupito suspectus esse coeperat, consulatus spe frustratus fuit, et D. tantum Bruto triumphus decretus. Pontio quoque Aquilae, qui in praelio occubuerat, statua erecta, universaque pecunia, quam in conscribendo Decimi exercitu impenderat, ejus haeredibus liberaliter est persoluta. Sexto Pompejo Gnei filio classis, Marco vero Bruto Macedonia, et Cassio Syria, bellumque contra Dolabellam est mandatum. Ea contumelia commotus Caesar, nec parum etiam indignatus, quod Romae per ignominiam puerum se vocari intellexerat de concordia maturo consilio cum Marco Antonio et Lepido agitare coepit: quibuscum certo foedere inito, et Lepido ad confirmandas vires ex Iberia accersito, cum exercitu terribilis Romam proficiscitur. Praesentium copiarum vim veritus populus, quem sponte dare noluerat, invitus adhuc adolescenti, quod nulli antea contigerat, consulatum concessit. Ei Q. Paedius inani collegae titulo, sed re Propraetor, additus fuit. At D. Brutus Triumvirorum conjuratione cognita per Illyricos in Macedoniam ad Marcum Brutum transire decrevit. Sed dum in componendis nonnullis negotiis in Italia retinetur, qui praemissi fuerant milites, perfide ad Caesarem transeunt. Ipse

a caeteris paullatim derelictus, demum in medio itinere captus jugulatur. Itaque in Gallia, quam in suam potestatem redegerant, Marcns Antonius et Marcus Æmilius Lepidus Propraetoribus relictis, velut in patriam redituri Romam cum expeditis copiis contendunt. Inter eundum cum Octaviano, ut opportunum de occupanda republica consilium inirent, in insulam quamdam Labinii fluminis prope Bononiam soli in amnis ripa, omnium spectantibus legionibus conveniunt. Prius invicem scrutati, an occulta sub veste arma gererent, pacatas romani orbis provincias in quinquennium inter se diviserunt. Nominatim Caesari utraque Lybia, Sardinia et Sicilia attributa; Lepidus Hispaniam cum Narbonensi Gallia, Marcus Antonius Galliam Cisalpinam et Comatam obtinuit. Sociis ad belli, quod cum Caesaris percussoribus ineundum erat, expeditionem profecturis, Lepido in D. Bruti locum Consule designato, Roma, universaque Italia est commissa. Haec cum jurejurando confirmassent, militibus etiam ipsis velut testibus audientibus, palam publicarunt. Itaque Gallia Cisalpina a Marco Antonio tum regi capta, et postea Cajo Cassio et Marco Bruto occisis, cum alia novae divisionis conventio inita esset, eidem iterum est attributa. Haec regnorum societas, quae ab insita animis hominum ambitione raro conservatur, non diu inter triumviros permanere potuit. Fulvia enim Marci Antonii uxore, impotente femina, et Lucio Antonio Consule ejusdem fratre cum Caesare diffidentibus, redivivum inter eos bellum est suscitatum. Et cum tot alendis legionibus tributa non sufficerent, donariis templorum ex tota Gallia togata direptis, Marcus Antonius ingentem pecuniae vim, et magnam militum manum contraxit. Galliam vero nostram Q. Rufo Caleno Senatori a Marco Antonio commissam primo per

legatos occupare irritis conatibus Octavianus tentavit, postea ipse valido exercitu irrumpens Caleno opportune morbo consumpto, Antonianisque militibus ad se transeuntibus nullo negotio obtinuit. Defuncta interim Fulvia, cujus etiam mortis causam in Marcum Antonium plerique retulerunt, Triumviri denuo sunt conciliati, novaque orbis divisione facta utramque Lybiam Lepidus, et Siciliam Sex. Pompejus possedit; Asia et Graecia, et supra mare Jonium reliquae provinciae Marco Antonio obtigerunt. Octavianus vero Galliis retentis, quarum postea auxilio adversus Marcum Antonium non mediocriter adiutus est, Dalmatiam, Hispaniam et Sardiniam habuit. Et cum postea agros militibus divideret, praeter paucas civitates perduellionis reas, Gallia nostra, quam etiam velut nominis sui studiosam antea Cajus Julius Caesar immunem fecerat, hoc onus minime sensit. Demum Marco Antonio apud Actium terrestri et navali bello superato, orbis Romani imperium Octavianus adeptus, anno ab U. C. DCCXXV octavo idus januarii urbem triplici triumpho victor est ingressus, et Augustus appellatus. Quo primum tempore Gallia togata cum ceteris orbis partibus imperatoribus Romanis subjici coepit.

Eo extincto, aliisque post eum Caesaribus defunctis, cum ad imperium Nero pervenisset, Petrus Apostolus pluribus in diversas Italiae regiones ad Christianam religionem late propagandam discipulis dimissis, Apollinarem Ravennae Antistitem praefecit; qui multis editis miraculis primo eum populum ad divinum cultum traduxit, ac postea circiter annum Domini LX Regium profectus, saeviente in pios tyranno, non paucos nostrae urbis cives ad veram religionem clam convertisse dicitur. Ipse in salubri tradenda disciplina cum diu laborasset, saevo hoste

Ecclesiam persequente, primo flagellatus, deinde equuleo tortus, post septimum diem quam virgis caesus est, ut Ambrosius memorat, gloriose occubuit. Caeternm Nerone occiso, quo cum Caesarum stirps defecit, et Sergio Galba ejus sncccessore Romae trucidato, a praetorianis Marcus Salvius Otho Imperator est appellatus. Ab altera parte Germaniae exercitus et ipse avari principis scommate offensus, qui ne donativum a tribunis legionibus promissum solveret, se legere militem, non emere consuevisse dictitabat, solemni cal. januarii sacramento pro Galba recusato, A. Vitellium suum Praefectum, Augustum salutavit. Is, ut alterum Romae imperantem principatu deturbaret, dum validum ad tantam expeditionem exercitum instrueret, A. Caecinam patria Vicentinum cum copiis legatum in Italiam praemisit, qui opulentissima Italiae regione, quantum inter Padnm et Alpes jacet, occupata, Pannoniorumque cohorte apud Cremonam domita, alios centum equites et milites classiarios inter Placentiam et Ticinum intercepit. Contra Vestrùcius ab Othone ad arcendum ab Eridano hostem cum expeditis legionibus missus, Placentiae se munivit. Caecina eam urbem frnstra expugnare nixus, trajecto Pado, Cremonam proficiscitur, ubi a Svetonio Paulino praelio est profligatus. Bebriaci vero, qui vicus est inter Veronam et Cremonam duabus cladibus Romanis insignis, conversa fortuna superati Othoniani fuerunt. Demum Fabio Valente cum Batavorum cohortibus Caecinae conjuncto, Otho cum praetorianis supervenit, qui cum praeter omnium opinionem cum potenti hoste confligere decrevisset, amicis orantibus, ne ancipitis pugnae se periculo committeret, certaminis exitum expectaturus Brixillum concessit. Signis itaque, patente inter Padum, et viam campo, collocatis, prope Bebriacum adverso Marte

pugnantes Othoniani fusi fuere. Cladis nuntio allato, quamvis milites invicto animo se aciem renovaturos promitterent, animum despondens Otho morte finem bellis civilibns afferre statuit. Adveniente igitur vespere, primo gelidae aquae haustu sitim sedavit, deinde dnornm pugionum, qui allati fuerant, prius acie tentata alterum capiti subdidit. Tota nocte cum arctissimo somno quievisset, sub lucem expergefactns uno ictu se intra laevam papillam trajecit. Die, qno Bebriaci certatum fnit, innsitata specie avis apud Reginm nostrnm celebri in luco consedit, quae in coetu hominum circumvolitans, donec Otho extinctus fuit, nullo telo terreri abigive unqnam potuit. Eo demum temporis momento quo princeps expiravit, alitem ex ocnlis hominum sponte discessisse, hora diligenter explorata, constitit. Ubi Othonis obitns innotuit, magno ejulatu et lacrimis vulnus manusque surdi Augusti saepius osculatae praetoriae cohortes, tandem cadaver cum omni funeris, et pompae honore deploratum extulerunt. Quidam etiam nimia erga imperatorem charitate commoti juxta ejus rogum se interfecisse dicuntur. Sepulcrum humile, sed diu mansurum ei extrnctnm fuisse, nullo certo loco demonstrato, Cor. Tacitus memorat; mihi tamen nonnulli magnae auctoritatis viri, Othonis monumentum extra urbem nostram, nbi contra arcem nobile Divi Prosperi templum olim fuit, se vidisse testantur, quod postea ruina cadentis aedifitii oppressum nnsquam apparuit. In ejus belli expeditione, ubi Vitelliani trans Padum castra habuerant, incolae mnnitnm locnm et militaribus tectis refertum nacti, oppidum a victoris nomine Vitellianam dictum condiderunt. Ea est, quae nunc corrupto vocabulo Viadana dicitur. Nobili hac parta victoria, Cremonae Caecina et Bononiae Fabius Valens Vitellii

legati gladiatorum spectacula edituri, tertiae decimae legionis opera utrobique amphitheatris extructis, magna pompa celebratos ludos Vitellio exhibuerunt. Dum hi principes in Italia pugnant, Flavius Vespasianus a Syriacis legionibus imperator eligitur; cujus exercitus, fusis apud Bebriacum Vitellianis, hostium partes faventem Cremonam, quae mox tamen restituta est, anno postquam condita fuerat CCLXXXVI crudeliter diruit. Extincto Vitellio, Vespasianus et qui postea secuti sunt imperatores cum universa Romanorum ditione nostram quoque provinciam usque ad Maximiani et Constantii tempora rexerunt (1). *Interea circa annum salutis CXCI, Commodo Sex. et Marco Petronio Septiniano Coss., Centonarii Regienses Julianum sibi patronum crearunt, ut aerea tabula ann. MDXC in aedibus Cassolorum non longe a Foro inventa indicat. Erant autem Centonarii a Curia ad exigenda tributa electi. Tabulae inscriptio est sequens.*

IMP . CAES . M . AVRELIO . ANTONINO . AVG . PIO
FELICE . VI . M . PETRONIO . SEPTIMIANO . COS .
X . CAL . APRIL . IN . TEMPLO . COLLEGI . FABRORVM . ET
CENTONARIORVM . REGIENSIVM . QVOD . REFERENTIBVS . P . SABNIO . MARCELLINO
ET . C . AVFIDIO . DIALOGO . QVAESTORIB . V . F . TVTILIVM . IVLIANVM . VIRVM
ET . VITA . ET . MODESTIA . ET . INGENITA . VERECVNDIA . ORNATVM
ET . LIBERALEM . OPORTERE . COLLEGI . NOSTRI . PATRONVM . COOPTARI
VT . SIT . CAETERIS . EXEMPLO . IVDICI . NOSTRI . TESTIMONIVM
Q . F . P . D . E . R . I . C .
SALVBRI . CONSILIO . TAM . HONESTAM . RELATIONEM . A . QVAESTORIBVS . ET
MAGISTRIS . COLLEGI . NOSTRI . FACTAM . ET . SINGVLI . ET . VNIVERSI . SENTIMVS
ET . IDEO . EXCVSANDVM . POTIVS . HONESTO . VIRO . IVLIANO . HVJVS . TARDAE
COGITATIONIS . NOSTRAE . NECESSITAT . PETENDVMQ . AB . EO
LIBENTER . SVSCIPIAT . COLLEGI . NOSTRI . PATRONAT . HONOREM
TABVLAMQ . AENEAM . CVM . INSCRIPTIONE . HVJVS . DECRETI
IN . DOMO . EJVS . PONI . CENSVERVNT.

---

(1) Nel Codice Estense manca l' iscrizione qui riportata.

Postea vero Maximianus et Constantius Constantini pater a Diocletiano et Maximiano Herculeo imperatoribus primum Caesares creati, hoc est principes designati, et illis imperium deponentibus, etiam Augusti declarati, in duas partes Romanorum orbem primi diviserunt. Maximiano Illyricum et cum Oriente Asia; Constantio cum Africa, Italia, Gallia, Hispaniaque obtigit: sed vir modestissimus Gallia Hispaniaque contentus, reliqua Gallerio concessit. Caeterum Maxentio Herculei Maximiani filio Romae a tumultuantibus praetorianis Augusto creato, Constantinus, qui ex Constantio in Britannia genitus praeclara in Galliis facinora gesserat, a Senatu adversus tyrannum accitus, in Italiam venit. Ac cum imminentis belli periculum animo saepius volveret sublatisque in coelum oculis divinum auxilium supplex imploraret, per quietem ad orientalem plagam Crucem igneo fulgore rutilantem sibi cernere visus est. Eo aspectu exterritus, novaque visione perturbatus, Angelos ad se clamantes audivit: Constantine, *εν τουτω νικα:* hoc est, *per hoc vince.* Ob id ingenti gaudio perfusus, ac jam de victoria minime dubitans, Crucis signum, quod in coelo viderat, in fronte prius notatum, etiam in signa militaria transtulit. In primisque labaro, quod erat aureum totius exercitus vexillum, unionibus gemmisque exornatum alta Cruce praefixo, ac dextera manu eodem signo munita, ad pugnandum proficiscitur. Contra Maxentius, divino impellente numine, pontem Milvium ingressus, quem subjectis machinis ad submergendum hostem paraverat, repente solutis navibus substratis, in profundum est demersus, et bello finis impositus. Victoria nullo districto gladio parta, Constantinus Christum totius triumphi auctorem omnibus lata lege colendum praescripsit. Tum pii homines, qui tyrannorum

metu eo usque latuerant, ubi christianos regnare audiverunt, incredibili omnes laetitia perfusi, libere in publicum prodire, idolorum templa diruere, supplices immortali Deo gratias agere, quod Filii sui venerandum nomen ab omni iniuria tutum fecisset. Regii insigne Baccho erectum fanum a feminis fluxo crine thyrsum ad orgia celebranda quatientibns vesano furore frequentabatur: quod a civibus, ad rectum Dei cultum palam revocatis, populo certatim ad tollendam superstitionem concurrente, uno impetu effracto Dionysii simulacro, solo aequatum fuit. Id postea, ut esset maxima civitatis aedes, ubi Divae Genitricis in coelum susceptae memoria coleretur, ingenti omnium studio est restitutum. Aliis quoque daemonnm aedibus dirutis, Divi Apollinaris nomine, qui primus ad Christianam pietatem Regienses converterat, templum, quod nunc Divi Augustini dicitur, conditum fuit. Maximino vero, qui in Oriente imperabat, primnm praelio fuso, mox insanabili morbo consumpto, et Licinio sororis viro, qui in pios saeviebat, expulso, Constantinus solus imperium tenuit. Is cum decennio regnavisset, votis pro ejus salute publice susceptis, quae Decennalia vocabantur, Constantinum primogenitum, Caesarem creatum, Italiae principem fecit. Haec Decennalium consuetudo ab Augusto originem trahit, qui tamquam imperium reipublicae restiturus, gestorum rationarium Senatui et magistratibus tradidit; sed curia, vel metu, vel ex composito reclamante, principatum usque ad decennium tantum se retenturum denuntiavit. Eo tempore elapso, cum rursus ejurare imperium vellet, Senatus in alios atque iterum in alios decem annos, quibus mortem obiit, imperium prorogavit. Inde postea observatum est, ut ejus successores, quamvis perpetui Augusti essent, tamen decimo quoque anno velut

principatum renovantes, celeberrimos ludos ederent. Ea festa decennalia, vicennalia et tricennalia, quae in proximos decem annos, viginti et triginta pro salute principis vovebant, dicta fuere. Itaque etiam in vetustis numismatibus scriptum legitur *Vot. X, Vot. XX:* hoc est *votis decennalibus* et *vicennalibus.*

Interea Helena Constantini mater, singulari pietate mulier, inquirendae Dominicae Crucis gratia Hierosolymam petit. Nominis christiani hostes, ut omnem Servatoris memoriam abolerent, Crucem in puteo alte suffosso condiderant, superque congesta terra Veneris templum erexerant. Fano dejecto, et ruderibus purgato loco, cum Domini monumentum apparuisset, tres confuso ordine repertae sunt cruces, quarum una Christi, duae latronum fuerant, sed eam, quae Dominum sustinuisset, triplex titulus, et mortuae mulieri vita reddita et alteri aegrotae, cui admota est, sanitas restituta, palam fecit. Ejus particulam postea Regium delatam, et in majore templo conditam fuisse ferunt. Caeterum tantum Ecclesiae tranquillitatem et concordiam Arius Alexandriae sacerdos perturbavit, qui vesano et pestilenti dogmate summi Dei Filium, velut a Patre diversum, etiam aeternum esse negabat. Sed in Nicaena synodo aliisque damnatus, cum, favente Constantio, rursus ad sacram aedem sententiam suam defensurus accederet, ventris exonerandi gratia secedens, cum intestinis sceleratam animam emisit. Ei succedens Macedonius impiam sectam tanta pertinacia sustinuit, ut execrabile dogma etiam a principibus receptum amplius ducentis annis Christianos infecerit. Inter haec Constantinus, veniente Vicennalium celebritate, Constantium alium filium Caesarem creatum Orienti praefecit. Interea anno salutis CCCXIV, et CCCXX Regii jura condidit, nec multo post

Bysantium urbem ad fauces Bosphori Thracii clarissimam anno cccxxxiii imperii sedem transtulit, et a se Constantinopolim nominavit. Tricennalibus vero adventantibus, cum alium filium Constantem Caesarem fecisset, e vita cessit. Moriens praeter liberos etiam Dalmatium, Dalmatii fratris defuncti filium, et Gallum morbo implicitum, Julianumque infantem alterius fratris Constantii filios reliquit. Ex defuncti Augusti liberis, Constantinus natu maximus Gallias, Hispanias, Britanniamque obtinuit; Constanti Italia cum Illyrico et Graecia est concessa. Constantius, aliis patruelibus neglectis, cum Dalmatio Orientem habuit, qui post duos annos, quam imperare coeperat militari factione oppressus saevam inter superstites de principatu contentionem reliquit. Constantinus enim Constantis regno invidens, ut fratrem imperio impie deturbet, ingenti contracto exercitu alpes superat; sed dum prope Aquilejam cruento praelio pugnat, in factiosum conversa poena, misere occiditur. Itaque extincto fratre in Italia, pacatum totius Italiae imperium Constans est consecutus. Verum non multo post eo quoque Magnentii, qui principatum affectabat, dolo interfecto, ac parricida supplitio affecto, Constantius ubique solus imperavit. Cum vero se prole carere cerneret, Gallum fratrem patruelem, cui Constantii nomen indidit, Caesarem creat; qui cum ad Augustam dignitatem praemature anhelaret, a principe occisus, Julianum successorem habuit. Is, Barbaris apud Rhenum feliciter superatis, superbus et ipse ambitiosius se Augustum appellavit, Constantio apoplexia eo tempore sublato, solus rerum est potitus. Demum Christiano nomini semper infestus, dum contra Persas pugnat, incerto jaculo transfixus, anno imperii tertio, et vitae trigesimo primo interiit. Moriens, ad coelum sanguine projecto, clamasse dicitur:

vicisti tandem, Gallilee: ita enim Christum appellabat. Post hunc Jovianus genere Pannonius, qui legionis Praefectus fuerat, vir pius, deinde Valentinianus, et ipse Pannonius ex urbe Cibala, imperarunt. Is Valenti fratri Asia, et Ægypto traditis, Hesperiam sibi retinuit. Cum vero ex Severa conjnge Gratianum, quem Caesarem fecit, suscepisset, contra divina, humanaque jura Justinam aliam uxorem superinduxit. *Haec virgo antea in palatio familiarius versabatur, postea Magnentio nupta viro defuncto,* et cum in balneo cum Augusta lavaretur, Severa virginis formam admirata, puellae pulchritudinem apud maritum inconsultius laudavit, ut etiam se mulierem ejus amore captam esse fateretur. Ad haec verba intemperantius commotus Valentinianus, lege lata, qua duas uxores habere permittebatur, nefarium cum Justina matrimonium contraxit, ex quo Valentinianus junior, Justa, Grata et Galla filiae natae fuere. Illis innuptis permanentibus, Galla Theodosio majori nupsit. Sed non multo post Valentinianus pater erumpente ex venis sanguine anno imperii undecimo extinctus, intemperantiae suae poenas dedit. *Sed alii verius, Severa jam mortua, Valentiniano Justinam nupsisse sentiunt.* Praetoriani Valentinianum filium Gratiano fratri, id aegre ferenti, imperii socium addiderunt.

Inter haec Gothi, qui ex Gothia ultra Hyperboreos montes insula descenderant, et cum innumeris mortalibus trans Istrum sedes posuerant, Romanorum principum tranquillitatem turbaverunt. His duo erant duces Fridigernus et Athalaricus, inter quos orto cruento praelio, superatus Fridigernus ad Valentem in Oriente imperantem confugit; cujus opibus, atque armis adiutus, renovato certamine, hostem vicit. Sed non multo post Gothi ab Hunnis pulsi, cum novas sedes quaerere cogerentur, a Valente Thraciam

impetrarunt, qui novarum gentium utilem sibi in bello operam fore arbitratus, exinde negligere milites coepit. In ea sententia id etiam stolidum principem confirmavit, quod Farnobio cum Thaiphalis Thracias populante, Fridigernus, conserta manu, plures barbaros trucidaverat, nec paucos in potestatem vivos redegerat, quos Valens autumno jam in hiemem vergente, anno ferme CCCLXXIX circa Mutinam, Regium et Parmam ad rura colenda dispersit. Hanc Thaiphalorum gentem obscenam, et abominandis impudicae vitae flagitiis pollutam fuisse Ammianus Marcellinus scribit. Nefando enim concubitu puberibus commixti, eos nisi vel irruentis apri impetum fortiter sustinuissent, vel immanem ursum soli interfecissent, a nefariae libidinis jugo non liberabant. Non desunt etiam, qui nostros rusticos, quamquam honestiorem vitam amplexos, ab illis procreatos fuisse autument. Postea vero Gothis infesta arma in Valentem perfide convertentibus, dum ille in propinquo vico pugnae exitum incautius expectabat, ab hostibus praeventus in humili casa anno imperii decimo sexto, et vitae quinquagesimo vivus concrematur. Tum Gratianus, Valentiniano fratre in Italia relicto, Orientis regnum cepit, et Theodosium Hispanum, cujus opera Gothos profligaverat, imperii consortem fecit. Cum vero Maximus ex Britanniis se imperatorem appellasset, Andragatius ejus dux lectica delatus se Gratiani uxorem esse simulat, et principem ad se velut ad conjugem venientem, e strato prosiliens, anno imperii decimo quinto, et vitae XXIV interfecit. *Nec multo post in Italiam irrumpens Maximus, Placentiam, Regium, Claternam, Mutinam, Bononiam, et alias urbes dire afflixit, abductisque in captivitatem civibus, diripuit et incendit, ut auctor est Pacatus, et Divus Ambrosius.* Theodosius tan-

tum facinus ulturus, Mediolanum, ubi tyrannus erat, cum expeditis copiis contendit, cui milites, non expectato conflictu, Maximum vinctum tradiderunt. Opima victoria citra sanguinem potitus Theodosius, Romae cum Valentiniano celebri acto triumpho, Constantinopolim revertitur. Nec multo post, quod Eugenius Grammaticus, vir eruditus, sed factiosus, qui relictis scholis, principi ab epistolis serviebat, per Eunucos Valentiniano dormiente necato, se imperatorem appellavisset, in Italiam regredi coactus est: ubi commisso praelio superatus Grammaticus, dum ad principis pedes advolutus sceleris veniam supplex petit, a militibus est obtruncatus. Tot tumultuosis factionibus vexata Gallia Cisalpina, cum finitimis urbibus nostram quoque civitatem ruina deformem fuisse Ambrosius testatur, qui in quadam epistola, Quadernam, Bononiam, Regium, Mutinam, Brixillum et Placentiam urbes semidirutas se vidisse memorat. Caeterum Theodosius anno imperii decimo sexto, et aetatis sexagesimo Mediolani decedens, Orientis principatum Arcadio et Hesperiae Honorio liberis ex Placilla susceptis reliquit. Ea tantae probitatis mulier fuit, ut quotidie in nosocomiis insigni charitate valetudinariis ministrare, et vilissima quaeque, servis imperari solita, suis manibus exequi non erubuerit. Arcadius, cum annis tresdecim post patris obitum regnavisset, Theodosio filio annorum octo sub Anthemii Praefecti, et Isdigerdis Persarum Regis tutela relicto, anno aetatis trigesimo primo immatura morte ereptus decessit. Eo vivente Gothi, qui trans Istrum relicti fuerant, flumine trajecto, Romanorum terram incoluerunt. Hi multitudine innumerabili iisdem moribus linguaque utentes, in quatuor gentes divisi fuere: Gothos, Hypogothos, Gepidas, et Vandalos. Cum Hypogothis Gothi primo Pannoniam, deinde anno imperii Theo-

dosii junioris decimo nono Thraciae villas annis quinquagincta octo incoluerunt, donec sub Theodorico Italiae ditionem tenuere Gepides, a quibus postea Longobardi et Avares sunt divisi, circa Sirmium et Singidonem Pannoniae inferioris urbes, prope Danubium villas habuernnt. Porro Vandali, Alanis et Francis Germaniae populis sibi adscitis, et Modiglisco duce, Rheno superato, in Hispaniam irrupere. At Hypogothi Romam populati sub Alarico in Gallias abierunt. Is in bello paucis ante annis contra Engenium gesto, egregiam virtutem sub Theodosio ostenderat, et, cum magno se apud omnes in honore esse cerneret, puero principe neglecto, barbara feritate Illyriam in primis devastavit, mox Romam profectus urbem biennio postquam obsideri coepta esset, dolo cepit atque diripuit. Sed, cum Honorius, qui Ravennae degebat, magno cum exercitu adventare diceretur, discedens, matura fuga sibi consuluit. Snnt qui a Stilicone Honorii socero, imperinm in se transferre cogitante, eum accitum ferant. Tandem, dum Honorii permissu Gallias Alaricus petit, ad Polentiam prope Astam in subalpinis oppidum, quo die reviviscentis Domini memoria renovatur, Saulem Judaeum Stiliconis ducem, a quo ex insidiis circumventus fuerat, infracto animo confecit. Hac victoria tumidus Barbarus, ob acceptamque injuriam ira praefervidus, totam Æmiliam, et una Regium, et Mutinam vastasse, mox in Gallias concessisse dicitur. Demum Honorio extincto, Theodosius Valentiniano tertio ex Galla Placidia amita consobrino, cui admodum puero Eudoxiam filiam nuptui collocaverat, Hesperiae principatum commisit. His, angusta sede Ravennae posita, anno circiter a salute humana CCCCXL ei tresdecim urbium episcopos, et cum his etiam Regiensem subjecit. Eas civitates, cum longo nsu nulli Archipraesuli

posteriori tempore parerent, primo Aripertus Longobardorum rex, deinde Pipinus, et postremo Carolus cognomento Magnus iterum sub jus Ravennatis pontificis revocarunt. Ob id diversarum provinciarum Regium et Cremonam fuisse non obscuro errore aliqui etiam celebres viri crediderunt. *Anno antequam haec fierent, sub Xisto III Concilium generale celebratum fuisse invenio*. Quo tempore Atila genere Scytha superbo titulo flagellum Dei se vocans, Bdella seniore fratre ejecto, solus eorum Scytarum, quos Hunnos vocant, imperium tenuit: atque hostili animo Italiam ingressus, Aquileia, Vicentia, Brixia, Bergomo, Mediolano, aliisque in nostra regione civitatibus quae Ariana secta infectae erant eversis, etiam Bononiam diripuit. Nonnulli eum quoque Regium pervenisse putant, sed nulla de hoc, quam viderim, extat auctoritas. Is deinde infestis signis Romam iturus, ad Mincii ostium a Leone Pontifice Maximo, vel minis vel precibus in Pannoniam reverti compulsus est. Eo enim loquente, duos viros ensibus strictis Barbaro, ni retrocederet, minitantes visos fuisse ferunt, et eum ultra alpes redire coegerunt. Hi Petrus et Paulus Apostoli fuisse credebantur. Interea Maximus, Maximi tyranni nepos, Valentiniano occiso, Eudoxiaque ejus uxore sibi coniuncta, Hesperiae imperium occupavit. Augusta attritis Orientis opibus nullum a patre auxilium sperans, Gensericum Vandalorum regem, qui Libyam invaserat, ad liberandam ab impotenti tyranno Italiam vocat. Is Romam veniens, Maximo occiso, atque urbe auro gemmisque spoliata, et templorum ornamentis ablatis, etiam vasa, quae Titus Vespasianus, captis Hyerosolimis, Romam detulerat, cum Eudoxia, et filiabus in Africam transportavit.

LIBER SECUNDUS

Hactenus paucis Regiensium rebus, quas ex obscura vetustate eruere potuimus, breviter relatis, plura ad provinciam Galliam Cisalpinam pertinentia, quam urbis nostrae propria, exposui. Nunc Regii gesta plenius explicaturus a Divo Prospero civitatis nostrae patrono et episcopo religiosissimo (quod ejus honori sit tributum) exordiar. Septem ante eum antistites, Protasius, Cromatius, Antoninus, Helias, Santinus, Carosius, et Elpidius nostram ecclesiam rexisse feruntur. *His additur Faventius, qui Regiensis episcopus nominatur in provinciali synodo Mediolanensi, cui anno salutis quadringentesimo quadragesimo primo subscripsit, nec de alio Regio, quam Lepidi, potest intelligi, qui Metropolitano Mediolani suberat.* Hos secutus Prosper octavus praesul Regiensibus praefuit, vir omni vitae sanctitate insignis, genere Aquitanus, quem tum ob summam eruditionem ex scriptis, quae etiamnum extant, satis declaratam in magno praetio fuisse Platina in vitis Pontificum prodidit (1). Is ex Lemovicena urbe nobilibus ortus parentibus, cum sacris esset initiatus, paternum patrimonium pauperibus elargitus, Romam Petri

(1) In Leone I.

et Pauli limina veneraturus venit; ubi doctrina, et incorruptis moribus clarus apud Leonem Pontificem summa cum laude scribae offitio *ab epistolis* functus est. Mox ad Nicaenam synodum missus Eutichianorum, Nestorianorumque amentiam cum disputando acerrime refutasset, altiori gradu dignus est judicatus, *eumque mirifice juvit in confutandis Manicheorum, Pelagii, aliorumque haeresibus*. Erat tum Elpidius Regii, *vel ut alii volunt Faventius,* antistes in extrema senecta difficili aegritudine adeo implicitus ut intra paucos dies moriturus crederetur. Deficienti igitur seni Prosper a Leone laborum socius additus anno ccccxliv, etiam Regiensium episcopus designatur. Iamque ut traditum munus susciperet, iter ingressus erat, cum, Elpidio mortuo, populus optimi pastoris cura destitutus de successore sollicitus esse coepit. Tum spectatae vitae sacerdos omnem curam ademit, divinitus se monitum asserens sanctissimum adventare antistitem, qui exemplo et doctrina destitutam ecclesiam sit instituturus. Litteris vero a summo Pontifice de Prosperi electione acceptis, cives, quibus viri probitas nota erat, squalore deposito, universi in venientis praesulis occursum effusi eum laetis acclamationibus susceperunt. Urbem ingressus, *et in cathedra collocatus hujusmodi orationem habuit.* " *Video,*
„ *Frates carissimi, quantum meis imbecillibus humeris*
„ *onus impositum fuit, neque enim major, quam anima-*
„ *rum cura demandari cuiquam potest, quod quidem onus*
„ *eo certe gravius est, quo qui regendi sunt majora et*
„ *paucis concessa expectant. Judiciis enim hujusmodi et*
„ *concitatis sui opinionibus respondere difficillimum est.*
„ *Videre jam videor, quid expectetis, et quid de me vobis*
„ *polliceamini. Quare dandam mihi enixe operam intelligo,*
„ *ne quid a me praetermittatur, quod ad verum animarum*

„ *Pastorem pertineat. Verum quia scio quantum fiat levior sarcina, quam plurium colla sustentant, meoum hoc, Filii, onus dividite, et sanctum opus partimini; quod erit facile, si vestrae salutis, si mandatorum Dei memores mutuam charitatem amplexabimini: de qua velut de quodam uberrimo fonte mirifice virtutes emanabunt, scilicet humilitas, proximi dilectio, pax certa, et animorum concordia: quibus quidem bonis si non carebitis, sicut carere vos minime decet, nusquam a nobis Christus aberit, et prospera vobis omnia cedere videbitis. Hoc erit quod modo dixi, quodque in primis opto meum onus dividere: faciliora enim sic mihi, et leviora fient omnia. Nihil enim tam durum, ac tam laboriosum regenti est, quam in perversa hominum incidere ingenia, quae quo longius a recti semita abierint, hoc difficilius a facinoribus et improbitate sua retrahuntur. Subditorum virtutes ac vitia aut suavem, aut duram faciunt regentis administrationem. Vos quidem, dilectissimi, populus Dei, et oves pascuae illius estis. Quare si tales eritis, quales vos maxime futuros spero, et opto, cessura vobis, et mihi feliciter omnia, praesente Deo, minime dubito. Ut autem tales esse possitis, Deum vobis in rebus omnibus proponite, illum in primis colite, et illum ut aequissimum dictorum, et factorum omnium nostrorum judicem veremini; justum retributorem, si recta sequemini, districtum vindicem, si mandatorum illius contemptores inveniemini. Haec sunt quae in hujus nostrae pastoralis curae primordiis vobis dicenda putavimus, quibus et bene currentes in cursu contineamus, et segniores, si qui sunt, ad tardam metam, tamquam subditis calcaribus excitemus* „. Cum vero Prosper piis sermonibus frequenter populum instituerat, quasdam etiam

contra Cassianum haereticum, etsi auctoris titulo liber careat, et ad Leonem eruditas epistolas conscripsit. Pluribus aliis carmine, ac pedestri oratione, ex christiana doctrina exaratis, etiam Divi Hieronimi chronica a Valentiniano usque ad Theodosium secundum supplevit. Ecclesiasticam quoque historiam, quae nusquam tamen apparuit usque ad ea tempora, ab eo scriptam fuisse ferunt. Caeterum Ariana labe jam universum orbem occupante, quosdam Regii impium dogma docentes, nec paucos in divi Thomae templo, quod ab ipsis conditum fuisse ferunt, sibi aggregantes populi consensu Prosper urbe eiicere coactus est. Turrim quamdam ad Gabellum, unde amnis aqua in urbem derivatur, ad omnem eorum qui aquaeductum impedirent vim arcendam, antea Regienses erexerant. Ibi Ariani aedibus extructis locum in castelli formam redegerunt. Quod tum ab Arianis castrum Arianorum, et nunc corrupto vocabulo Castellaranum vocatur. Inde ad fana in Martyrum honorem aedificanda conversus Antistes templum extra muros contra arcem in Beati Apollinaris memoriam, qui primus Regienses Christianos fecerat, aedificavit; quod intra septa coenobii Divi Prosperi postea conclusum vidimus; sed injuria temporum et bellorum calamitate omnibus suburbiis eversis, etiam venerandum illud sacellum dirutum fuit. Cum vero continuo jejunio afflictus viginti tribus annis singulari disciplina Regiensem ecclesiam Prosper rexisset, ubi vitae finem prope esse sensit, sacratos viros, urbisque primates convocat, quos pia oratione ad divinum cultum constanter retinendum exhortatur. " *Video, dilectissimi, quantus* „ *pectora vestra moeror occupaverit, quia meae vitae finem* „ *adventasse cernitis: nec miror; scio enim quam mole-* „ *stum sit amantibus disjungi, cum praesertim sic ab*

„ *aspectibus invicem separentur, ut visuri eos amplius non* „ *sint, quorum praesentia maxime delectentur. Vehemens* „ *istud desiderium vera charitas gignit, sed moderate* „ *illud ferendum est, ubi credunt, qui remanent, multo* „ *utilius esse discedentibus proficisci, quam hic diutius* „ *esse. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apostolo cupio* „ *dissolvi, et esse cum Christo: ea est meta ad quam* „ *jamdiu propero, et ad quam semper omnia mea contuli* „ *vota. Quare a vobis sic discessurus sum, ut multo* „ *magis imposterum sim vobiscum futurus. Neque velim* „ *discessum hunc a vobis meum arbitremini, sed ad longe* „ *meliorem statum accessum, ubi multo utilior vobis sum* „ *futurus, si in dilectione, ad quam vos semper hortatus* „ *sum, permanseritis; si mutuae charitatis et mandatorum* „ *Dei memores eritis. Si enim putatis me potuisse vobis* „ *hucusque prodesse, qualem me futurum erga vos dein-* „ *ceps credere debetis, ubi inexaustum bonorum omnium* „ *thesaurum attigero? Igitur abstergite jam lacrimas, et* „ *finem flendi facite, et gaudendum magis hac in re vobis* „ *quam dolendum existimate* „. *Haec cum dixisset et sacerdotibus, et quam plurimis de populo qui frequentes advenerant benedixisset, oculos et manus ad coelum sustulit, et cum mire ejus facies exhilarata resplendisset, omnibus qui aderant stupentibus, ac psalmis, hymnisque ad feliciorem vitam migrantem animam comitantibus,* demum anno CCCCLXVIII septimo cal. Julias decessit, qui dies apud nos magna celebritate festus agitur. Cadaver, populo tanti viri excessum deplorante, in Apollinaris aede, ut ipse praeceperat, religiosissime conditum fuit: *plurimaque tunc miracula edita fuisse dicuntur. Ejus gesta Joannes Antonius Flaminius collegit, et ab eo scripta fertur famosissima ad Flavianum epistola de Incarnatione Verbi,*

Coss. Olibrio et Rustico. Iisdem temporibus fuit alter Prosper in Gallis episcopus Aurelianensis D. Aniani successor, ad quem epistola Sydonii Apollinaris. Petrus scribit Divum Prosperum obiisse anno CCCCLXV. Ei postea successit. Thomas nonus antistes, *si Divum Prosperum octavum ponamus,* vir religione praeclarus, sedente Romae Hilario I Summo Pontifice anno CCCCLXX. Is dum ex more in templo oraret subito sopore oppressus, et a Divo Prospero monitus esse fertur, ut sacellum ampliaret: quare expergefactus magnificum Divi Prosperi coenobium cum templo eodem in loco aedificavit; ejusque reliquias suavissime redolentes priore extractas tumulo, hymnos concinentibus religiosis, atque universo spectante populo sub maxima novi templi ara ootavo calendas decembris honorifice collocavit. Fama est tum caecos visum et surdos auditum recepisse, plurimos quoque a deploratis morbis sanatos, ac immundis spiritibus liberatos fuisse: eam ob rem is dies festus apud nos translationis nomine solemnius celebratur. *Alii tradunt translationem hanc a Thoma antistite e Mutorum familia factam fuisse anno* 700.

Caeterum Valentiniano occiso intra paucos annos diversi principes successerunt, donec Costantinopoli Flavius Valerius Zeno, Romae vero Orestes cum Augustulo filio Imperatores creati fuere. Horum principum tempore Odoacer cum Erulorum, et Turingorum, aliarumque gentium comitatu ab extremis Pannoniae finibus venit, et Oreste Placentiae interfecto, totam Italiam occupavit. Is primus fuit, qui ex barbaris Romanorum rex appellatus apud nos sedem collocavit. Augustulus in tam adversa fortuna, patre amisso, animum despondens ultimus Romae imperator principatum deposuit. Nos vero prius pluribus hostium incursionibus vexati, his tandem Barbaris tertia

etiam agrorum parte mulctati turpiter servire coepimus [1]. Eruli multas suo furori resistentes urbes barbara feritate ad solum demolitas, in his etiam Mutinam anno CCCCLXXII funditus evertisse dicuntur. Sed ea biennio post incredibili celeritate unius anni spatio a civibus, ut in eorum annalibus continetur, non modo pristino splendori restituta sed etiam ampliata fuit. Regium vero non dirutum, sed Brennonis tertii Saxoniae, vel, ut alii malunt, Pannoniae regis, quem cum Odoacre in Italiam venisse in vetustissimis annalibus legi, beneficio conservatum fuisse invenio. Cum enim ingenti instructus exercitu Galliam Cisalpinam ingressus Mutinam vastasset, vicinorum casu perterriti Regienses ad Petram Situlam, quae nunc Bismantua dicitur, trepidantes confugerunt. Locus is est in alto, et praerupto saxo ad Gabellum fluvium amplius ducenta frugifera jugera continens, ad quem angusto et difficili calle ascenditur. Ibi erecta turris confragosum aditum occupans efficit, ut soli tres viri inaccessi montis natura muniti se ab innumero exercitu facile tueri possint. Ob id inter memoranda Galliae Cisalpinae loca, illa eminens Petra ponitur. Aliam huic similem in Sogdianis fuisse Quintus Curtius memorat [2], quam Alexander magnus expugnavit. Eo saxo, velut munitissima arce, a Regiensibus occupato, Brenno Regium ingressus neminem praeter duos sacerdotes ad aedis majoris custodiam relictos offendit. Tantae solitudinis causam sciscitatus ab his, populum timore novarum gentium secessisse intelligit. Ut igitur turpem de se conceptae crudelitatis notam deleret, cives ad patrium solum recipiendum per nuntium clementer

(1) Procop. in I de bell. Goth. et Paul Diac. lib. XVI.

(2) Lib. VII.

invitat, et omni se humanitate usnrum pollicetur. His adhortationibus metum solventes Regienses instructa acie, explicatoque albo vexillo, cui intexta erat rubens aquila olim a Caesare civibus donata, revertuntur. Brenno venientes ad portam Clodiam humaniter amplexus in suam quemque habitationem restituit: ad confirmandosque territorum animos, instaurato semiruptae portae muro, eam quae tunc Clodia ab aliquo, ut arbitror, Clodio Romano vocabatur, a se, quod nomen hodie quoque manet, Brennonis portam appellavit; saxumque incisis litteris rem gestam indicantibus cum sua effigie ad facti memoriam conservandam pro moenibus posuit. Urbe postea libertatis tempore amplificata, porta in ulteriorem locum translata, ac demum nostris temporibus obstructa fuit. Litteris vetustate corrosis in saxo, quod ego depositum inveni, vix Brennonis nomen legi poterat. Is forte est Brennus, quem Divus Hieronimus in epistola ad Demetriadem, de continentia virginali servanda, Brennum sui temporis nominat. Alii non a Brennone, sed a Cambiatoribus eam portam restitutam, et a recenti regis benignitate Brennonis dictam fuisse autumant. Cum enim ut aliae Galliae Cisalpinae urbes, Regium moenibus careret, et semidirutum pagi formam haberet, discedente barbarorum exercitu de munienda civitate inter Decuriones agitatum fuit. Interea acclamante populo id opulentiorum munus esse, hoc negotium primatibus est demandatum. Florebant tum genere et opibus in urbe supra caeteras quatuor familiae Sclatarii, et qui a charitate nominabantur, Roglerii et Cambiatores, qui ab albo patriae vexillo, quod custodiebant, scutum album a rubente fascia divisum pro domus insignibus tulisse dicuntur. Ex his quatuor corporis forma germani fratres praestabant, Nicolaus, Anginulphus, Albri-

conus et Tarasconus: sed primus tantum Cambiatorum appellationem retinuit; tres postremi equestri etiam dignitate honestati in diversi nominis stirpes abierunt. Ex illis enim Anginulphi, Albriconi, qui album scutum in glaucum commutarunt, et Tarasconi nunc Parmae incolae descendunt. Primi igitur Cambiatores, ut munus sibi a populo injunctum explerent, non longe a suis aedibus Divi Stephani et Divi Gosmerii apud Sanctum Thomam, ubi antiquus urbis ambitus finiebatur, et Brennonis cujus supra meminimus, portas reparavisse feruntur. Gentiles vero a charitate Divi Nazarii ubi nunc arx spectatur portam condiderunt. Aliam Castelli a proximo urbis castello vocatam apud Divum Georgium, ubi tum civitas terminabatur, Roglerii suis aedibus proximam erexerunt. Sclatarii vero Divi Petri, et Pontis Livonii prope Divi Prosperi templum portas aperuerunt, quae numero septem undique extrnctis aggeribus ab externorum injuria cives tutos faciebant.

Caeterum Eruli cum sociis totam Italiam usqne ad Gothorum adventum tenuerunt. Leonis vero Augusti tempore cum Illyricnm vastavissent, demum inita pace Caesari Theodoricum Thiodemeri filium obsidem dedernnt, quem ob mornm elegantiam, et generis claritatem a Leone ad se liberaliter remissum, postea regem creaverunt. Eidem Consuli declarato ad imperium evectus Zeno, ut barbaros sibi devinciret, etiam aeneam equestrem statuam ante palatium collocavit, ac demum Italiam a barbaris detentam concessit. Is igitur ex Thracia egressus primo praelio apnd Aquilejam, deinde altero apud Veronam Odoacrem anno CCCCXCIV magna felicitate superat; postremo Ravenna per triennium obsessa hostem, quindecim annis postquam regnare coeperat, cum tota gente profligatum occidit. Eo

modo opulento regno potitus Theodoricus Italiae rex appellatur, qui Odoacris exemplo tertia agrorum parte Gothis concessa, in reliquis summa aequitate populos gubernavit (1). Caeterum omnia praeclare gesta studio pravitatis Arianae, et nece Symmachi, Boetii, Joannis Poutificis, aliorumque clarorum hominum foedavit. Quos proditionis insimnlatos ferro temere percussit: nec ita longo intervallo sceleris poenas luit. Coenanti enim piscis caput mira magnitudine appositum Symmachi torve aspicientis, et gravia minantis vultum visum fuisse ferunt; eoque monstro perterritum in cubiculum secessisse; nec multo post anno regni XXXVII ex hac vita migrasse. Alii eum Arianis haereticis faventem subita morte correptum, mox apud Liparam Æolidum insulam inter Joannem Pontificem et Symmachum in vulcani ollam demergi a viro, qni in solitudine rebus divinis vacaret, conspectum fuisse tradunt (2).

Sed quicumque ejus vitae finis fuit, mox Italiae regnum Athalaricus ejus filius, *vel nepos,* suscepit: quem adhuc impuberem Amalasuntha mater, ingentis animi mulier, sub custodia trium seniorum inter Gothos prudentia, et probitate prestantium etiam liberalibus artibus imbui praecepit. Sed puer ob ineptias a matre in publico colapho caesus apud proceres plorans se verberatum fuisse conquestus est. Ibi barbari conviciis Amalasuntham compellere, de illata regi injnria graviter incusare, principem inter viros, et fortia arma, non libros sub pedagogis timide educandum esse clamitare. Itaque ex matris tutela ereptus Athalaricus cum inter procaces intemperantius vivendo intestina corrupisset, nec dum expleto

(1) Procop. l. I de bell. Goth.

(2) Paul. Diac. lib. XVII.

post patris obitum quadriennio, immatura morte praereptus decessit. Amalasuntha mater in imperium suffecta, Theodatum cognatum conjugem factum, etiam regni consortem fecit; sed is se avaritiae, et sordidae rapacitatis a conjuge argui aegre ferens, incautam mulierem in balneo ingrato animo strangulavit. Haec tanta aequitate subditos rexisse fertur, ut nemini a Gothis hominibus injuriam inferri passa; nullumque etiam Romanorum vel corporis, vel pecuniae poena unquam afflixerit (1). Jam Constantinopoli ad imperium Justinianus pervenerat, qui Amalasunthae, quam in tutela habuerat, casum aegre ferens, Belisarium multis bellis inclitum ducem cum exercitu ad liberandam a barbaris Italiam misit. Is capta primo Sicilia, postea etiam Neapolim, et Romam felici expeditione occupavit. Gothi ob novi regis inertiam id evenisse arbitrati, Theodato interfecto, Vitigem sufficiunt; sed eum itidem praelio superatum, et captum, vivum Constantinopolim Belisarius opima victoria potitus perduxit. In his motibus nec Regienses impotentem finitimorum audaciam repressuri quieverunt, qui paulo ante Mutinensibus conjuncti, Mantuanis Padi dominium invidioso titulo sibi vindicantibus, grave bellum intulerant. Ac ut hostium impetum facilius sustinerent, ad omnem vim arcendam duas in ripa Eridani munitiones, Riparegium quasi ripam Regii, postea Reverum vocatum, et Mirasolem aedificarunt; nec multo post signis collatis a Mantuanis et Brixianis, qui foedere conjuncti pugnabant, nostros praelio fusos fuisse Aliprandus scribit. Demum Parmensibus et Ferrariensibus amicis se interponentibus Padum Mantuanis permissum, lactamque pacem secutam fuisse memorat.

(1) Suidas.

Id bellum ab anno DXX coeptum, et novem mensibus gestum esse dicitur: sed si Justiniano imperante haec dissensio evenit ante annum DXXVIII, quo primum tempore ipse imperare coepit, id esse non potuit: quare Platina [1] id factum fuisse omnino negat.

Per haec tempora Regiensi Antistite vita functo, Maximum origine Cogiensem virum sanctitate morum clarissimum a civibus ecclesiae praefectum esse tradunt. Is a puero virtutibus, sacrisque literis imbutus, relicta patria in Lirinensem insulam, ut monasticam ageret vitam, se contulerat. Ibi in beati Honorati locum Abbas cooptatus, cum in severa disciplina religiosos contineret, daemonis praestigia, et artes divina virtute saepius solvisse dicitur. Cum vero septennio Lirinensi coenobio summa cum laude praefuisset, illustri viri probitatis fama latius pervagata, a pluribus episcopus expetitus, ut ab ea molestia se liberaret, in solitudinem fugit; ubi cum per triduum perpetuo imbre madefactus delituisset, tandem a Regiensibus inventus, ut suae ecclesiae administrationem accipiat precibus exoratur. Urbem ingressus populum in primis in pia doctrina retinere conatus est. Mox Divi Albani aedem, quae nunc Sancti Prosperi dicitur, religiose construxit. Ferunt columnam ad opus paratam, insidente daemone, ad templum nullis jumentis trahi potuisse, donec superveniens Maximus, fugato boste, facilem ejus motum fecisset. Nec multo post duos cives qui jam animam efflaverant, ad vitam revocavit, quorum alter Ausani diaconi ex fratre nepos fuit: quemdam etiam a bove saucium, et plures a rabido cane laesos sanatos, et caeco lumina ab eodem restituta fuisse narrant. Postremo cum Divi Petri

(1) In lib. Chron.

templum aedificasset, ultimum vitae diem instare sentiens se in eo humari praecepit. Obiit tertio calendas octobris, civibus in publico luctu relictis, a quibus in aede, ut jusserat, ab eo extructa sepultus. Deinde furto sublatus Venetias, vel, ut alii malunt, in Gallias translatus fuisse dicitur. Sed alii ipsum Regio discessisse et in Gallia transalpina in Teruanensi territorio, ubi colitur, decessisse volunt. Huic Faustus antistes successit, qui post eum etiam Lirinensi coenobio praefuerat, quod et Sidonii Apollinaris ad Faustum scribens hoc carmine significat:

Fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus monachosque antistes et abbas
Bis successor agis.

Is circiter anno salutis ccccxc in Pelagianorum errorem incidit, sed emendatus a Fulgentio, de libero arbitrio et Dei gratia scripsit; hic liber tamen caute legendus est. Fausto Urbicus successit, ad quem Dinamius Patricius de gestis D. Maximi scripsit.

Interea Gothi, absente Belisario, viribus instauratis, ac duobus, quos creaverant, intra paucos menses regibus funere elatis, Totilae opera maximam Italiae partem recuperant. Adversus illos iterum a Justiniano anno DLIV Narses eunucus inclitus dux missus decem millia Longobardorum, quos ex Pannonia acciverat, in Brixilli, et Caneti praesidio posuit: per eosdem agrum Parmensem praedatus, demum Totilam prope Canetum feliciter oppressit; nec multo post Tejam a reliquis Gothorum ducem declaratum magna strage delevit. Locus conflictus ab hostibus victis Gothegia est vocatus (1). Itaque Gothis qui annis LXX Italiam tenuerant expulsis, nos Constantino-

(1) Blond. lib. VII, I dec.

politano imperio rursus subjecti fuimus. Defuncto Justiniano, imperium adeptus Justinus filius Sophiae uxoris consilio Narsetem non sine injuria Constantinopolim revocavit. Cunctantem eunucum, quod primum mandatis non paruisset, etiam in gynaeceum ad lanificium exercendum se compulsuram procax femina importune est comminata. At ille nuntio: quando quidem, inquit, lanificii sum optimus artifex, telam ab Augusta nunquam retexendam, brevi ordiar. His dictis ira fremens Neapolim secessit, et Longobardos, quos belli adversus Gothos, socios habuerat, ad Italiam occupandam invitat. Varia insuper pomorum genera, aliasque ad pelliciendos barbaros rerum species, quibus abundat Italia, transmittens, eos ad fertilissimam regionem occupandam impellit. Hi Winili antea vocati, nimia excrescente multitudine, cum in proprio solo incommode habitarent, ad novas sedes quaerendas egredi sunt coacti. Tertia eorum pars, cui exeundi sors obtigerat, sub Ibore et Agione ducibus, qui Gambaram matrem magni consilii feminam secum adduxerunt, plurimis apud Germanos factis praeliis, tandemque Comundo Gepidorum rege caeso, Pannoniam, unde Odoacer Erulorum rex discesserat, quadraginta duobus annis obtinuit. Inde alpes sub Alboino rege transgressi, totam cum Venetia, Etruria, Liguria, et Flaminia praeter Brixillum primo impetu Galliam cisalpinam occuparunt [1]; et quod longas et inusitato Italis habitu barbas nutrirent, Longobardi sunt vocati: posteriore capitis parte abrasa, ante eos capillos in summo capite recto discrimine divisos usque ad mentum dimittebant. Vestes ex lino, aut canape laxiores induti, supra pallium variis intextum coloribus,

(1) Paul. Diac. de gest. Long. l. III.

aut lato limbo fimbriatum gerebant. *Calligas albis vinculis ad tibias constringebant:* calceos usque ad summum pollicem apertos, quibusdam loris circa talos circumductis, constringebant [1]. Horum armis assiduis bellis vexata Italia, plurima oppida et munitissimas civitates dirutas fuisse Blondus scribit [2]: adeoque desertam Italiam extitisse, ut secundum Padi fluminis ripas inter Placentiam et Ravennam nullum, praeter Brixillum quod in potestate Caesaris orientalis continebatur, oppidum relictum fuisse memoret. Inter haec Narsetis successor Longinus, et ipse Theodoricum imitatus, ut alii fecerant exarchi praetoriam Ravennae sedem constituit. Reliqua vero Italia in novam formam conversa, Alboinus non ex majorum instituto regionum, provinciarumve praesides, sed omnium clariorum urbium jus dicturos duces creavit; quin ipsi etiam Romae olim orbis reginae, consulibus, et senatu sublatis, ducem praefecit. Caeterum Alboino rege Rosimundae conjugis insidiis perempto, Papiae Clephem Longobardi suffecerunt, qui Canetum nobis proximum, quod obsidente Ticinum Alboino se dedere noluisset, barbaro furore anno DLXXVI solo aequavit [3]: sed eo quoque intra annum et dimidium postquam imperare coeperat, a familiari caeso, Longobardi intermisso rege suum cuique civitati, Longini exemplo, perpetuum ducem praeposuerunt. Hi numero triginta sex creati fuisse reperiuntur; inter eos proprium quoque ducem Regienses habuerunt [4], quem Rodanum vocatum, et ab eo proximum urbi torrentem nomen habuisse ferunt;

---

(1) Cor. in prima parte.
(2) Lib. VII, I dec.
(3) Blond. lib. VIII, dec. I.
(4) Corius ub. sup.

sed alii eum Anassolum dictum fuisse putant; qui moriens Anicheto familiari impuberum filiorum tutelam commendavisse traditur. Is singulari probitate ac diligentia se erga pupillos, et populum gessit, adultisque patroni liberis sincera fide imperio restituto summam ex administratione laudem promeruit. Sed quo anno id evenerit non satis constat.

Interim a ducibus Longobardis universa fere Italia, praeter urbem Romam, subacta, Longinns, quem a Justino II° Italiae praefectum fuisse supra dixi, dum barbari rege carebant, opportnnam proferendi imperii occasionem esse arbitratus est. Itaque Taurisio primum, deinde Patavio, mox Vicentia, Mantua, Cremona et Placentia occupatis, audax factus etiam Mediolanum contendit. Urbis dux Peridius cum valida militum manu exiens, undecim millibus hostium caesis, exarchum Ravennam turpiter fugere compulit. Ac rursus Flotharium Pannoniae regem, qui, quadraginta millibus hominum cis alpes adductis, Longino opem tulerat, cum toto exercitu delevit. Hano injuriam ulturus Florisius vir inter Pannoniae principes insignis, magnis militum copiis et ipse Italiam ingressus, primo impetu Mantnam, Cremonam, Mutinam, Regium et Placentiam occupavit. Sed eo intra paucos dies commutata voluntate domum reverso, Mantuam, Brixiam, Bergomnm et Regium Peridius invasit. Demum tanta felicitate elatus in eam spem venit, ut etiam ad totius Italiae reguum spectaret. Sed haec consilia exarchi vigilantia dissipavit; qui per L. Cornelium et Fulvium Flaccum Coss. intra Padum brevi omnia recepit. Demum Peridio cum altero consule in singulari certamine mutuis vulneribus extincto, Romanorum exercitus cum universa provincia, capto Mediolano, etiam Regium Constantinopolitani imperatoris ditioni subjecit.

Caeterum Longinus immensis Longobardorum viribus haud diu se resistere posse arbitratus, securam cum his pacem hac lege composuit; ut quae quisque occupasset, positis in finibus terminis, sibi retineret. At Longobardi, qui decem annis ab infirmioribus ducibus recti fuerant, cum ob principum multitudinem distracti res sibi minus prospere succedere viderent, ad reges reverti constituerunt. Authari itaque Clephis nepote, *vel filio,* quem supra regnasse diximus, rege creato, ut novo principi aucta pecunia vires adderent, dimidiam omnium fortunarum portionem singuli duces contulerunt. Tanta inerat his aequitas, ut propriis mallent facultatibus privari, quam subiectos gravibus tributis populos onerare. Nec pietati justitia deerat; siquidem per multa saecula, ipsis regnantibus, nemini vim illatam, nullum insidiis petitum, non immodicis vectigalibus oppressum, aut re familiari inique privatum fuisse ferant (1). Caeteris regi se ducibus subjicientibus, solus Dociruphus Brixilli regulus ex Suevorum gente oriundus, cum Graecis sentiens, ejus imperio parere abnuit. Is a Longobardis antea puer captus forma apud omnes commendatus creverat, et illius praefecturae honorem promeruerat. Tum vero veteris ulciscendae injuriae occasionem nactus, fluxa fide ad Caesarem a sociis defecit. Autharis ejus perfidiam ulturus, undique contractis copiis, Brixillum diu obsessum tandem cepit, Dociruphoque Ravennam ad Smaragdum Longini successorem fugiente, nobile oppidum anno DLXXXVIII solo inhumaniter aequavit (2). Ingens eo anno decimo sexto kalendas novembri aquarum

(1) Paul. Diac. lib. III.

(2) Paul. Diac. hist. lib. XVIII, de bello Longobard. lib. III, et Blond. lib. VIII, dec. I.

inundatio in universa Italia secuta cum integris villis armenta abduxit, et Romae muros superavit. Deformatis ubique aedificiis, devastatisque viis, et agris in lacunas conversis, magnus etiam hominum et brutorum numerus interiit, ut a Noe temporibus tantum diluvium fuisse non credatur. Tot praeterea coruscantia fulgura, atque tonitrua, quot nullo tempore aestivo esse solent, terrifico sonitu omnium animos consternarunt. Hanc vastam inundationem gravis subsecuta pestilentia, maxima hominum strage in tota Europa facta, paucissimos superstites reliquit (1).

Interea Theodolinda, Authari marito veneno crudeliter necato, Agilulpho Taurinensium duci nupsit, qui ob novum matrimonium rex creatus vario marte saepius cum exarchis conflixit. Tandem cum montis Cassinensis coenobium impie exussisset, Gallinicius quartus a Narsete Ravennae exarchus, quem antea Mauritius imperator in Italiam Romani Patricii successorem miserat, coacto exercitu Parmam vi expugnavit; ubi Agilulphi regis filia cum Godescalcho marito capta, copias aliquamdiu apud Regienses tenuit; quos tunc urbem dirutam habuisse non adeo firma ratione Blondus opinatur (2). His Gregorius Pontifex sub haec tempora Bonifatium episcopum dedit, qui cum plura pauperibus elargiretur, ab eo laudatus est, sed reprehensus, quod benefacta predicaret: id fuit anno DXCV. Defuncto Agilulpho, Adalvaldus filius, deinde Ariovaldus ordine successerunt. Demum Rotharus rex creatus Theodorum exarchum apud Scultennam fluvium, nunc Panariam vocatum, octo millibus hostium caesis,

(1) Paul. Diac. hist. lib. XVIII.

(2) Blond. et Paul. Diac. ub. sup.

superavit, ac plures Romani imperii urbes occupavit. Sed cum omnes, nullo tum scripto jure apparente, inveterata consuetudine uterentur, depositis armis, ad condendas leges convertitur. Post annum igitur LXXVI quam in Italiam Longobardi venerant, jura, quae apud ipsos longo usu observata fuerant, in scripta redegit, quae *edictum* nominavit: id Longobardum plerique vocaverunt, unde insanum duellum, et plurima, quae jurisconsultorum voluminibus repugnant, Italiae jura emanarunt. Ab eo tempore paulatim Constantinopolitanorum principum et exarchorum diminui auctoritas coepit, donec ob sordidam avaritiam omnibus invisi, et Romae, et aliarum denique urbium imperium amisere. Anno enim salutis DCCXXXVII cum graviora tributa a Paulo exarcho imperata exigi Gregorius II prohibuisset, in Pontificem Graeci impie conjurarunt. Re patefacta de quibusdam noxiis tanto facinore dignum sumptum est supplicium. Leo vero III, qui tunc imperabat, ut Gregorium alia calliditate ulcisceretur, tollendae idolatriae praetextu sanctorum martyrum et angelorum statuas e templis locisque omnibus publicis tolli, eorumque etiam imagines abradi jussit. Verum decretum in mille prope episcoporum coacta synodo damnato, tanta ira Italiae populi exarsisse dicuntur, ut, Paulo occiso, primi Ravennates, mox Venetiae, ac deinde eorum exemplo reliquae Italiae gentes imperatoris jugum excusserint, expulsisque veteribus ducibus singulae civitates, alios sibi magistratus, duces itidem vocatos creaverunt (1). Regienses vero sub Longobardorum imperio vixerunt, qui ab eorum militibus cum jam duobus annis iniquis exactionibus et rapinis afflicti fuissent, Nicolaum Sessium ad Luitprandum

(1) Plat. in Greg. II.

regem Ticinum miserunt, ut oppressam civitatem liberaret. Nou publicam tantum, sed et privatam causam Nicolaus agebat, qui etiam vallem Sancti Pellegrini et castra Sessii et Rolli, ditioni suae supposita, ab iisdem oneribus liberari cupiebat. Itaque diligenter negotio tractato militibus imperatum est, ut intra octiduum a Regiensium finibus discederent. Id fuit anno DCCXL nono kalendas octobris ut vetustissimum adhuc Vicentiae in Sessiorum aedibus conservatum monumentum fidem facit.

Nondum tamen penitus ejecti exarchi modicam in Italia ditionem tenuerunt, donec Ravenna a Pipino ecclesiae concessa post annum CLXXV quam praesse coeperant, tandem iu Italiam mitti desiere. Cum enim Aistulphus Longobardorum rex praeter iniquum tributum, quod imperaverat, plures etiam Romanorum pagos et oppida aut cepisset, aut graviter vexavisset, Stephanus II, vel, ut aliis placet, Gregorius III, ut ab hac injuria populum tueretur, in Galliam per medios hostes ad Pipinum confugit. Ibi de iniqui hominis tyrannide conquestus aequissimi principis fidem implorat, ut afflictis Italiae gentibus opem ferat. Ille justis Pontificis precibus motus, cum valido exercitu superatis alpibus in Italiam venit, Aistulphumque Papiae obsessum armorum vi compulit, ut ablata Romanis restitueret: iisdem Ravennae exarchatum concessit, et quidquid inter Padum et Apenninum a Placentinis usque ad Venetorum stagna interjacet, atque omnia, quae inter Isaurum flumen, et Adriaticum mare continentur, anteaque virium exarchatus fuerant, pia liberalitate Romano Pontifici donavit (1). Nostra itaque civitas, quae diu Longobardis paruerat, tunc primum, ut quibusdam

(1) Plat. in Steph II et Blond. ub. sup.

videtur, in ecclesiae jura transivit. Alii tamen penes Longobardos Regium permansisse autumant, quod tum nostri tractus regionem Pontifici cessisse non inveniant. Aistulpho defuncto, regnum Desiderius occupavit, ac Faventiam et Ferrariam, ut, Pontifice placato, tutius regnaret, maligna largitione velut transigens ecclesiae tradidit. Caeterum non multo post neglecto foedere, exarcatus partem, atque una, ut nonnullis placet, Regium cepit. Quare Carolus Pipini filius cum formidabili exercitu, alpibus emensis, perfidum hominem felici expeditione regno expoliavit, et captum Lugdunum misit. Itaque Longobardi post an. CCIII quam in Italiam venerant opulentissimo regno excidere. Tum Liguria, Corsica, Picenum, Venetia, Istria, Forum Julii, et quidquid inter Lucam et Parmam interjacet, Beneventum et Spoletum cum universo Ravennae exarchatu Romanae ecclesiae tradita fuere (1). Aliqui vero non contemnendae auctoritatis viri Regium a Carolo, qui postea Pipinum nostrae provinciae Italiaeque regem creavit, retentum fuisse non injuria existimant, cum Æmiliam Pontifici concessam fuisse non constet. Tot bellis ac barbarorum factionibus nostra civitas vexata, publico etiam tabulario exusto, cum episcopatus sui fines amisisset, a Carolo obtinuit, ut qui nunc extant termini, vetustis finibus cognitis, ponerentur. Hujus rei publicum in tabulario cum vera Caroli imagine expressa monumentum cernitur: quod et ante Regiensium jurium municipalium volumen adhuc impressum spectatur. Nostro praeterea antistiti ea data est potestas, ut princeps dictus intra quintum ab urbe lapidem jus redderet: hinc eo celebrante cum galea gladius, quo in facinorosos animadvertere

(1) Platina in Adr.

poterat, ad vetusti imperii memoriam renovandam, etiamnum super ara populo visendus exponitur. Ac sicut hodie Ducatus Regii dicitur, tunc temporis ad imperii titulum significandum Regii episcopatus vocabatur, prout in Matildae annalibus legitur, Actium Lucae comitem agris et mancipiis emptis in Regiensi episcopatu sedem posuisse. His rebus gestis, Carolus anno humanae salutis DCCCI a Leone III imperator creatus Longobardiae provinciae finibus, Nicea fluvio terminatis, exinde Romam versus Romandiolam tamquam ad romanos regionem pertinentem nominari voluit. Sed alii Bononiam usque extensam fuisse Longobardiam vulgo opinantur. Hesperiae igitur imperator declaratus Carolus, cum principe Constantinopolitano, imperio diviso, pepigit, ut omnes ultra Sypontum, quae nunc urbs Manfredonia vocatur, provinciae cum Sicilia ad orientis Caesarem spectarent; reliqua, praeter ea quae ecclesiae donata fuerant, ad se pertinerent. Pipino vero filio, quem Italiae regem creaverat, Mediolani extincto, Bernardum nepotem substituit; sed et eo postea a Ludovico Pio patruo praelio superato, Lotharius, Ludovici primogenitus, cum Italiae regno nostrae urbis imperium obtinuit.

Interim anno DCCCXVI a Ludovico Caesare Caroli Magni filio Norbertus, vel ut alii volunt Norpertus Regiensium antistes, et Comes Ricomius Constantinopolim ad Michaelem orientis principem ob confirmanda, quae inter parentes percussa fuerant, foedera missi, vetustis conventionibus comprobatis, laetam inter principes pacem retulerunt (1). Ab eodem episcopo Divi Venerii corpus eodem anno Regium delatum fuisse memorant. Alii vero non Norperto, sed Apollinari id attribuunt, quem aliquot annis post

(1) Blond. lib. 11, dec. 2.

ecclesiae nostrae praefuisse invenio. Ita autem bona Regiensium fortuna Divi hominis sepulcrum repertum fuisse dicitur. Diruta a Saracenis Lunae civitate, cum quotidie ex Hetruriae oris a piratis homines abducerentur, Ludovicus Pius finitimis episcopis imperavit, ut quisque statis mensibus eam urbem tueretur. Apollinaris cui custodiae vicissitudo obtigerat, dum ea loca perlustrat, forte inventas beati Venerii reliquias incredibili gaudio Regium attulit, et in Divi Prosperi coenobio decimo kalendas decembris condidit. Fuerat Venerius in Palmaria Lunensi insula ex nobilibus parentibus ortus, qui, Gregorio I circiter annum DXC sedente, mundi relictis deliciis, in Tyro majore (ea est insula octo millibus passuum Luna distans) silvestrem vitam duxit, herbisque et vilibus pomis vescens, multa miracula edidit; et saevo dracone, qui ingentem hominum numerum necaverat, ejecto, etiam mortuos ad vitam revocavit. Tandem plurimis supra humanam naturam gestis illustratus, idibus septembris occubuit. Apollinari Vitalis in urbis nostrae episcopatu successit, qui Masenzaticum, cujus agros beneficiario jure postea privatis concessit, et Luzariam oppida a Ludovico Pio, anno DCCCXXVIII, Regiensis ecclesiae nomine emit. Caeterum Lotharius post Ludovici patris mortem cum annos quindecim Italiam et Regium rexisset, monacorum sumpto habitu, Ludovico secundo genito Italiae regnum commisit. Post hunc Carolus III, cognomento Calvus, duobus annis imperavit, a quo Paulus noster antistes emptam Suzariam insulam ad Padum prope Luzariam Regiensi ecclesiae acquisivit. Mox cum Ludovicus Balbus ejus filius rex Galliae biennio Longobardiam tenuisset, postea evenit, ut circiter annum DCCCLXXX Italiam Saraceni devastarent, quos Carolus, cognomento Crassus Germanus in Italiam

vocatus feliciter profligavit. Is imperator sequenti anno declaratus, urbis etiam nostrae imperium obtinuit. A Longobardis itaque ad Gallos, a Gallis ad Germanos devenimus. Carolus cum annis duodecim imperasset, ob corporis pinguedinem laboribus impar, Arnulphum fratris filium, qui et ipse annis duodecim imperavit, Caesarem creat. Huic Ludovicus filius in imperio est subrogatus. Demum Berengarius Fori Julii princeps ex Longobardis ducibus adhuc superstes, et ex Adelperga Desiderii regis filia prognatus, avitum imperium armis repetere constituit. Ingenti igitur coacto exercitu Ludovicum primo praelio superavit, mox renovata acie apud Veronam captum, oculis, et Italiae imperio misere spoliavit. *Alii tradunt Ludovicum hunc a Berengario captum Bosonii Provinciae regis filium fuisse, et ea conditione dimissum, ut in Italiam amplius non rediret.* Quamobrem post annum c quam Carolus Magnus Italiae regno potitus fuerat, rursus in Longobardorum ditionem reversi sumus [1]. Berengarius Italiae regnum, quod ab anno salutis circiter DCCCCVIII, ut Matthaeus Palmerius arbitratur, vel, ut Blondus existimat, ab anno DCCCXCI occuparat, secundo Berengario reliquit. Imperabant tunc temporis sub Marchionis titulo Albericus in Hetruria et Albertus sub ducis nomine Spoleti, qui Berengarii vim timentes, Rodulphum Heduorum et Sequanorum, quos nunc Burgundiones vocant, ducem ad impotentis tyranni libidinem frenandam acciverunt. Is, Berengario vi expulso, pro eo integro triennio in Italia regnavit [2]. Postea vero Berengarius ex Pannonia inferiore, sub duce Salardo novis copiis adductis, ad paternum regnum bellica

(1) Plat. in Form. et Blond. ub. sup.
(2) Plat. in Land. et Steph. VII.

virtute recuperandum reversus est. Nemine obviam eunte passim opulentiores vicos diripuit, et cum plurimis oppidis etiam Ticinum magna ex parte devastavit. Incolae exigua Rodulphi militum manu diffisi, Ugonem in Narbonensi provincia Arelatensem Comitem ad opem sibi ferendam accersunt: qui, Rodulpho nulla belli tentata fortuna domum ignaviter redeunte, velut ad regnum vocatus cum formidando exercitu universa nostra regione potitus est, et ad confirmandum regnum omnes Italiae principes, quos conatibus suis obviam ituros suspicabatur, ultra montes relegavit. Nec multo post Arnaldum Ducem Norici, quae nunc Bavaria dicitur, ab illis cis alpes missum profligavit. Dum Berengariorum factionibus perturbatur Italia, Sigisbertus, qui ex Longobardorum stirpe superstes Lucae imperabat anno DCCCCIII, Petro urbis nostrae praesule existente, Parmam et Regium a nemine defensas civitates occupavit. Cum vero, Sigisberto II, Actio et Gherardo tribus post se relictis liberis, decessisset, fratribus extinctis, superveniens Actius anno DCCCCXXVIII paternum imperium solus obtinuit, Canussiumque in Regiensibus munitum oppidum cum opibus sedem transtulit.

Interea, defuncto Berengario secundo, tertius ejusdem nominis Berengarius primi ex filia nepos circiter anno salutis DCCCCXXXV (1), magno apud Hungaros exercitu comparato, avitum repetiturus imperium in Italiam venit. Dubio bello se committere Ugo non ausus, aequo foedere hosti Lotharium filium Italici regni socium dedit, qui cum post biennium in fata concessisset, Berengarius Alundam ejus uxorem, et Rodulphi filiam, ne Papiam urbem dotalem repeteret, cum Martino sacerdote ei sacra mini-

(1) Blondus a Palmerio in tempore non multum discrepat.

strante, et ancilla captam apud lacum Benacum Gardae in carcerem conjecit, Albertoque filio, cui Longobardiam concesserat, Italiae rege declarato, se imperatorem appellavit. Indignum hoc factum Agapitus II Pontifex aegerrime tulit, atque ideo, Italis proceribus suadentibus, Othonem Germaniae principem ad pellendum tyrannum vocavit. Is per Forum Julii cum quinquaginta millibus hominum ingressus praelio Berengarium superavit, et Alundam, quam effractis carceribus Actius cum Adelardi Regiensium episcopi consensu Canussium deduxerat, postea uxorem accepit. Demum Agapiti precibus Longobardia, ac, praeter Veronam et Aquilejam, Venetia Berengario concessa anno DCCCCXLVII cum conjuge triumphans in Germaniam remeavit (1). Inter hos motus Adelardus antistes DD. Chrysanti et Dariae martyrum reliquias, ne a barbaris impie dispergerentur, Ticino Regium delatas, in majore templo condidit. Genitus erat Chrysantus ex Pollemio Alexandrino viro illustri, qui circiter an. CCLXXXV Romam profectus, et a Numeriano Caesare inter senatores lectus, filium in philosophiae, artiumque liberalium studiis erudiri curavit. Sed cum eum a Carpophoro ad christianam fidem traductum atque etiam baptizatum audivisset, quinque virginum forma praestantium illecebris adolescentem ad superstitionem revocare tentavit. Quae cum divina virtute in profundum somnum incidissent, veneficiis soporem puellis injectum pater credidit, ac rursus Dariam lectissimam virginem Vestae destinatam misit, quae nuptiarum specie juvenem subverteret; sed ea ad Christum conversa, et sacro lavacro clam emundata, dum matrimonium simulant, plurimos ab idololatria ad divinum cultum adole-

(1) Blond. lib. 2 ad fin. et lib. 3 in princ. dec. 2 et Plat. in Agap. II.

scentes revocaverunt. Tandem cum cives apud Celerinum urbi Praefectum de liberis ab antiqua Deorum religione seductis quotidie conquererentur, Chrysantus tenebroso, squallidoque carcere sub Claudii Centurionis custodia inclusus tenui cibo sustentabatur. Verum Claudius cum septuaginta militibus pii adolescentis doctrina Christianus factus, sociis capite mulctatis, cum liberis ad saxum allisus et in profundum demersus gloriosam constantiae suae palmam promeruit. At Pollemius extractum filium omnibus lenociniis a christiana pietate retrahere conabatur, quem cum formosissimarum puellarum blanditiis corrumpere non potuisset, iterum tetro carceri cruciandum reddidit. Daria vero, quae firma fide sponsa Christo dicata minis terreri non poterat, ut infamiae saltem nota moveretur, lupanari includitur. Agebantur tum forte in amphiteatro ludi Circenses, a quibus leo divino impulsu erumpens ad custodiendum postribuli ostium venit: ibi, correpto viro qui ad violandam puellam temere ingredi ausus fuerat, quid de eo agendum esset a Daria significari expectabat, sed a pia virgine dimitti jussus ob miraculum ab insana superstitione ad veram religionem est revocatus. Alii ad capiendum leonem missi omnes capti, et virginis humanitate servati, ejus doctrina ad Christi cultum conversi fuere. Cum nulla denique puellae injuria inferri posset, igne ostio admoto, leo Dariae jussu discessit. His auditis Numerianus Chrysantum et Dariam arreptos torqueri praecepit: sed fractis instrumentis cum se nihil agere sensisset, tandem in foveam missos lapidibus obruit. Rei gestae fama quod plurimi ad martyrum sepulcrum venerabundi confluerent, tyrannus inducto cryptae muro etiam instratae arenae tumulum injecit. Posterioribus vero diebus Berengarius primus Romam profectus a Joanne IX tum

forte inventa Sanctorum corpora in templo, quod Ticini aedificabat, condenda obtinuit; ubi tamdiu conservata fuere, donec tertius Berengarius acie ab Othone profligatus, quod se imperio spoliatum iri crederet, ea Adelardo Regiensi episcopo commendavit. Ipse martyrum reliquias magna veneratione acceptas, occurrente cum cereis populo, Regium detulit, et in majore basilica, arca laminis argenteis nobili opere constructa, condidit. In itinere ab imbribus, qui densi cadebant, martyrum cadavera nunquam tacta, et plures infirmos sanatos fuisse ferunt.

Caeterum Berengarius cum primum Othonis I metu est liberatus proferendi imperii cupidus Actium Canussii triennio obsedit; sed ille mille hominum manu sub Litulpho, qui postea in prato Antoniano apud Carpinetum pugnans occubuit, sibi ab Othone in subsidium missa, hostem fortiter repulit. Inter haec, defuncto Agapito, alium suo arbitrio Pontificem Berengarius creavit: quare a Romanis praesulibus iterum Otho accersitus ipsum, et Albertum captos, hunc Constantinopolim, illum Bambergam in superiore Pannonia, quae nunc Austria dicitur, anno circiter DCCCCLV relegavit. Actius vero Regii aliarumque urbium princeps relictus duos filios suscepit, Thedaldum et alium ab avi et parentis nomine Sigisbertactium, et postea Albertactium vocatum. Is Alda naturali Othonis filia uxore ducta, Caleonem, Montagnanam, Montem Silicium, Arquatum et Ateste oppida cum Marchionis titulo accepit: demum moriens duos filios reliquit, Fulcum qui in Germania permansit, *ab eoque Saxoniae Bransvicensesque Duces descendunt;* et Ugonem qui apud Patavium paterni imperii haeres, postea inclitos Atestinos procreavit. Teodaldus vero in reliquis patris bonis successit, ac praeter Lucam, Regium et Parmam ab Othone II

etiam Mutinam et Mantuam regia liberalitate obtinuit. Eidem Joannes XII circa annum DCCCCLX etiam Ferrariam concessit, ubi arcem a se castellum Thedaldum usque adhuc appellatum aedificavit. Cum vero Othoni filio tertius ejusdem nominis nepos successisset, Hermenaldus in Regiensi ecclesia, defuncto Adelardo, suffectus fuit: *ipsi Mariae uxoris precibus plura jura concessit*. Is Divi Prosperi ossa, donec in ima aede scaturientes aquas exsiccaret, templo extraxit, et in urbem delata anno DCCCCXCVII in majore fano deposuisse fertur. Caeterum in medio opere extincto praesuli Theuzon successit, qui Divi Albani aedem, quam a Divo Maximo in urbis castello aedificatam esse supra memoravi, quod ruinam minaretur, ad solum diruit: aliamque praeterito Albani nomine in Divi Prosperi memoriam longe nobiliorem cum crypta restituit. Haec postea Divi Prosperi a castello, ubi extructa fuerat, nomen tenuit. Ad augendam vero templi dignitatem eo octo primariae aedis canonicos transtulisse dicitur, qui non omnino a priore collegio separati in illo etiam eligendi episcopi jus retinuerunt (1); et hodie quoque ad pristinum jus conservandum lituum antistiti praeferunt, et sabato magno suam, hoc est tertiam, lectionum partem cum aliis sexdecim majoris templi canonicis recitant. Evenit forte his diebus Gregorium V genere Saxonem nominis Germanici invidia a seditiosis Romanis sede deturbari, et Ticinum, quo synodum indixerat, proficisci. In itinere Regium ingressus cum decem et octo Cardinalibus, multisque praesulibus, et Joanne Ravennae Archipraesule apud nostrum antistitem divertit, ac populi precibus nono kalendas februarii restauratum templum con-

(1) Dominicus de s. Geminiano in c. quis §. ult. de praeben. in 6.

secravisse dicitur; cujus rei monumentum a Theuzone in anteriore templi lapide inconditis carminibus scriptum, usque ad annum MCCCCXCVIII, quo fanum ob imminentem ruinam iterum restitutum fuit, non paucis vetustate exesis litteris, ad posteriorum notitiam vix potuit pervenire. Eo tempore Divi Prosperi ossa in ara novae aedis sub crypta condita fuisse iisdem versibus Theuzonem testatum reliquisse nonnulli autumant, quae postea, aquis ex humido novi templi solo scaturientibus, extracta et sub majore ara a Sigisfredo Theuzonis successore locata fuisse ferunt. Sed alii a questuariis nebulonibus, qui veris falsa miscere solent, ad fidem mendacio faciendam, adulterina carmina veteribus addita fuisse affirmant, et eas reliquias post CCCLXX annos apud monacos inventas fuisse in verioribus annalibus reperiri tradunt; quas in hanc usque diem Divi Prosperi coenobitae semper penes se conservatas tanta asseveratione contendunt, ut in magnas altercationes res devenerit.

At Thedaldus Regiensium princeps anno millesimo septimo decedens Bonifatio filio imperium reliquit. Is Beatrice Henrici, qui Caesar creatus fuerat, sorore uxore ducta duos filios Thedaldum postea Regii episcopum factum et Corradum, Mathildamque filiam a matris Othonis nomine vocatam suscepit: et ad pia opera conversus inter alia nobile Divi Benedicti coenobium non longe a Pado condidit. Beatrix quoque Divi Andreae templo Mantuae aedificato, etiam Guardastallum, postea Guastallam dictam ad Padum fabricasse fertur: sed cum oppidum longe ante stetisse non obscuri auctores referant, id ab ea restitutum potius quam conditum fuisse creditur. Bonifatius, masculis liberis amissis, anno MLII nonis maii moriens Mathildam filiam nobilis ingenii feminam Mantuae,

Mutinae, Regii Lepidi, Lucae, Parmae, Ferrariae, et ejus Hetruriae partis, quae nunc Divi Petri patrimonium vocatur, haeredem reliquit [1]. Sed ea infans annorum quinque sub Beatricis matris lectissimae mulieris tutela usque ad aetatem adultam vixit, donec Gothifredo Spoleti Duci matrimonio est collocata.

Eo tempore Henrico Corradus Francus, deinde Corradi gener Henricus II, anno circiter MLVIII ab insolito apud Germanos homines barbae nigrae habitu Niger appellatus, in imperio successit, qui auream coronam accepturus Romam venit, pluresque Mediolanenses, quos antea ob contumaciam Corradus custodiae tradiderat, secum vinctos duxit. Sed ii precibus summi Pontificis in libertatem dimissi, cum carceris poena resipuerunt, ac petulantia in sanam sobrietatem conversa, religionem omnes professi fuere. Templa enim ex amplis fortunis aedificantes, albis vestibus sumptis, Fratres se Humiliatos, velut divino flagello ad humile vitae genus revocatos, vocaverunt; et cum in diversis Italiae regionibus germinarent, etiam Regii sub moenibus prope portam, quae Pontis Livonii appellabatur, sub nomine D. Bernardi coenobium multis praediis ditatum extruxerunt; id postea a laxioris vitae sacerdotibus sub commendatitio titulo impetratum, tandem superioribus annis, nostris suburbiis solo aequatis, dirutum fuit.

Anno vero salutis MLXI cisalpini praesules, Nicolao II Pontifice defuncto, Alexandrum II suffectum fuisse aegre tulerunt: quare, Henrico permittente, ex suo numero Cadolaum episcopum Parmensem adversus majorum statuta Antipontificem creaverunt, cui praeter Matildam, et

(1) Plat. in Benedicto X, et Blond. lib. III, dec. 2.

virum, fere omnes in Gallia Cisalpina insanam seditiosorum electionem secuti adhaeserunt. Tandem ut ortum schisma pro communi Christianae reipublicae salute tolleretur, concilio Mantuam indicto, sicut temere creatus, ita prudenter Pseudopontifex depositus fuit. Nato deinde inter Gregorium VII, et Henricum dissidio, quod Pontifici superbus Caesar subjici indignaretur, perniciosissima Guelforum et Ghibellinorum, quae Italiam multis annis ad excidium afflixit, factio est suscitata. Henricus a Gregorio diris subjectus et imperio privatus a pluribus desertus fuit: demum si Gregorius in Germaniam venisset, se erroris veniam petiturum promisit. Id se facturum humanus Pontifex pollicitus, ut Caesarem Augustae Praetoriae conveniret, Vercellas contendit: ibi a loci antistite Italiae cancellario certior factus hostili animo contra se Henricum venire, revocato itinere, Canussium in agro Regiensi Mathildae sedem reversus est. Eum propere cum expedito exercitu secutus Caesar occlusis portis eluditur. Verum ut erat ingenio callidus composito vultu mirabundus, se non hostem, sed amicum, non acceptae injuriae ultorem, sed ad sacros Pontificis pedes humilem accessisse simulat. Gregorius surdis auribus nullas Henrici preces admisit; itaque ad aliam artem conversus, media hyeme, cum omnes glacie rigerent terrae, regalibus ornamentis depositis, ac nudis pedibus, ad commovendum Pontificem supplex se intromitti obsecrat; negatum tum etiam aditum, dum aequo animo se ferre simulat triduo in suburbiis quotidie errati veniam petens commoratur, donec Mathildae, et quorundam praesulum opera admissus, tandem ecclesiae est conciliatus (1). Ad declarandamque animi integritatem

(1) Plat. in Greg. VII, et Blond. ub. sup.

chirographo, cui Mathilda, Adelaus Sabaudiensis Comes, et Cluniacensis Abbas snbscripserunt, se Pontificis mandata facturum professus est. Caeterum paucis post diebus, ut Gregorium insidiis interciperet ad Canussii fines, quasi aliud agens, cum copiis est remoratus; sed, illo cautius discedente, ubi se frustratum vidit, palam explicatis vexillis Romam profectus Gibertum Parmensem Ravennae Archipraesulem Antipontificem declaravit, et Gregorium velut minus rite creatum vi expulit. Mox in Mathildam pro Pontifice sentientem immani rabie conversus, primo Montebellum, ubi etiam filium in praelio amisit, armata vi expugnavit, deinde, cum Regii se aliquamdin continuisset, Parmam se iturum simulans, Gabianum, nunc Sancti Pauli oppidum vocatum, hostiliter est adortus: sed, veniente Mathilda, acie superatus tandem anno circiter MLXXX in Germaniam redire coactus est. Quo tempore Regienses, Gandulpho praesule defuncto, Eribertum antistitem habuerunt. Post biennium quam victoria potita est Mathilda, primo Beatricem matrem, et post annnm etiam Gothifredum maritum, nulla snscepta prole, immatnre amisit. Quare, non multo post, ut liberis operam daret, Actio Atestino, etsi ob cognationis impedimentum irritac factae sunt nuptiae, conjnngitur.

Interea, extincto Henrico, ejusdem nominis filius paternos mores imitatus, sequenti anno, ut Clementem Antipontificem quem pater creaverat contra Gregorium VII confirmaret, in Italiam venit, contra quem profecta cum Actio Mathilda apud Parmam levi praelio superata fuit. Ubi vero maritum prioris viri consanguineum, ac sibi in tertio cognationis gradu conjunctum esse cognovit, ab eo, suadente Gregorio, discessit. Thedaldus enim, ex quo Mathilda neptis, et Albertactius, ex quo Actius nepos

descendebat, fratres fuerant, et lege pontificia tertii gradus liberi conjungi prohibebantur. Mortuo biennio post Gregorio, eique Victore III suffecto, Henricus Ferrariam, Mantuam et Parmam, aliaque Mathildae loca occupavit. At virili animo mulier confestim coacto exercitu hostem acie victum Italia turpiter excedere coegit, et bellica virtute amissas urbes recepit. Ei vero postea conciliatus Henricus, ut a Pasquali Pontifice coronam acciperet, in Italiam venit, ubi Novariensibus sibi portas occludentibus gravia damna intulit. Mox cum Mathildam in Regiensibus humanius salutasset, Hetruria graviter afflicta, Romam pervenit: sed quod antiquum aliorum principum ritum erga sedem Apostolicam servare superbius recusasset, aureum diadema obtinere non potuit. Id ob contumeliam factum Caesar arbitratus, ira praefervidus, direpta urbe, captisque pluribus praesulibus, etiam Pasqualem in vincula conjecit, quem tandem precibus Mathildae die Dominicae Resurrectionis anno MCXIII mitigato furore liberavit. Exinde pridie nonas maii Bebianellum a Mathilda conditum veniens triduo apud eam regio exceptus apparatu divertit. Quatuor enim in contiguis collibus singula castella prudens mulier aedificaverat, quae nunc a vicinitate *Quatuor Castella* vocantur. Horum unum Bebianellum, a vicino Bebiano agro antea Bebiis colonis, ut supra nominavi, assignato, dictum fuisse plerique autumant, in summoque ejus portae lapide auctoris nomen in hanc diem his verbis scriptum spectatur: *Castrum Bebianelli Comitissae Mathildae opus.* Alterum est in tumulo, qui Lucius, et ipse a Luciis Romanis colonis nominatus esse existimatur. Tertium habet Mons Vitrius; ultimum vero qui Janus est appellatus. Sed biennio post Henrici discessum, qui fuit salutis MCXV, Bonuegio antistite nostro

sedente, Mathilda annum agens LXV nono calendas augusti, haerede instituta Ecclesia, vitam cum morte beatius commutavit. Praeter urbes Mantuam, Regium, Parmam et Ferrariam, quidquid a Pixia amne, et Sancto Quirico Senensis agris usque ad Coeperanum, et Tyberim inter apenninum, et mare pertinet, ad Pontificem pervenit. Unde quae in Hetruria bona possiderat, postea Patrimonium Ecclesiae usque in hanc diem est vocatum, et tunc primum omnium consensu in Pontificis potestatem nostra civitas pervenit. Mantuae defuncta in D. Benedicti coenobio, quod Bonifacius ejus pater condiderat, humili tumulo humata fuit (1). Sequenti anno cum Ravennas Archipraesul Romano Pontifici parere nollet, Paschalis II synodo apud Guardastallum habita, Placentiam, Parmam, Regium, Mutinam et Bononiam a Ravennati ecclesia liberas, et immunes esse decrevit. Ipsum quoque Guardastallum, quod Regiensi episcopo subjectum erat, tum nullius dioecesis est pronuntiatum. His diebus de Divi Prosperi ossibus, diversis ea apud se conservari contendentibus, ingens orta est altercatio. Albericus igitur Regiensis antistes, ut omne dissidium tolleret, nocte, quae octavo calendas decembris praecessit, fani a Castello majore ara effossa, ignota ossa, quae nullius nomen descriptum habebant, pro D. Prosperi reliquiis populo ostendit; contra D. Prosperi Abbas Amizo, qui eas apud se servari contendebat, sequenti mane, sacris peractis, praerupta et ipse sui templi majore ara, inventum corpus, quod vetusta monumenta D. Prosperi esse significabant, plurimis spectantibus protulit. Eadem de Beati Venerii et Jucundae D. Prosperi discipulae orta controversia, idem episcopus perforatis quibusdam aris, quae

(1) Plat. in Pasch. et Blond. l. 4.

iu templo D. Prosperi a Castello in eorum memoriam consecratae erant, incerta item ossa sine titulo reperit. At Amizo et ipse in sua aede aperta candidissimi marmoris arca, cadaver, quod in D. Venerii sacello conservabatur, cum publicarum literarum testimonio invenit. Beatae quoque Jucundae corpus in ejusdem ara comperiit, et omnes reliquias in pristina loca religiose relatas Moysis Ravennatis Archiepiscopi auctoritate reposuit, ut in laminis plumbeis singulis arcis alligatis inscriptum apparere dicitur. Id anno MCXLVIII, Eugenio III sedente, et Corrado imperante, fuisse ferunt (1).

Quadriennio post decimoquinto calendas septembris a factiosis Ghibellinis excitati Parmenses in Regiensium agrum hostiliter irruperunt, et omnia usque ad Gabellum flumen igne ferroque devastarunt; qua injuria commoti Regienses tumultuario exercitu hostes ulturi exiere; praelio commisso, ac nostrorum pluribus captis, alios intra moenia redire compulsos fuisse ipsi in suis annalibus scriptum reliquerunt. Sub id tempus Eugenius, Mutinensibus, qui cum Caesare sentiebant, episcopali dignitate privatis, adjacentia loca Bononiensi, Regiensique praesuli adjudicavit. Quare tunc Castrum Vetus, Prinianum, Saxolum, aliaque Mutinae proxima loca uostro antistiti subjecta fuisse tradunt. Post quatuor annos quam haec acta sunt, in urbe Achilles Taculus Regiensis Archidiaconus D. Jacobi Zebedaei templum prope arcem plurimis ditatum praediis aedificavit. Id, cum iu media fere urbe conditum fuisset, ad alterius ejusdem nomiuis fani extra moenia erecti differentiam, D. Jacobi a civitate aedes appellata fuit. Biennio post Fridericus Ænobarbus Caesar, quod sibi in

(1) In chronicis S. Prosperi.

Italiam venienti Dertonenses, Cremonensesque portas claudere ausi essent, Roncaleam omnibus Italiae principibus, ac cujusque urbis consulibus concilium indixit. Eo etiam quatuor celebriores legum peritos Martinum Gossiam, Bulgarum, Jacobum, atque Ugonem a Porta Ravegnana, qui tunc Bononiae jus civile profitebantur, convenire jussit, et omnia jura, quae ad Caesarem in Longobardia pertinebant, definiri praecepit. Illi tantum negotium paucis invidiose committi videntes, ex singulis Longobardiae civitatibus sibi ad judicandum collegas dari petierunt. Itaque viginti octo ex omnibus urbibus delecti jurisconsulti, cum quatuor illis eximiis interpretibus ultra Padum in templum, quod Sancti Petri Contrebiae vocabatur, convenerunt, et Romani Imperii jura definierunt. *Ut singulae civitates, quae jus cudendae monetae habebant, quaternas argenti marchas Caesari penderent, ea ferme erant triginta aureorum summa: in causis libras quinquaginta ejus monetae excedentibus ad Imperatorem appellaretur: XXVI denarios quaelibet familia ipsi solveret: venienti in Italiam certum peditum, equitumque numerum traderent urbes, ejus vexilla publice suspensa haberent. Ea omnia a Sacri Palatii procuratoribus pro sententia recitata Regiensium aliarumque civitatum legati se observaturos promiserunt* (1). Haec prodigiosa visio subsecuta totam Italiam vehementer perterruit. Cum Picus enim Manfredus Regii praetorem ageret, et Adelinus antistes sederet, tres lunae in medio coelo crucis signum habentes terrifico ostento visae, totidem quoque soles apparuerunt, quod futuras calamitates portendere plerique non inepte interpretabantur. Ortae siquidem jampridem ambitiosae inter

(1) Corius in prima parte.

Pontifices, et Caesares contentiones, divisis in contraria studia civitatibus, totam Galliam Cisalpinam misere afflixerunt. Ænobarbus Mediolanensibus, qui a Pontificis partibus stabant, implacabili odio infensus, cum illi Castellionum oppidum obsiderent, ut oppidanis succurreret, recta Laudem Pompejam contendit, ubi ex Parmensibus, Regiensibus, Bergomatibus, Veronensibus, aliisque proximis urbibus formidando contracto exercitu, non modo obsessos liberavit, sed etiam Mediolanenses, eorum agro igne ferroque prius vastato, praelio saepius profligavit. Alexander III Pontifex Fridericum saepius ad sanitatem revocare conatus inanibus verbis semper est elusus, donec victoria superbus Ænobarbus, anno circiter MCLXIIII, se apertum Pontifici hostem declaravit, cum, Octaviano Antipontifice creato, invito Alexandro, etiam de ejus electione, an legitima esset judicium ferre arrogantius voluisset. Itaque illi infensissimus hostis factus omnes in Gallia Cisalpina ecclesiae subditas urbes, et cum his etiam Regium cepit. Bononienses quoque Martini Gossiae, Bulgari, Jacobi et Ugonis a Porta Ravegnana consilio eidem se dediderunt, *quorum urbis moenia solo aequavit, Guidone Canussio ipsis Praefecto, qui primus Bononiensium Praetor fuit*. Demum aliis Flaminiae et totius Æmiliae oppidis in ditionem acceptis, universam fere Italiam sibi subjecit; ac sequente anno singulis Galliae Cisalpinae urbibus jus dicturos praefectos, qui nuncii vocabantur, ad continendos in offitio cives, destinavit. Hi tam gravibus tributis populos afflixerunt, ut ab agrorum dominis tertiam fructuum partem quandoque extorquere non erubuerint, a quibusque etiam domuum incolis et singulis frumentariis molis ternos asses acerbius exigebant. His accedebat quod venandi, aucupandique omnibus facultate

adempta, a pauperrimis etiam tertiam piscium, quos cepissent, partem insolentius exposcebant. Ea de re saepius cum Friderico universi Galliae Cisalpinae proceres conquesti, nihil praeter inania verba retulerunt. Itaque quotidie tyranni crescente avaritia, cum gravissimis vectigalibus alia insuper adderentur, eo denique ventum est, ut, libera rapieudi licentia permissa, si quis vim inferenti restitisset, vèl opem principis imploravisset, non modo justitiae auribus occlnsis non audiretur, sed etiam atrocissìme puuiretnr. Cum vero Dertona impie direpta, Mediolanum solo Fridericus aequavisset, ac populum ultra decimum lapidem longe a patria apricis in agris habitare jussisset, etiam Cremam olim nobile Diugnntorum oppidum diruit. Quo communi malo commotae proximae civitates, quae eadem in se, vel pejora verebantur, a tyranno Italica virtute deficiunt. Primi jugum Veronenses cum Vicentinis et Patavinis excusserunt, qui ut ab iniquissimis tributis liberarentur, sordidis Caesaris praefectis expulsis, se in jucnndam libertatem vindicarnnt. Inter hos motus Ænobarbus iu primis ulturus Pontificem, quem ultimum sni imperii excidium esse eredebat, capta urbe, nullo aetatis sexusve discrimine habito, barbara feritate in cives immaniter saeviit, donec peste ejus exercitum opportune invadente, anno MCLXVIII in Germaniam reverti coactus fuit. Tantam Romanis ab eo a nona hora ad vesperas stragem illatam fuisse ferunt, ut non modo cladem apud Cannas acceptam superaverit, verum etiam nunquam tot millia Romanorum uno die caesa fuisse credantur.

Discedente Ænobarbo, cum omnibus Galliae Cisalpinae civitatibus Regienses, qui tum primum libertatem acquisiverunt, contra Caesarem conspirarnnt, simulque foedere conjunctae gentes, ut a saevo hoste se facilius

tuerentur, urbem, quam ab Alexandro Pontifice Alexandriam vocaverunt, communi impensa operis cura Mediolanensibus, Placentinis et Cremonensibus demandata, aedificarunt. Nova urbs adeo feliciter crevit, ut quatuordecim millia civium eam primo anno incoluerint. Demum pace inita Constantiae, Caesar cum Regiensibus aliisque Galliae Cisalpinae civitatibus his legibus est conciliatus, ut populi, libertate retenta, venienti in Italiam Caesari honoris gratia modicum tributum persolverent; quos misisset rectores officiose reciperent; constanti fide augustam majestatem observarent; quam vellent pecuniam proprio arbitrio sibi ipsae gentes imperarent, ac omnibus de rebus ad rempublicam spectantibus arbitratu suo decernerent (1); legatus vero, quem Caesar misisset, in appellationum tantum causis xxv librarum Mediolanensium summam excedentibus, priorum judicum sententias corrigeret; consules in quavis urbe reipublicae negotia administraturos ab eodem legato, vel episcopo, ubi tamen ipse juris dicendi auctoritatem habuisset, constitui praecepit (2). Pro Regiensibus ad Fridericum missi legati Albertus Cambiator, et Rolandus a Charitate in Caesaris verba jurarunt, ex foedereque sancitum, ut triplex Regii imperium esset, unum apud antistitem, qui a Caesare jus sanguinis, cudendae monetae, et moderandae trutinae facultatem, urbis telonium, et peregrinos in urbem introducendi, et dimittendi facultatem obtinuerat; qui, si plura sibi usurpare voluisset, a populo expellendus erat; sed cum, prohibente religione, jus gladii praesul exercere non posset, illud Praetori demandabat, qui alterum in civitate imperium

(1) In pace Constantiae et Blond. lib. v, dec. 2.
(2) C. Privilegia et seq. de pace Const.

habebat, et velut episcopi legatus praelato gladio in publicum prodibat. Tertium erat apud Consules, qui primo ab antistite ex nobilibus electi a curia centum plebejorum confirmabantur, et nulla odii, aut gratiae habita ratione, urbis leges se servaturos jurabant. Bini aut terni ex singulis urbis portis creabantur, quorum duo reipublicae quaestores facti pecuniam publicam non nisi in usum civitatis se impensuros jurabant, ac vulgo Thesaurarii vocabantur: alii duo ex ipsis electi, et Camerarii dicti, ut necessariae tantum impensae fierent, providebant. Ex iisdem alii proconsules appellati in majoribus reipublicae negotiis occupati legatis respondebant. Consulibus unus suberat, qui civium syndicus, judex Communitatis vulgo dicebatur; jurisconsultos tum judices vocabant, et qui ex eorum ordine eligebatur, judicis nomen habuit. Is de injuriis sine sanguine illatis, ac damnis datis cognoscebat, sed absque consulum consensu nihil agere poterat, alioquin vocatus exauctorabatur (1). Horum loco qui antiani vocantur postea creati fuere. Praeter hos unum ecclesiae antistes praeficiebat, qui ejus res administraret, et causas velut patronus tueretur, hospitesque curaret, quem Vicedominum appellabant, ejusque deinde posteri Vicedomini sunt nominati (2). Rebus ita compositis, Albrico Albriconius ex familia Cambiatorum oriundus, qui Regii antistes intra quintum lapidem jus redebat anno MCLXVIII, Praepositum Sessium, Eleazarum Gutiolum, Albertum Robertum, Ugonem Sessium, Normanum, et Parisium Cambiatores, Guidonem Ubaldum et Gravadeum Mutos consules

(1) In Chronicis Mediolan.

(2) Jo. Villan. lib. IV, c. 9. C. volumus cum seq. LXXXIX distinc. c. praeterea 23 de jur. patr. c. in sing. de st. monachi c. in quibusd. de poen.

creavit. Hi primi reipublicae cura suscepta, quae ad bellum, pacem, legationes obeundas, foederaque sancienda pertinebant, diu inter se prius discussa, postea ad centum decuriones referebant. Praetorem vero jus dioturum aliquem ex vicinis urbibus nobiliorem in sex menses vocari placuit, qui in aliud semestre spatium si reipublicae placuisset, quandoque confirmabatur. Ei in sex menses ducentarum librarum Regiensium, quae summa ferme c aureos florenos aequabat, pro eorum temporum conditione amplum salarium erat praestitntum; quae enim hodie multo immixto aere adulterata est argentea pecunia, tum postulata pluris aestimabatur: ob acceptas deinde clades in magna hominum inopia cum omnia tum vilescerent parvum stipendium pro magno habebatur. Siquidem, grassante eo tempore per totam Italiam peste, cum adeo etiam annona laboraretur, ut multi ob famem radicibus vesci sint compulsi, sextarius tamen frumenti Regiensis in magna ea caritate non amplius assibus quinis, et zea binis vendebatur (1). Reipublicae statu ita confirmato, cives navigabile emissarium, quod antea effossum, tum deficiente aqua inarnerat, in Padnm transmiserunt; ab Albriconeque episcopo anno MCLXXVIII obtinuerunt, ut Tresinariam aquam, quae a latinis *Tarana* dicta ex alpibus non procul Felina oppido in septentrionem descendit, suo aere in eam fossam derivaret. Antistiti pro praemio in eo rivo, ubi maluisset periculo poenae librarum centum moletrinam aedificare, et eam sartam, tectamque perpetuo conservare, ac si quas alias populus Regiensis ibi frumentarias molas extruxisset, quartam frugum portionem promiserunt (2). Tantam ob id gratiam civium

(1) Jo. Villan. lib. v, c. 9.
(2) In tabulario publico.

Albrico promuerit, ut anno MCLXXXII urbis praeturam sit consecutus, quo tempore exulceratis ex antiqua injuria utriusque populi animis, grave cum Parmensibns bellnm Regienses gesserunt. Illi Carpinetum, ut in suis annalibus scriptum habent, vi occupaverunt, et quosdam etiam ex coss. et alios nobiles, qui ad ejus turris tutelam positi fuerant, captos Parmae custodiae tradiderunt. Sed aperto postea in campo commisso praelio, Meroelus Marchio Malespina, qui ad ferendam Parmensibus opem venerat, turpiter est profligatus. Post biennium quam haec acta sunt, Fridericus Ænobarbus cum minus prospere cum Longobardis conflixisset, pace jam Constantiae firmata, ac Mediolanensibus conciliatus, Regium venit: ibi magno cum honore exceptns primarios cives, qnos sui studiosos invenit, donatis montanis oppidis aliisque immnnitatibus concessis, sibi devinxit. Gerardo enim Manfredo Mocciatellam, Lupiis Canulum, Sessiis Castellum Dardum, Paludinis Crevariam, Malapresiis Gypsum benefitiario jure dedisse aut confirmasse dicitnr. Muti quoque Bagnum et Gazzatam, Canusiique Felinam, Padernum, Vectianum et Canussinm obtinuisse feruntur. Fama est hos Mathildae scribas amplissimis praediis ditatos post ejus mortem in summo apud omnes honore semper extitisse, et principem locum Regii tennisse, a Canussioque oppido, ubi diu sedem habuerunt, nomen traxisse. Manfredos vero a Manfredo, quem fama est Euridicem Constantini Caesaris filiam rapuisse, descendere nonnulli antumant: sed ego illis malo adhaerere, qui eos per Mathildae familiaritatem opibus auctos excrevisse existimant. Caeterum Friderico antequam Regio discederet ad significandum eorum civium studium decem Mediolano missi legati affuerunt, qui militum copias ad omnes Galliae Cisalpinae urbes, eas prae-

sertim quae Mathildae paruerant, recipiendas, et pro tributo trecentas libras calendis martii quotannis solvere spoponderunt (1). Cum vero Regienses ad suum arbitrium cuncta administrarent, qui in urbis castellis imperabant, novae ditionis accessione, et Caesaris gratia superbi, civibus subiici dedignati, diu reipublicae parere detrectarunt. Tandem ubi arma in se expediri animadverterunt, Gerardus Manfredus et Actius a Dallo pridie idus septembris in majore templo cum castellis in ejus fidem venerunt. Biennio post Paderni quoque, Gypsi, Pavulli, Lezullii, Sarzanae, Milliarae, Campaniolae, Lagnignae et Felinae benefitiarii, Bailardo Caretto Veronensi juramentum excipiente, ultro populo Regiensi se subjecerunt; quo tempore Castrum novum Parmensium est aedificatum. Cum Mantuanis quoque, qui, antiqua recrudescente injuria, bellum renovaverant, in annos xv induciae factae fuere.

Biennio postquam haec acta sunt, fulgura et tonitrua, quanta nunquam antea ab hominum memoria venerunt, lapides etiam magnitudine ovorum, forma quadrangulari e coelo cecidere, quae, agricolis frustra labores suos deplorantibus, arbores, vineas, segetesque calamitosa clade oppresserunt. Plurimis brutis et hominibus ea strage occisis, etiam corvi, si fides annalibus est habenda, vivos carbones, quibus domos incendebant, rostro ferre per coelum portentoso spectaculo conspecti esse feruntur. Eodem anno pridie nonas augusti Joannes D. Prosperi Abbas decimus tertius omnium nobilissimum coenobium, quod antea aedificari coeptum esse diximus, Coelestino III sedente, et Henrico imperante, variis et jucundissimis picturis exornatum perfecit. Primum inter omnia Italiae

(1) Corius in prima parte.

memoranda coenobia locum egregium illud opus tenuisse dicitur, in quo, praeter alios quam plures profanos religiosorum aere conductos, ducenti etiam sacris initiati monachi alebantur. Ea moles non minore magnificentia, quam elegantia extructa scriptis demandata, et usque adhuc memoria conservata, praetermittenda non fuit. Ne tanti enim aedificii nomen periret, quo nonnulli religiosi qui pluribus provinciis peragratis aliud nobilius se nunquam vidisse dicebant, Petrus Mutus D. Prosperi coenobita ejus monumentum brevi, ut potuit, libello descriptum ad posteros transmisit. Ego pagellas illas Venetiis repertas legi, in quibus longa et perampla illa tecta urbis instar fuisse inveni; nec indignum esse existimavi, si multa, quae ibi collecta offendi, hic fide integra recitarem.

Ab urbe venientibus celsis hinc inde longo tractu ambientibus muris, in primis vasta in latum cavedium exiens porta se offerebat, inde ex utroque latere supra aditum, quod atrium veteres vocabant, sublime surgebat aedifitium, ubi imminente bello milites pro coenobii praesidio excubare consueverant, pacis vero tempore magna frumenti copia ad alendos pauperes condebatur. A laeva cavedium ingressis magnificum e regione coenobii extructum hospitium videbatur, quo vel peregrinantes divertere vel exitialis belli tempore agricolae convenire consueverant. Xenodochio contiguum erat D. Apollinaris templum, ubi olim D. Prosperi corpus jacuisse supra memoravi. Ad occidentem e regione portae D. Prosperi templum altitudinis cubitorum nonaginta conspicuum cernebatur, cujus testudo duplici columnarum ordine fulta tota caerulea aureis stellis miro ordine distinguebatur. Ante majorem aram, quae ferrea crate claudebatur, vermiculato opere sedes mirifice incisae longis ordinibus spectabantur. Reli-

quam aedificii partem longus murus ambiebat, in cujus medio amoena porta viridarium pluribus arboribus fructiferis consitum, et undique amoenissimis topiariis circumdatum respiciebat. A dextera vero parte cavedium ingredientibus amplissimae aedes, ubi ducenti monachi alebantur, duo latissima peristylia continebant. In his praeter marmoreas imagines, quae plurimae muris affixae visebantur, D. quoque Benedicti gesta, variaeque novi, et veteris testamenti historiae, omnium item mensium et poli signa depicta conspiciebantur. In primo peristylio ad meridiem comitium, a monachis capitulum vocatum, varia Servatoris Christi miracula ostendebat; cujus portam sectis lapidibus in medio aedificatam virentia vitium folia amoenissime exornabant. Diversa egregieque depicta cubicula, celsas porticus, amoenissima ambulacra, magnificas coenationes, longum esset describere. In interiore peristylio praeter conclavia, quae plurima marmore incrustata visebantur, sublime surgebat palatium, quod scite depictum, et sectis lapidibus incrustatum erat in medio triplici columnarum marmorearum ordine alte suffultum: qua parte spectabat orientem, duabus constabat contignationibus, ubi plurimis mira elegantia extructis cubiculis cum regio comitatu vel princeps commode excipi potuisset. In media area, quae in fronte subsidebat, limpidissimus fons novem fistulis in medio salientibus scaturiebat. Ab alia parte amplissima Abbatis habitatio cum pluribus splendido apparatu instructis cubiculis, duas aulas continebat, in quibus salutantes, aliaque negotia tractaturi pro dignitate excipiebantur. His conjuncta erat coenatio, cui in anteriore parte secretiores duae, egregiaeque pictura bibliothecae cohaerebant, sub quibus peregrinorum Abbatum palatium cum porticu marmoreis columnis supe-

riora sustinente, et sacellum magnificentius aedificatum erat; ubi aestivis caloribus, cum laboriosas vigilias remittebant, religiosi jucundius versabantur. Instructissimas penus generosissimarum eqnarum armenta ad propagandam sobolem comparata, aromatum, diversarnmque artium officinas, amoenissima viridaria, amplissima equilia, quae singula jugera occupabant, aliaque innumera loca praetermitto, ne dum singula minutiora recenseo, cum aliquo legentium stomacho, nimis curiosus esse videar. Lenis aqua medium coenobium interfluens extra totum murum rauco murmure circumibat. Ripas utrinque lascivientes vites, rosis, aliisqne redolentibus floribus insertis, mirifice exornabant. Tantae denique universum coenobium magnitudinis fuisse dicitur, ut civitati aequandum, peditem singula invisentem maxime defatigaret, et Abbates, praesertim seniores, dum artifices, et singula loca inviserent, equo vehi oporteret. Nongentos frumenti annuos modios Regienses, praeter zeam, orizam, et diversa leguminum genera coenobitas percepisse in annalibus scriptum invenio. Sexaginta equites, et quadraginta pedites ad corporis sui custodiam quandoque loci praesulem hostes timentem aluisse legitur. Haec tantae nobilitatis aedificia a Feltrino Gonzaga, dum arcis incolumitati studet, miseranda ruina postea solo aequata fuere. Eodem anno die martis pridie nonas augusti Joannes Abbas contiguam templo nobilem turrim fundavit. Haec in immensam centum nonaginta cubitorum altitudinem sublata in summo culmine crassissimam trabem mali instar habebat, quae a funibus summo tecti undique alligatis erecta tenebatur. Alte in carchesio supra turris tectum viginti cubitis eminens tota nocte clarum lumen ardebat, ut in deviis sylvis errantes, velut ex alta pharo, longe face conspecta hospitium adire possent.

Novenis contignationibus, ad quas scalis commode fabricatis ascendebatur, totum aedificium constabat. Primi gradus templorum more ad orientem surgebant, sequentes ad meridiem, occidentem tertii, quarti septentrionem respiciebant; reliquis, donec ad supremum tectum perveniretur, eodem ordine subsequentibus. In superiori parte ingens saxorum acervus ad propellendos hostes congestus erat. In imo effossus puteus, et cum pistrino furnus ad panes obsidionis tempore coquendos commode fuerat fabricatus. Quatuordecim ex turri suspensae nolae longius exaudiebantur, inter quas immensae latitudinis una, Tamburus vulgo vocata, a prima hora noctis ad tertiam pulsabatur, ut ad campani aeris sonum peregrini ex saltibus eo se reciperent.

Sed, ut ad coeptam historiam revertamur, anno qui fuit MCXCVIII Manfredus Pisius, Albertus a Borzano, Actiolinus Guidottus, et Bernardus Robertus, qui antea parere reipublicae recusaverant, se cives Regii professi Quertiolam, et Quarantulam, aliaque castella cum universa ditione populo Regiensi jurejurando subiiecere. Id oppidum a quadraginta Manfredi nepotibus materna lingua primo Quarantam, deinde Quarantulam dictum fuisse ferunt. Hoc tempore omnium artium Academiam publicam Regii fuisse invenio; cum in epistola ad Parmensem episcopum missa canonici Cremonensis Regii scholasticis disciplinis vacantis Innocentius III, qui tunc sedebat Pontifex, meminerit (1). Sed quo anno instituta fuerit non constat, non tamen multo post obtentam libertatem erectam fuisse credendum est, quae plus CCXXX annis floruisse ex nostris annalibus deprehenditur. Locum ubi doceretur reperiri non potui, solum extat decretum, quo statuitur, ut tam

(1) In c. bon. II de elect.

a superiore quam inferiore via gymnasia restituantur (1). Sub id tempus Franciscus Petri Bernardoni Assisinatis filius, et Dominicus Hispanus vitae sanctitate clarissimi floruerunt, a quibus cum Innocentius III Pontifex S. Joannis Laterani templum labens sustineri in somnis vidisset, ab illis institutos religiosos amplis privilegiis donatos probavit. Hi Minorum et Praedicatorum ordines vocati suas non multo post apud nos sedes posuernnt.

Prudentioribus reipublicae nostrae senatoribus interim defunctis, qui sneccesserunt, dnm libidini ambitionique snae nimium indulgent, ad interitnm tandem optimnm civitatis statum deduxernnt. Siqnidem equitis dignitate exornati, illustribusque titulis honestati, cnm ob nominis splendorem caeteros superbe contemnerent, inferiores cives sibi subiicere, omnia ex libidine administrare, et ubique tyrannidem exercere volebant. Contra alii qui se liberam patriam habere meminerant, potentioribus resistere, et suam libertatem vi tueri conabantur. Cum intestinum igitur odium diu concoxissent, demum ex verborum contumelia ad arma prosilientes gravissimum in urbe dissidium, vel potius excidium suscitarunt. Equitum factio *Scopacciati* a prima forte eorum familia snnt vocati; alii ab alio, ut creditur, diversae sectae dnce *Matiaperlini* sunt nominati. Quo primum anno in apertam injuriam proruperunt, qni fuit MCXCIX, gravioribus viris intercedentibus, nihil praeter verba actum fuit. Novae enim reipublicae extraneos hostes non deesse, in illos arma, quae in se cives vertebant, esse expedienda, ibi virtutem, animi magnitudinem, et virium robur ostendendum, domi perniciosa contentione non esse labefactandam civitatem seniores

(1) In libro magno fol. CCXLVII.

memorabant. His superveniunt Parmensium et Cremonensium legati, qui adversus Placentinos et Mediolanenses, qui in agrum suum irruerant, auxilium petebant. Cum Burgum enim Sancti Domnini a Parmensibus captum Placentini repeterent, grave inter eos bellum exortum fuerat; Cremonensibusque conjuncti Parmenses etiam Regiensium auxilium implorabant, quod hostibus Mediolanenses, Novarenses, Brixiani, Novocomenses, Alexandrini, Vercellensesque opem ferrent. Irae igitur cedentes cives simultatem deponunt, delectuque habito pro sociis ad Sancti Domnini Burgum a summo mane ad vesperam prospere pugnaverunt. Ex hostibus, qui relictis impedimentis fugierunt, ducenti vivi capti, et Parmam deducti custodiaeque traditi fuere. Domum inde reversi cives oppugnandi Castripulianum, quod in Regiensinm fidem venire detrectabat, consilium ineunt. Agebat tum Praetorem Regii Guido, ab avi nomine cognomento Lambertinus dictus, Bononiensis, qui eo missus admotis ex tempore scalis incolas, qui ad subitum tumultum arreptis armis occurrerant, protinus deturbavit; jamque victor factus direpto castello reipublicae nomine praesidium imposuit. Mox Bismantuam ducto exercitu, illud quoque castellum in civium potestatem redegit. Domum reversus portam in urbe septentrionem versus aperuit, quae a cruce marmorea quam ei affixit, postea Sanctae Crucis Porta est nominata. Rudiora carmina ibi marmore incisa adhuc hodie facti memoriam conservant. Reliquis castellis a Regiensibus jam subactis, Villiolum imperata facere nolebat: quare Sessii Consules instructo exercitu emissi eo contendunt. Hostes intra moenia se tuentes aliquamdiu impetum sustinuerunt, donec admotis machinis quassati muri nostris aditum aperuere. Tum vero turmatim irruentes obvios quosque

caedunt, igne, ferroque omnia vastant; itaque locum muro denudatum in vici formam redegerunt. Hac parta victoria, cum extranei hostes deessent, quod plerisque otiosis evenire consuevit, rursus in se arma cives convertunt. Scopacciati enim equites nbi se inferiores cives, in quos superbius efferebantur, deprimere non posse vident, cum clientibus arma capiunt. Nec minus segnes Matiaperlini, *quorum princeps erat Jacobus Caifemis,* et ipsi armati in forum convolant, nbi adversariis obviam facti, crnento praelio tamdiu dimicarnnt, donec, plnribus utrinqne caesis, praetoris aliorumque graviorum civium interventu pugna est dirempta.

Horum auctoritate rixa dirempta, externorum etiam hostium metus a dissidio cives avertit. Gabellum enim flumen, quod in magna siccitate sibi Mutinenses nsurpaverant, armis repetere oportuit. Ejus fons in summo Ventasii montis cacumine ortus ad occidentem secundum Velisneriam, Bismantuam, Cottam, Carpinetum, Valestram, aliaque ignobiliora castella usque ad Dolam flnviam defertur; ibi, torrente excepto, in meridiem conversus Mutinenses a Regiensibns dividit, donec ad Bondanellum, non longe a nobili D. Benedicti coenobio, Padum ingreditur: ubi vero supra Herberiam castellum Arianorum ab oriente alluit, aquam Regienses ex flumine Scandiannm, et inde per portam Castelli in urbem deducunt. Tum forte arentibus campis ab altera ripa Mutinenses ad Saxolum et ipsi per aliud canale fluvium ad se derivarunt, et Marzajam castellum in Gabelli ripa ad repellendos, si moverentur, vicinos aedificaverunt. Quod ubi Regiensibus compertum fuit, re apud decuriones diu agitata, placuit cum Castri Arianorum incolis pacisci, ut universam Gabelli aquam ipsi Regium deduci curarent. Publica itaque con-

ventione inita, Mazoni Notario, et Bondulfino Odorico, Castri Arianorum Coss., duae moletrinae extra portam Sanctae Crucis aedificatae his legibus datae fuere, ut, cataractis fluento oppositis, canalem Regium decurrentem in universo nostro agro ipsi suis impensis excavarent, ac, quum opus esset, purgarent. Ea arte fluminis commodo exclusi Mutinenses infestis armis in agrum nostrum irruperunt (1). Regienses vicinorum impetu audito, ad pagum, qui Formigine dicitur, obviam hostibus *Dainabello Praetore duce* facti, atrox praelium inierunt. Albertus a Lendenario Praetor, idemque Mutinensium exercitus dux, suis brevi oratione confirmatis, in dextera victoriam stare exclamat, illum esse diem, qui vel nobile in vicinos imperium, vel turpem ipsis servitutem sit allaturus; hortatur, ut pristinae virtutis memores, domum ad uxores, et liberos nobilem de hostibus triumphum ducturi revertantur. Ita vociferatus in obvios irruit, a primo impetu unum atque alterum obtruncat. Contra Regienses praesente animo adversam ingruentium aciem fortiter sustinent. Clamore et pulvere simul ad coelum sublato, ac cruenta undique caede facta, pugna exasperatur. Dextra tandem Regiensium equitum ala longius producta hostem circumdat, ac in fugam versum usque ad Pratum Tentionum secuta, cum Alberto Praetore fere universos vivos cepit. Regienses ad cingendum moenibus Herberiae castellum, quod tunc temporis contra Marzajam aedificabant, captivorum opera inclementius usi, postea arundine manu imposita traductos dimisisse feruntur. Illi gravem injuriam ulturi, ubi suas vires fractas conspiciunt, instaurato Formigino castello, cum Veronensibus, et Salinguerra, qui

(1) An. MCCI.

Caesaris ope Ferrariam occuparat, novas copias contrahunt, ac sequenti anno [1] mense junii erecto curru, quem Carrocium vocabant, Herberiam, cui Manfredus Picus praeerat, obsident. Hic erat insignis magnitudinis quadrirotis currus, qui tribunal panno purpureo tectum sustinebat; quatuor bovum jugis a dextra parte rubea, a laeva alba stragula instratis trahebatur; in medio malus funibus undique alligatis detentus in summo auream crucem habebat, sub qua album vexillum purpurea cruce per medium distinctum, spirante aura alte explicabatur. Id signum plurimae postea in Italia respublicae pro suis insignibus a carrocio sumptis retinuerunt. Huic magnae existimationis vir communi civium consensu electus praeficiebatur cum sacerdote, qui sacra ante currum celebrabat. Is quinque asses et septem ex ejus temporis denariis pro mercede in singulos dies accipiebat. Idem stipendium octo militibus carrocii custodibus, totidemque tibicinibus, qui ad publicam laetitiam declarandam currum praecedebant, ex publico solvebatur. Hanc machinam Eribertus Mediolani archipraesul bellum cum Laudensibus Pompejanis gesturus, quod episcopum a se missum recipere noluissent, eo consilio primus invenisse dicitur, ut ordinibus exturbati milites ad conspicuum signum facile recurrerent, rursusque recepto animo ad renovandum praelium reverti possent [2]. Eum usum postea mutati Florentini in alios liberarum urbium populos transtulisse creduntur. Herberia vero a nostris strenue defensa, cum omnes ejus expugnandae vias frustra hostes tentavissent, legatos Regium mittunt, ut, armis depositis, arbitrorum judicio controversia fini-

(1) MCCII.

(2) Nic. Macchiav. hist. lib. 2.

retur. Regienses, ne vi magis, quam jure niti viderentur, postulata non abnuunt, ac communi utriusque civitatis consensu Parmae et Cremonae praetoribus dirimenda lis est commissa; qui, urbium juribus diligenter inspectis, Gabellum flumen ad civitatem nostram pertinere pronuntiarunt [1]. Itaque praelio et foro victi Mutinenses moestissimi recesserunt. *Eo anno Jacobus et Gherardus Rolandini, unus post alterum Praetores fuerunt, sequentibus vero Isaac Doarius jus dixit.* Tanta vero sequente anno annonae copia fuit, ut duodecim Mediolanensibus assibus in singulos sextarios Regienses triticum, faba novem, zea vero, et millium indicum, vulgo melica appellatum, quatuor distraheretur. Id ex India Plinii temporibus in Italiam allatum inde nomen habuit [2]. In ea fertilitate Pegonariae et Gonzagae incolae urbi nostrae subjecti centenas, ut ipsi vocabant, Mediolanenses libras, tributi nomine octavo calendas decembris Regiensibus persolvisse leguntur. Ea summa tum quinquaginta aureos florenos excessisse creditur. Bondeni quoque Regiensi reipublicae subditi Praefectus viginti quatuor ejus temporis libras pro tributo numeravit. Bondicum id antiquitus, quod Ligurum lingua fundo carens significabat, vocatum fuit. In praecipua enim Padi altitudine, ubi primum scinditur [3], amnem ipsum Bondicum tamquam profundum incolae nominarunt. Non multo post [4] D. Prosperi Abbas in suburbiis extra portam Sancti Stephani omnium Sanctorum templum, ut marmorea tabula fano affixa testabatur, Innocentio III sedente, aedificavit. Id a me saepius visum,

(1) Ut in libro major. tabularii cart. CLXXII.
(2) Plin. lib. XVIII, cap. 7.
(3) Plin. lib. III, cap. 16 in fine.
(4) MCCIV.

cum superioribus annis muniri urbs coepisset, cum omnibus suburbiis dirutum fuit.

Sequente anno qui fuit MCCV Carlassali in Suzaria insula oppidani a Mutinensibus sollicitati Regiensium jussa facere recusarunt. *Gualbertus Leazarius et Raimundus a Gypso cum Sessiis Coss. erant, qui, vocata curia, de domandis contumacibus consilium ineunt; omnibus rebellem populum ad deditionem compelli placuit.* Decurionum igitur decreto negotio Sessiis Coss. dato contumaces ad deditionem compelli placuit, confestimque eductis copiis, ubi eo perventum est, vallo prius et fossa circumdati hostes, ne instante hyeme difficilior obsidio fieret, oppugnari coeperunt. Postridie summo mane milites per tubicinem vocati, qua debilior murus videbatur, scalis admotis oppidum adoriuntur. Incolae contis, scorpionibus, saxis, et omni telorum genere nostros in fossas praecipites agunt. Cadentibus facta testudine cum integri succederent, ingenti clamore sublato, praelium renovatur. Interim Sessii ab utroque latere milites disponunt, qui, missilibus eminus jactis, e pennis propugnatores deiciant: tandem ob crebros telorum imbres ab oppidanis desertus murus capitur. At mense octobri Carlassalenses, ut erant natura factiosi, ad Veronenses se conferunt, se vi a Regiensibus expugnatos conqueri, exclamare grave eorum imperium ferri non posse, rogare ut sibi contra communes hostes opem ferre velint. Veronensibus tunc Sanbonifacii praeerant, qui recentis belli, quod minus prospere cum nostris apud Herberiam gesserant, adhuc memores, non esse amplius ferendam hostium licentiam fremebant, raptimque coacto exercitu ad vindicandam sociorum injuriam properant. Instante hyeme, quod nihil adversi timeretur, modicum in oppido relictum praesidium fuerat. Igitur ex tempore

plurimi paucos adorti etiam ultro ad hostes deficientibus oppidanis facile superant. Ingressi Veronenses, praesidiariis militibus abire permissis, Carlassalum, quamquam reclamantibus incolis, direptum, ac demum, ne amplius in Regiensium potestatem veniret, incensum adversus societatis jura funditus everterunt. Quo tempore Guido Lupus Regii praetor fuit. Mutinenses vero, qui, odio jam alte concepto, cladis acceptae oblivisci non poterant, ex Veronensibus, Mantuanis et Ferrariensibus formidando exercitu contracto ad obsidendos Regienses proficiscuntur; qui tot gentium armis circumventi a Bononiensibus et Parmensibus auxilium petunt, suam in socias urbes perpetuam fidem commemorant, se rupta pace iniquorum vicinorum invidia oppugnari, quos nisi reprimant, acerbiores ipsi quandoque adversarios sunt habituri. Meminerint pro ipsis adversus Placentinos nuper a Regiensibus sanguinem effusum; denique obsecrant ut veteris amicitiae memores aequitatis defensores, et perfidiae ultores esse velint. Justa oratione utrique commoti, quibuscumque et ipsi possunt copiis contractis, instructoque curru, quod justi exercitus comparati argumentum erat, ad nostram urbem obsidione liberandam contendunt. Dum vero hinc Parmenses, illinc Bononienses ex composito in hostium castris ingentem caedem edunt, Regienses, *Guidone Folleano, et Arduino Sessio Coss. praeeuntibus,* et ipsi e Brennonis porta erumpunt, ac clamore sublato, tertia acie hostes in fugam vertunt; castris eorum direptis, socios praeda onustos, et opulentis muneribus honestatos domum dimittunt. *In aliis annalibus hostes ad oppugnandam Suzariam profectos et profligatos fuisse legitur.* Ingenti belli periculo Regiensibus liberatis, Guido Robertus ob magnam nominis famam ad jus dicendum Patavium accitus, jura municipalia, quae

hodie quoque vigent, ibi Praetor condidit. Non multo post Regienses Othonem IV Romam coronae capiendae gratia proficiscentem Salvaterrae *sui territorii castello, Petro Torello Bononiensi Praetore obviam misso,* omni obsequii genere exceperunt.

Anno vero qui fuit salutis MCCXI *Guidone Folleano et Raymundo a Gypso, vel, ut alii malunt, a Baysio Coss.*, Albricone defuncto, Nicolaus Maltraversius Regii antistes creatus est, qui a Vicentinis postea in Germaniam ad placandum iratum Caesarem legatus missus, ibi decessit. *Calendis junii, Guidone Lambertino Bononiensi interim Regii Praetore, atque universis astantibus civibus cathedram ascendit.* Per eosdem dies nundinae apud pontem Sancti Mauritii, qui tunc Pelatus dicebatur, celebrari coeperunt, ubi D. Lazari hospitium ad eos, qui elephantia, aut sacro igne tacti erant, recipiendos quinquennio post aedificatum fuit. Hi in nosocomio pietatis extra pomoerium ad portam pontis Livonii antea habitaverunt, qui locus peste laborantibus deinde est assignatus. Nundinae vero sub D. Petri moenia, ubi forum boarium est, translatae fuerunt. Interea Innocentius ex Galliis ubi residebat, Othoni diris nunciatis, Gherardum Cossium a Gypso Regiensem Novariae episcopum legatum in Italiam misit, qui in defuncti Uberti Pirovani locum Mediolani Archipraesul suffectus intra dies triginta Cremonae decessit. Sequenti anno qui fuit MCCXII Thoma a Charitate, et Giberto Coss. Suzariani Regiensi antistiti subjecti hostium impulsu defecerunt. Quare statim ad puniendos rebellantes eductus exercitus fuit. Contra Mutinenses cum Ferrariensibus et Cremonensibus oppidanis opem laturi venerunt, sed ubi nostrorum apparatum intelligunt, arrepta fuga socios deserunt, qui cum nullam aliunde opem

sperare possent in antistitis potestatem reverterunt. Capta Suzaria, Regienses pro Bononiensibus adversus Pistorienses feliciter pugnaverunt; eaque expeditione peracta de mutuo sibi adversus hostes auxilio praestando cum sociis perpetuum foedus percusserunt (1). Thomas a Charitate et Gualbertus Leazarius Coss. pro civitate jurasse feruntur. Nec multo post (2) contra Placentinos a Parmensibus et Cremonensibus vocati sub Isaco Doario Praetore apud S. Columbanum insignem victoriam retulerunt. Domum reversi Bononiensium legatos, qui adversus Ariminenses auxilium petebant, offendunt; cives, qui conjuncti deesse non poterant justo voto se affuturos respondent. Laetis igitur dimissis legatis, statim duobus coss. habendi delectus negotium datur, qui, ineunte vere, sociis conjuncti ad obsidendum Ariminum proficiscuntur. Sed eo vicinorum populorum praesidio opportune defenso, nihil agi potuit. Itaque ejus urbis oppugnatione minus prospere tentata, inde adversus Forum Cornelii, et Archangelum oppidum ductus est exercitus. Verum, pace non multo post cum hostibus inita, Regienses domum reversi ad civilia curanda negotia conversi fuere. Turrim enim curiae palatio contiguam ad exornandum forum aedificare coeperunt, quod praeclarum illis temporibus magnificentiae argumentum esse existimabatur, cum eos tunc nobiles vocatos fuisse Ricobaldus scribat, quibus turris extructa fuisset. Unde in publicis etiam conscribendis monumentis ad significandum familiae splendorem, nobiles a Turri vocabantur. Nonnulli tamen id aedificii genus in discordiis civilibus a factiosis primum inventum fuisse affirmant. Id opus

(1) MCCXIII.
(2) MCCXIV.

feliciter coeptum, saeviente frigore, intermitti oportuit: tanta enim hyemis, quae secuta est, asperitas fuit, ut Padum fluvium durissima glacie concretum duobus continuis mensibus equi, currusque trajecerint: in cupis nec admoto igne concretum vinum liquescebat, quod securibus scindere cogebantur; ea tamen annonae copia fuit, ut passim novem assibus frumentum venale inveniretur.

Sub id tempus Friderici II Caesaris uxor, Neapoli in Germaniam rediens, Regium divertit. Is Friderici I ex Henrico filio nepos, qui postea anno MCCXXI ab Honorio III die festo S. Martini corona imperii est insignitus, ac plura in ecclesiae honorem statuit, etsi postea ab ea discessit; cum Marascottus Faventinus urbis nostrae Praetor magnam cum Sessiis mulctarum causa, quas sibi applicabat, contentionem exerceret. Post eum Bernardus Cornaccianus Parmensis Regii Praetor jus dixit, sub quo cives cum Bononiensibus S. Archangelum Ariminensium castrum obsident, donec pace inita hostes mille et septem Cesenates, quos ceperant, e carceribus dimiserunt. Caeterum Mantuani, qui vetus odium in Regienses nunquam deposuerant, cum aperta vi bellum gerere non auderent, ad dolos conversi anno MCCXVIII Gonzagam non longe a Pado oppidum Alberti Casalodi auxilio invasi per proditionem occuparunt, ac firmissimo praesidio munierunt. Hoc nuntio allato, moeror simul et ulciscendi ardor civitatem invasit: sed cum munitiorem locum esse scirent, quam ut facile expugnari posset, a Parmensibus et Cremonensibus auxilium impetrant. In urbe quoque aliis copiis contractis ad recipiendum oppidum una cum sociis Regienses profecti vix ad moenia pervenerant, cum ab hostibus qui insidias paraverant, clamore sublato, acriter impetuntur. Ut pro temporis angustia potuit, in medio locati Cremonenses,

sinistrum Parmenses, dextrum Regienses aciei cornu sustinuerunt, in fronte hastati cum delecta funditorum et sagittariorum manu dispositi, atroxque praelium committitur. Ad primam telorum missionem plurimi utrinque caesi, jam vero collato pede hastis retusis confertissimi ense dimicare coeperunt. Inter equorum fremitus hinc inde crebri ictus, ferientium voces, et cadentium gemitus exaudiebantur. Nostri tamen numero superantes, equitatu in hostium latera immisso, ingentique facta caede, reliquos in fugam vertunt. Mantuanorum profligato exercitu, ad obsidendum oppidum Regienses convertuntur. Qui ejus praesidio praeerant, nullam externi auxilii spem habentes, victori hostium exercitui, militum pacta salute, se dedunt. Gonzaga recepta, aliud subinde atrocius bellum irrepsit, Otho enim v ab Innocentio III diadema adeptus quaedam ecclesiae loca occupaverat: ob id diris damnatus, et ab imperio depositus ejusque loco Fridericus Ruggerius Siciliae Rex Romanorum Princeps electus fuit. In eo dissidio plurimae Longobardiae civitates Pontifici favebant, Mediolanenses vero Othonis partes secuti, et ob id anathemate percussi, trajecto Pado, auxiliantibus Placentinis, Parmensem agrum, ingenti praeda abacta, hostiliter devastarunt. Parmenses, Cremonensibus, Mutinensibus et Regiensibus qui a Pontifice stabant conjuncti, ad oppidum Gibellum, ita postea a Gibellinis, quos sequebatur, appellatum, ingenti accepta clade, cum hostibus pugnarunt. Nec multo post Mediolanenses renovato exercitu reversi, atrox praelium a prima diei hora ad noctem aequo marte commiserunt, nec penes quos victoria steterit certum fuit. Demum, deficiente commeatu, hostes ad diripienda alia Cremonensium oppida contenderunt. At Regienses, Gibello ecclesiae nomine munito, perpetuam cum Parmensibus de

mutuo sibi ferendo auxilio conventionem inierunt. Post haec Friderico Ruggerio cum exercitu apud Regium sedente, *cum Bernardinus Jacobi Bononiensis Regii praetor esset,* Braidae, quod oppidum est nostri episcopatus, nundinae celebrari coeperunt, et infirmi ad pontem, qui Pelatus vocabatur, translati fuere. Mutinenses vero, qui vetustum vulnus adhuc sub pectore servabant, Ferrariensibus, Mantuanis et Veronensibus conjuncti, Bondenum circumvallarunt. Non magno ibi praesidio relicto, cum nec satis commode per hostium fines eo transmitti commeatus, aut miles posset, post aliquot menses qua oppugnari coeptum est, vacuum oppidum hostibus est relictum. Sed cum illi ad diripiendas villas palantes discurrerent a Bedulli, Favergi, et Campaniolae rusticis profligati fuere. Caeterum continuis bellis attriti Regienses opportuniorem recipiendi ejus loci occasionem expectare decreverunt. Interea ad exsiccandas paludes, quae in proximas Regiolo valles restagnabant, convertuntur. Strata enim ab urbe ad illud oppidum via, emissarium, quod Taleatam vocabant, superstructo ponte effoderunt, in eamque fossam, ruptis aggeribus, Padum immiserunt. Mantuani, qui Regiensium res augeri aegre ferebant, nocte fluvialibus navigiis per paludes vecti, ut pontem supra fossam fabricatum everterent, silente luna venerunt. Excubabant ibi forte cum piscatoriis naviculis custodes, qui ad hostium strepitum excitati, armis arreptis, Jacobum a Palude Regioli praefectum, ut sibi cum expedita militum manu adsit, propere misso nuncio accersunt. Ipsi interim impetum sustinentes donec auxilium veniat, hostem distinere conantur; sed numero inferiores a multis facile superantur. Lintribus enim injecto igne consumptis, et naumachiariis in undas dejectis, vix pauci ad viam natando evasere. Victoria

Mantuani potiti, ligneo ponte incenso, etiam viam omni ferramentorum, et machinarum genere diruere incipiunt. Tum Jacobus Paludinus cum expedita cohorte superveniens in confertos hostes irruit. Angustus erat in mediis paludibus viae locus, in quo dum mutuis ictibus se caedunt, cruentum certamen furentes miscent, in undas plerique praecipitantur. Dum utrique ambiguo adhuc marte dimicant, Mantuani navigiis devecti sagittis, et omni jaculorum genere undique nostros impetunt. Jacobus inter primos strenue pugnans spiculo scorpione misso lethaliter vulneratus concidit. Amisso duce, reliqui ubi se duplici acie circumventos vident, fugam capiunt. Itaque nemine amplius obstante, et ponte jam flammis consumpto, Mantuani, aggere in paludes dejecto, viam destruunt. Regiolum quoque ab iisdem tunc solo aequatum fuisse apud aliquos legi; quod tamen in hanc diem semper stetisse certiores auctores referunt. Hano gravem injuriam vindicaturi Regienses sub Guidone a Septemfontibus Faventino Praetore exercitum scribere coeperunt, sed vicinarum urbium opera hostibus conciliati cum ponte postea viam restituerunt.

Rebus civitatis compositis, Regienses cum Mediolanensibus, Faventinis et Brixiensibus magnam vim militum et comeatus in Ægyptum ad expugnandam Damiatam miserunt. Ea Heliopolis olim fuit, a Nyli ostio, marique non amplius mille passibus distans, quae, vico prius capto, tandem post annum quam oppugnari coepit, grassante intus peste in Latinorum potestatem venit: ibi praeda ingens auri, argenti, gemmarum, pretiosae vestis et supellectilis inventa nostros ditavit. Urbem Pelagius legatus Pontifici tradidit; sed cum ad oppugnandum Cayrum, olim Memphim appellatum, septuaginta millium hominum

ductns exercitus, excrescente Nili aqna, corrnmperetur, Damiata hosti est restituta. Ea expeditione postea Tripoli capta, unus ex Robertis ejus civitatis antistes creatus, familiae Tripolitanorum nomen dedit; qui enim ex ejus stirpe descenderunt Roberti, omnes Tripolitani sunt vocati (1).

Sequente anno (2) magnus latro Barata a Porata Regii praeturam egit, cui Gotosaldus Bononiensis (3), deinde Bertus ab Entiola (4) suffectus in alium etiam annum confirmatus fuit. In extremo ejus magistratu dum Nicolaus antistes solemni Natalis Domini die in majore templo concionatur, inauditus terremotus, dejectis aedificiis, non Regium tantum, sed universam fere Italiam deformavit. Mantuani quoque Regiolum devastarunt, sed hi post biennium Fabiani Belotti Praetoris opera qui Gifredo a Pirolo successerat, cum Regiensibus inducias fecerunt. Veniente vero anno MCCXXVI Regium magnam civium factionibus cladem accepit. Gerardo enim Ardizono et Guidone Roberto coss. tabularium publicum flagravit: Sessii qui ante se reipublicae fidissimos praestiterant, vitamque pro publica salute saepius exposuerant, cum Caesarianas partes sequerentur, in reipublicae odium, quae pro Pontifice stabat, intempesta nocte chartophylatio ignem crediti sunt subjecisse. Accensa flamma, correptis trabibus quibus prima fabulatio constabat, in superiora armaria, ubi monumenta publica servabantur, prosiliit; instrumentaque, annales, privilegia, et omnia civitatis jura cum scriniis consumpsit, donec in proxima transiens

(1) Paul. Æmil. lib. 6 de reb. gest. Francor.

(2) MCCXX.

(3) MCCXXI.

(4) MCCXXII.

etiam universam domum publicam delevit. Incendii crepitu fumoque excitati vicini, sublato clamore campanarum custodes ad vocandum nolis populum suscitant. Expergefacta plebs ad forum confluxit, dominantibusque flammis sero restinctis, vix paucas, quae extant, scripturas servavit. Ita plurimorum reipublicae nostrae gestorum publico luctu memoria interiit, et vix haec pauca, quae ad posteros transmitterentur, divino beneficio conservari potuerunt. Etsi tantae calamitatis moerore consternati cives, ad ampliandam tamen urbem animum adjiciunt: nondum enim moenibus conditis, cum aggeribus, fossaque ubi nunc templum est D. Georgii civitas finiretur, Crustumii alveo in urbem recepto ad eos terminos, ubi nunc visitur, cum portis prolata fuit. Ante alias porta Castelli aedificata primum lapidem Parisinus urbis quaestor posuit, ejusque anni consulum nomina in superliminari ad memoriam conservandam marmore incisa fuere. In eo superioribus annis deposito quasdam literas, caeteris vetustate exesis, me puerum legisse memini, sed, nemine monumentum agnoscente, saxum, quod mihi quatuor cubitorum in longitudinem, duorum in latitudinem fuisse videbatur, in imum forte alicujus aedificii fundamentum conjectum fuit. Crustumio torrente extra urbem in aliam partem converso, vetus alveus, quia plurimam glaream a flumine invectam habebat, glareae, quae nunc est, viae nomen dedit. Ea theatri instar conversa, civibus secundum veterem ripam aedificantibus, in arcum flectitur. Primos ibi majores meos aedes posuisse animadverti, cum adhuc in tabulario publico legatur, quibusdam in glarea aedificandi facultatem concedi, modo Pancirolarum aedium lineam non egrediantur; id vetus aedificium elegantiore forma postea Albertus pater meus anno MDXLIV restituit. Extra

portam vero Castelli in canale ad retinendam aquam cataracta [1] demissa fuit.

Sequenti anno sub Bernardo Rolando Rubeo Praetore maxima penuria omnes afflixit. Ei suffectus est Gerardus a Copriaco, in cujus extremo magistratu, nocte, qua D. Stephani memoria celebratur, turris templi majoris quae rotunda erat cum omnibus campanis, nemine tamen laeso, ingentem ruinam fecit. Eo tempore moenibus nondum factis, valli instar fossis tantum et aggeribus urbs muniebatur. Ad omnem igitur hostium vim arcendam muris civitatem cingi placuit, Praetoribusque, ut mulctas ob delicta exigendas in id opus converterent, mandatum fuit. Primus Nazarius Lucensis Praetor ad portam Brennonis, quae olim Clodia dicebatur, supra Crustumium strato ponte versus D. Stephanum longitudinis centum cubitorum super vetustos aggeres moenia construxit. Alii postea praetores eundem ordinem secuti, omnia civitatis moenia, quae hodie extant, super aggeres aedificarunt. Quindecim enim sequentibus annis a diversis praetoribus trium millium DXL cubitorum perpetuo ordine murum conditum fuisse invenio. Novissime autem a Gulielmo Folleano antistite [2] alii cubiti DC sunt adjecti. Itaque universa moenium summa, praeter ambitum, qui est a porta S. Petri ad eam quae S. Crucis dicitur, quatuor millium centum quadraginta cubitorum fuit. Albertus enim a Pescarola sequenti anno MCCXXXII ad Sancti Nazarii portam, ubi nunc arx est condita, duobus annis quibus praetor fuit, quadringentarum ulnarum murum extruxit, omnesque aliarum portarum foveas excavavit, prout saxa

(1) Clavica vulgo dicitur.

(2) MCCLXXXI.

portis imposita attestantur. Mox Nicolaus a Doara Cremonensis duobus annis sequentibus alias quadringentas ulnas prioribus adjecit, et apud D. Cosmum in moenibus militum receptaculum, Pusterlam vulgo dictum, aedificavit. Giliolus deinde Anetus Parmensis (1), Rinaldus (2), et Simon (3) Melior Florentini, Fridericus Henrici filius honoris gratia Praetor creatus (4), Manfredus Cornaccianus Parmensis (5), Delphinus Pallavicinus Marchio item Parmensis (6), duo Gerardi alter ab Entiola (7), alter Corrigiensis (8), Obitius item Corrigiensis (9), Lambertescus ex Lambertescis Florentinus (10), Matius Dolidrandus Cremonensis (11) ordine quisque suo anno Praetores ducentorum cubitorum moenia condiderunt, praeter Pescarolum, et Matium Dolidrandum, qui in alterum annum confirmati Praetores quadrigenarum ulnarum murum fabricaverunt, et Obitium Corrigiensem, qui CCXL cubitorum murum erexit. Alias moenium partes ab aliis extructas infra suo loco referemus. Sed fossae non nisi anno MCCCXV, quo universa aedificatio fuit absoluta, purgari coeperunt. Hoc tempore annuus fuisse Praetoris magistratus videtur, qui acceptae libertatis initio semestris esse consueverat, sed hoc inde evenisse existimo, quod omnibus in aliud semestre tempus imperium, paucis in biennium prorogabatur.

Hic omittendum non est anno salutis MCCXXXIII tantam vim frigoris fuisse, ut per Padum glacie constrictum Venetiis Cremonam plaustra transmigraverint. Vina in cupis concreta riguere, arbores in campis periere, et plures in

---

(1) An. MCCXXXIII. (2) An. MCCXXXIV. (3) An. MCCXXXV.
(4) An. MCCXXXVI. (5) An. MCCXXXVII. (6) An. MCCXXXVIII.
(7) An. MCCXXXIX. (8) An. MCCXL. (9) An. MCCXLI.
(10) An. MCCXLII. (11) An. MCCXLIII.

ipsis lectis algentes occubuere, unde magna penuria, et pestis secuta multa hominum millia in Italia letho dederunt. Mutinenses vero primo suo Praetore Manfredo Pico in an. xxx creato, postea Marchionem Gulielmum Cavalcabovem Cremonae tyrannum in plures annos elegerunt (1). Is, cum patriam paulo ante occupavisset, etiam ejus urbis cui jus dicebat, perpetuam ditionem in se transferre cogitavit. Ac in primis, ut a cujusque injuria se tutum faceret, omnium nobilium turribus eversis (sic enim praesidia tollebat), Mutinae imperium invasit: tum vicinorum quoque libertati inhians anno MCCXXXII in agrum nostrum populabundus venit. In urbem fugientes rustici magnum tumultum excivere, ubi ad arma conclamatum est. Accursius a Palude, et Sessii cum delecta civium manu exeuntes ad Mancasale hostes per agros palantes facile profligarunt, praedaque omni recepta, et Mutinensibus partim trucidatis, partim in fugam versis, in urbem ovantes rediere. Natum eo tempore inter Rugerios et Malegutios dissidium maximo moerore cives affecit. Hi simultatem, quam diu inter se aluerant, crescente in dies odio, tandem evomere coacti conjunctorum et clientum turba stipati per urbem ambulare coeperunt. Demum ira praecipites, districtis ensibus in foro pro ejus temporis instituto conflixerunt, funestamque sibi invicem cladem intulerunt, donec supervenientibus Praetoris Nicolai Boarii Cremonensibus lictoribus, separati certamen finierunt.

(1) An. MCCXXV.

LIBER TERTIUS

Libertatem adepti Regienses, etsi, permittente Caesare, principum jura consecuti, nondum tamen percutiendae pecuniae jus exercuerunt. Anno igitur MCCXXXIII primum Nicolai Maltraversii antistitis nomine, penes quem hoc jus residebat, cudere monetam coeperunt; unde aliqua etiam hodie numismata cum hac inscriptione visuntur: *Nicolaus Episcopus,* ab altera vero parte legitur: *Fridericus Imperator;* quod Ænobarbi vel alterius Friderici II qui tunc imperabat beneficio id antistiti nostro jus olim concessum fuisse significat, sicut et Genuenses Corradum, a quo hanc facultatem primum obtinuere, aureis inscribunt. Monetae igitur officina instituta, Regienses etiam ad ampliandam religionem se converterunt. Octavo enim calendas augusti in Jesu Christi honorem templum, quod postea D. Dominici familiae in urbem receptae concessum est, magno civium ardore aedificari coepit, cujusque ordinis sexus et aetatis homines, atque aurati etiam equites variis pellibus, et serico exornati, ad jacienda fundamenta certatim calcem, lapidesque congesserunt; opus postea a Simone Meliori Praetore Florentino, qui portam pontis Livonii restituit, post biennium perfectum fuit. Sequenti

anno MCCXXXIV tanta hyemis asperitas fuit, ut frigore adapertae sint arbores, et plurimi etiam homines interierint.

Eo tempore Fridericus II Gregorio IX Pontifici infensus, ut plures in suas partes populos traheret, in Italiam venit: vir ex Henrico Ænobarbi filio, et Constantia monaca natus. Tancredo enim Apuliae rege tributum ecclesiae negligentius solvente, Clemens Constantiam Rogerii Apuliae regis natam jam quinquagenariam, et Panormi religionem professam, caenobio extraxit, Henricoque matrimonio conjunxit, qui Apuliam velut dotalem adeptus, postea Fridericum genuit. Is in graecis latinisque literis eruditus, ac diversorum idiomatum peritus, etiam armis claruit, sed voluptatibus, ac libidini supra modum deditus epicuream vitam coluisse creditus est, usque adeo, ut sacerdotiis abutens non pauca templa everterit. Ex prima conjuge Constantia, Castiliae regis sorore, suscepit Henricum, et ex Jolanta, Joannis Brennensis Hierosolimorum regis filia, Corradum, ex Isabella regis Angliae sorore Henricum Siciliae regem, qui juvenis obiit, quos continuo ordine Romanorum reges creare curavit, illum Germaniae, hunc Italiae: alii volunt hunc Germaniae, illum Italiae regem appellatum. Naturales vero Fridericum Antiochiae, et Entium Sardiniae regem, ac Manfredum Tarenti principem habuit. Hac prole aliisque rerum successibus elatus, superatis alpibus, diu in Hetruria est commoratus, nec solum ei provinciae, sed et toti demum Italiae ultimam perniciem attulit. Siquidem diversis suscitatis factionibus, qui Pontifici adhaerebant Guelphi, qui vero imperatorem sequebantur Gibellini vocati, implacabili odio cruentas rixas diu exercuerunt. Primum Pistorienses haec labes invasit, apud quos Cancellarii a Pantiaticis urbe ejecti se Guelphos, adversarios vero Gibellinos dixerunt, quod

nomen a Guelpho et Gibello duobus Teutonicis diversarum factionum fratribus sumptum fuit [1]: sed alii [2] a duabus in Galliae, et Germaniae finibus nobilibus familiis, quarum altera Friderico infensa Guelpha dicebatur, altera unde ipse descendebat Gibellina, has sectas derivant. Ab his vero diversas aliqui opiniones habuerunt [3], quas, ne legentibus taedium afferam, praetermitto. Longius serpens hoc malum praeter Venetias, quae hunc morbum non senserunt, universam ferme Italiam occupavit: cum Florentini, Senenses, Aretini, aliique Guelphos, plurimae vero urbes Gibellinos ejicerent. Habitu, incessu, corporis gestibus, edendi, bibendive usu, signandarum epistolarum diversitate, atque omni actionum differentia cujus quisque partis esse declarabat [4]. Gibellini infixas pileo plumas, et coloribus vestes distinctas in sinistra parte gerebant. Iidem jurantes digitum indicem tollere, politis vasis, albis rosis uti, quaeque nativis coloribus animalia exprimere, poma per longum a flore ad pediculum incidere. Contra Guelphi plumis et coloribus in dextera parte se exornare, sublato pollice jurare, vasis in conchilia effictasque species caelatis, et rubentibus rosis uti, animantia semper diversis coloribus, atque a natura genita sunt, depingere, per obliquum poma dividere, et rubente cera signare consueverant. Adeo denique insana eorum rabies fuit ut multi arctissimos propinquos, et conjunctissimos amicos nulla alia, quam adversae factionis intercedente causa saepius trucidarint. Caesari magna ex parte nobiles favebant, qui

(1) Plat. in Greg. IX.

(2) Otho Frisingensis episcopus qui Friderici Ænobarbi gesta scripsit, et Bart. de Guelph. et Gibel.

(3) Ut Jo. Villanus, Abbas Panor., Poggius, Corius, Ricobaldus.

(4) Blond. lib. VII, dec. 2.

post emerita stipendia ab eo praediis, castellis, aquarumve juribus, et aquilae romanae insignibus donati, speciosisque titulis illustrati, aurati equites, vel comites, aut alio nomine clari, potentesque evaserunt. Sed quod omnes honores excedebat, fori privilegio muniti, si quem de plebe hominem interfecissent, velut pecude caesa, modica septem, vel, ut alii, decem, ut vocabant, librarum, et duodecim denariorum pecunia mulctati absolvebantur, ac plerumque generos quibus data opera filias locaverant, ut eorum opibus ditescerent, crudeliter occidebant (1). Hujus legis, quae usque ad annum MCCLVII duravit, iniquitas ita plebis animos exacerbavit, ut plurimi ex inferiori classe homines Pontificem secuti, nobilium superbiam saepius contuderint. Urbes vero ipsae prout potentium aut plebis pars superior fiebat Gibellini aut Guelphi nominis habebantur. Studebat tunc temporis Friderico Ætiolinus a Romano Taurisii oppido oriundus, et Albericii ex Ætiolino filio nepos, qui, ut rei militaris disciplina caeteris antecellebat, cum Taurisinis Patavinos, et Vicentinos impotenter oppresserat. Ex liberis vero civitatibus eidem favebant Cremona, Parma, Regium et Mutina, quae a nobilium factionibus regebantur. Caeterum Turriani qui, ejectis patriciis, velut plebis defensores principem locum Mediolani obtinebant, cum Brixianis, Ferrariensibus, Mantuanis, Bononiensibus et Faventinis se infensissimos Caesaris hostes declaraverant, quem cum anno MCCXXXVI Brixiam venientem transitu prohibere conarentur, ille Regiensium, qui sub Uguccione Caprino Pisano Praetore militabant, aliorumque sociorum copiis septus, quae quinquaginta millium hominum fuisse dicuntur,

(1) In Chronicis Mediolani.

hostes feliciter fudit. Deinde Miraria, et Monte Claro Brixianis adempto, etiam Mantuam expugnavit, et dirutam Cremonensibus subjecit. Idem, Gonzaga oppido a Gonzagis accepto, calendis novembris rebellantem Vicentiam praecipuo Regiensium auxilio captam solo aequavit. Speraverat se ibidem Actium V Atestinum ejus urbis Praetorem inventurum, quem Pontificis partes secutum occidere cupiebat: sed is Patavium, cujus erat Praefectus, armis defensurus mature concesserat. Subinde Fridericus Praetor Regii honoris gratia creatus prioribus moenibus ducentos muri cubitos adjecit.

Inter haec Regienses quasdam in montibus arces, quae sibi parere nolebant, sequente mense maii, duce Praetore Manfredo Cornacciano Parmensi, expugnaverunt; et in primis Bantiolae, loci incolis obstinato animo se defendentibus, admoto ariete muros quassare coeperunt; demum, apertis moenibus ingressi, caesis hostibus, ferro, flammisque castellum funditus everterunt. Inde Cavetiolam est itum, quam et ipsam adorti vi ceperunt, ac direptam solo aequarunt. Mox ad Montem Lapidis Gerbariam, vel ut alii scribunt, Grillariam, in obstinatae contumaciae poenam combusserunt. Post haec cum Mutinensibus et Parmensibus adversus Brixianos Friderico opem laturi, Olio amne trajecto, universum Brixianorum territorium foede vastarunt, ingentique abacta praeda complura loca, et Redoldescum castellum expugnarunt. Tandem commisso certamine ex hostibus sex millia capta, et carrocium Mediolanensibus ademptum Romam triumphali pompa transmissum fuit. Ad Casalodium quoque occupandum sine sociorum auxilio soli Regienses a Caesare missi locum primo impetu, animo deficientibus incolis, ceperunt. Deinde Carpanedulum et Gazolum in Mantuano

agro castella aggressi, intra paucos dies in imperatoris potestatem redegerunt. At Mantuani qui jam Friderico favebant ad oppugnandum Montem Clarum Brixianorum deducti, sed strenue se tuentibus oppidanis, cum exigua deditionis spes superesset, eo accedere Regienses jussi postridie sociis conjunguntur, qui omni machinarum genere moenia adorti, intra quindecim dies victoris arbitrio dedentibus se obsessis, oppidum receperunt; ibi ingenti hominum et rerum strage edita, qui vivi capi potuerunt a Saracenis sub Caesare merentibus tetris carceribus inclusi fuere. Ad Fridericum vero, qui pecunia egebat, ineunte vere [1] ex universa Italia principes certatim tributum Ticinum contulerant. Ipse Brixiam obsessurus Regiensium copias, quae per hyemem domum secesserant, ad ferendum sibi auxilium revocat, quos octo millia civium peditum, praeter equites fuisse in annalibus legi. Praeter hos pacatis rebus mille externorum peditum, et ducentorum equitum numerum, quem reipublicae militiam vocabant, ad urbis praesidium proprio aere alere consueverant. Ea igitur manu a Delphino Marchione Pallavicino accepta, Fridericus vallo, et fossa Brixiam obsidere conatus ab hostibus saepe repulsus est, ac demum post tertium, quam venerat mensem retracto exercitu discessit. Sequenti vero anno Bononiam, quae Pontificis partes sequebatur, adortus Regiensium militum opera, qui ex mille peditibus et ducentis equitibus constabant, duo ejus urbis oppida Plumatium et Gravilcorium vi cepit. Cum vero Gregorius a Montelongo Pontificis legatus cum copiis Venetis Actii Atestini nomine Ferrariam, ubi Raymundus Sessius Praetor jus dicebat, obsessurus esset, Salinguerra cum Regien-

(1) An. MCCXXXVIII.

sium cohorte ibi Caesaris praefectus fuit, sed is ad deditionem ab hostibus compulsus, ac in desertam Venetiarum insulam deportatus diem suum obiit, ac in templo S. Nicolai ad litus est humatus. Is, Sophia Ætiolini Patavii tyranni filia uxore accepta, Carpinetum nostrum a Friderico pro dote acceperat, quod eo tum decedente Regiensium ditioni est restitutum. Tanta sub id tempus ob solis eclypsim obscuritas fuit, ut decima quinta hora mense junio velut media nocte clara in coelo sidera apparuerint. Hoc biennio Bonacursus a Palude Regiensis summa cum laude Veronae Praetor jus dixit.

Anno vero qui fuit MCCXLI, suae cuique castello villae attributae, ac pagis, territorioque Regiensi termini positi fuere, quod cum Simon a Rodelia aegre ferret, quod angustos ditionis suae fines fieri dictitaret, per proditionem Caprianam occupavit, sed non multo post occisus temeritatis suae poenas dedit. Omnes vero in urbe et suburbiis frumentarias molas a privatis pecunia abundans respublica emit. Crescentibus interim Guelphorum et Gibellinorum factionibus, Gregorius Montelongus Pontificis legatus populos in ecclesiae partes tracturus in Galliam Cisalpinam venit, tantumque eloquentia, blanditiis et auctoritate potuit, ut omnes Faventia Mediolanum usque urbes, ejectis Gibellinis, a Pontifice stare compulerit. Sed Regium in imperatoris fide permansisse in annalibus nostris et Mutinensium animadverti. Gregorio vero IX Pontifice vita functo, Coelestinus IV suffectus non amplius decem et octo diebus supervixit. Nec alius ei tum substitui potuit, siquidem plerisque cardinalibus Aunelphi in carceribus a Caesare retentis, romana sedes uno et viginti mensibus rectore carere coacta fuit. Hac occasione arrepta, Fridericus statim Faventiam occupat, inde Bononia obsessa

repulsus hostium villas incendit. Deinde Mutinam, mox Regium profectus ad vastandos rebellantium populorum agros convertitur. Hanc cladem veriti nobiles Parmenses, ut imperatoris, cui semper faverant, adventum audierunt, Guelphis, qui se Placentiam contulerunt, extrusis, Fridericum in urbem recipiunt (1). Demum Innocentius IV Pontifex est declaratus, qui gravissimus Caesari hostis, statim ad retinendos in sua fide civium animos Mediolanum contendit, ubi Gerardum Rangonum Regiensem Praetorem, qui fuit ejus urbis septuagesimus quintus, creavit (2). At Regii Praetor Musca Lambertescus Florentinus, qui justitia insignis habebatur, muro circa civitatem in ducentos cubitos protracto, etiam Livonii portam, ut quibusdam placet, restauravit. Via deinde ab urbe Regiolum munita, et pontem supra fossam Taleatam ex tabulis construxit, oppidumque ipsum Regioli, cujus turrim in ulnas xxx sustulerat, lata et profunda fossa circumdedit. Is in alium annum confirmatus nonis januarii decessit, cui Jacob Judex Lucensis suffectus, et ipse mense decembri diem suum obiit. Arx vero ibidem sequenti anno a Praetore Matio Dolidrando Cremonensi condita fuit; quo tempore Nicolaus Maltraversius noster episcopus, ut Vicentinos Caesari conciliaret, in Germaniam ad Fridericum legatus missus decessit. Is pacis studiosissimus superioribus annis etiam Ætiolinum Patavii tyrannum erga Veronenses placaverat. De eligendo successore cum in urbe contenderetur, aliis Gucciolum Albriconem D. Prosperi Praepositum, aliis Gulielmum Folleanum postulantibus, ingens dissidium fuit. Utriusque electio ob controversiam diu irrita mansit;

(1) Blond. lib. VII, dec. 2.
(2) In Chron. Mediolan.

demum decennio post Gulielmus ab Innocentio IV confirmatus fuit. Haec altercatio, nobilibus Gibellinis plebem servilem in modum despectui habentibus, odium adauxit. Sessii enim a Caesare speciosis nominibus et privilegiis honestati eam licentiam sibi impotenter usurpaverant, ut infimos homines contumeliis, et verberibus impune afficerent. Caeterum, Friderico in Germaniam profecto, Robertus Lupicinus vir lingua, et manu promptus, plebejorum causa suscepta, potentiorum impetum acriter sustinebat, qui Guelphorum princeps factus, et lanificii artis juridicus creatus, patriciorum vires fortiter contuderat. Nobiles, a quibus in infimos patrata parricidia levi poena luebantur, hominem sociis semper stipatum frustra occidere saepius tentaverant. Tandem felix votis occasio se praebuit. Evenit forte per eos dies ut Rodulphus Patavinus, quibusdam commissis apud Herberiam criminibus, Pegonariam se conferret. Eo ad comprehendendum reum Matius Dolindraudus in alium annum confirmatus Praetor lictores misit, sed illo se adversus apparitores strenue tuente, cum universa merentium militum, et civium manu ad expugnandum castellum ipse proficiscitur. Hac re comperta Sessii, qui omnem tollendi hostis occasionem observabant, Robertum ad eam expeditionem profectum inventum apud Regiolum facile trucidarunt. Milites rei atrocitate commoti Sessios secuti comprehendunt, quos Matius in septem vel ut alii malunt in D ejus temporis libris, quae Caesarum privilegio sola commissi a nobili in plebejum homicidii poena erat, condemnatos dimisit. Soluta pecunia in ducentos muri altius tollendi cubitos, et perficiendum Regioli pontem impensa fuit. Ubi scelus in urbe auditum est, plebei se non deserentes, sed Simonem Joannem Lupicinum occiso conjunctissimum substi-

tuunt, atque in collegii Coriariorum aedes ad capiendum contra communes hostes consilium frequentius conveniunt. Patritii novis injuriis lacessiti, crescente contra se quotidie inferiorum civium multitudine, cum aegre jam auctoritatem suam tuerentur, media nocte domum concilii incendunt. Querela ad Praetorem Joldum delata cum Giberto Tarascono Ascherii et Meliorati facinoris auctores deprehensi extra urbem relegantur. Crescente in dies adversariorum potentia, nobiles, cum etiam patria se ejectos viderent, ad externorum auxilium conversi, Atestinos ad capiendum patriae principatum invitant. Bonifacius Manfredus conjurationis auctor, ut occupati cives facilius opprimerentur, tumultu omnia implere cogitat, ac non mediocri hominum manu collecta, et Jacobo Bonitio comite adjutus Divi Petri portam tertio nonas julias incendit, ingentique edito clamore: quousque tandem cives, inquit, infimorum hominum superbiam patiemur? Jam nulla ob sordidorum factiones illustrium virorum ratio habetur, nulla nostri, qui urbis dignitatem sustinemus reliqua est auctoritas, contempta sanguinis claritate a sordidis opificibus nobilium splendor obscuratur. Qui infamem hanc injuriam detergere, et salvum primatuum honorem esse vultis, me vilissimorum scelus vindicaturum sequimini. Ita vociferatus, flammis portae injectis, per urbem discurrit. Tuba ante audita arma cives corripuerant, jamque ex omnibus viis in forum armati confluentes formidandi exercitus speciem fecerant, qui ubi ardentem portam Bonifacii superbia conspiciunt, sceleratum et facinorosum hominem, et patriae proditorem trucidandum exclamant. Hac voce territus Bonifacius, paucis opem ferentibus, alia porta velocis equi cursu ablatus vitam servavit; ejus filii capti in vincula conjecti fuere. Roberti

impotentium hominum audaciam exosi, et ut majorem etiam sibi in urbe auctoritatem compararent plebejorum partes susceperunt. Eo vero tempore plurimis stipati clientibus extrema seditiosis minantes incedebant. Tum vero Sessiorum superbia offensi et patrati parricidii memores, districtis gladiis, sternendos esse superbos tyrannos exclamant, concurrentibus undique ad rixam plebeis, viribus inferiores Sessii ubi se invisos tuto in civitate esse non posse animadverterunt, Bononiam concesserunt.

Tot intestinis malis afflicta civitas, cum diversarum factionum omnes ferme cives essent, ut non nisi complurium incommodo componi dissidium posset, ad Fridericum, qui huic morbo medeatur, legatos mittunt. Is ab Innocentio IV in Lugdunensi synodo diris damnatus Parmae considebat. Ad quem intromissi legati ita exorsi esse dicuntur: Intestino bello attrita nostra respublica tuam opem, inclite Caesar, implorare compellitur, quae velut aegrotans sibi succurrere nequit, nervisque omnibus destituta languet; et cum externum auxilium aliunde sperare non possit, te, qui solus ad reddendam sanitatem medicus es relictus, respicere cogitur. Domesticis dissidiis antea turbata, etsi saepius titubavit, nunc inexpiabili quorundam furore exagitata, nisi tua humanitate in pristinum restituta fuerit, nulla spe vitae relicta, jacebit. Insaniunt factiosi cives, se vicissim urbe ejiciunt, pecudum more obvios trucidant, publicas, privatasque domos incendunt, nullam divini, humanive juris rationem habentes, nonnisi minas spirant, incendia, et caedes promiscue miscent. Ac ut inaudita anteactis diebus patrata facinora praetermittamus, frequentes in urbe commissos conflictus, incensum tabularium publicum, et aliorum domos eversas reticeamus, facinorosissimi quique patriae vim intulerunt,

injectisque impie flammis portis, quae legibus inviolabiles sunt, contempto jure communem civium societatem deformarunt. Ac nisi tanto furori meliores fortioresque restitissent, usque ad solum urbem funditus evertissent. Nondum hoc extinctum erat incendium cum postridie, velut cum hostibus praelium commissuri, instructa acie alii se trucidarunt. Nulli usquam tutus est locus, non magistratuum auctoritas, non domestici lares, non aedes sacrae quemquam tuentur. Quivis apud hostes facilius quam in patria salutem sperare potest. Tuam ergo, invicte Caesar, supplices justitiam imploramus, ut quam in tuam tutelam semel recepisti, imperio etiam et auctoritate labentem urbem, servatis civibus, restituas; qui si antehac votis tuis praesto fuerunt, imposterum certe tanto beneficio devinctos, fidissimos, et propugnatores habiturus. His dictis turbulentorum nomina in brevi charta descripta exhibuerant. Fridericus seditiosi cujusque natalibus, conditione, factionibusque diligentius inspectis, ut justus videretur, Robertos omnes, et Sessios quorum etiam aedes diruit, Lupicinos, Manfredum a Palude, Caninios, et quamplures alios exulare jussit, pacataque civitate exterioris pomoerii vias ampliari imperavit. Ipse interim de Pontificis decreto certior factus, prius eorum Parmensium, qui ecclesiae partes sequebantur villas, et suburbana praedia incendit, mox in Galliam plurimis, quot nunquam alium principem secuti fuerant, comitantibus jurisconsultis, ut se apud concilium purgaret, iter suscipit. Inter alios ipsum antecesserat Thaddaeus Sessius ejus consiliarius. Entium vero filium, quem aliqui a Bononiensibus captum superioribus annis fuisse falso memorant, Sardiniae regem creatum, Longobardiae praefecit, et Parmae manere jussit. Vix in Taurinos pervenerat, cum Cremonenses ad Ponti-

ficem defecerunt, adolescensque mandatorum parentis oblitus, ut aliquod sibi nomen compararet, infelicem in hostes expeditionem paravit. Dum enim incautius Gorgontiolam ignobile Cremonensium castellum obsidet, turpiter captus est. Qui enm secuti fuerant Regiensium milites ubi ducis casum intelligunt impetu facto moenia adoriuntur, atque omni tormentornm genere quam primum expngnant, Entiumque liberant. Fridericus vero de ardentibus Florentiae discordiis certior factus, misso ad eos Thaddaeo Sessio, qui Lugduno redierat, eas feliciter composuit. Inter haec Parmenses Guelphi, qui ab adversa factione patria expulsi fuerant, vi ejectis Caesarianis, patriam receperunt. Hi fuere Gibertns Corrigius, Rubei, et Lupi, quornm aedibus solo aequatis, Caesar urbe expulerat. Hi pontificiarum copiarum auxilio, dum Parmam contendunt ad Burghettum a Tanro feliciter Gibellinos fuderunt. Plurimis captis caesi sunt in eo praelio ex nobilioribus Parmensium Praetor Manfredus Cornaccianus, Henricus Testa Aretinus, et Albertus Mandaretns, Bartolus vero Tabernarins cum sociis Regium fugiens incolumis evasit. Eo etiam alii captivi ducti, ne irati victores aliquid gravius in ipsos statuerent, potentibus Parmensibus non sunt restituti. Hanc ob rem indignatus Velteus Valisnerius cum Valisnerio castro Parmensibus adhaesit. At Entius Regiensium copiis instructus obsessa Parma, circiter LXXX Parmenses milites, qui tum forte Copriaci et Regii versabantur cum Ugone Roberto apnd Fannm captos ad patrem misit. Jam ille alpes trascenderat cum tristi nuncio allato perturbatus, ut rebellantes ulcisceretur, confestim in Italiam reversus est, accersitoque Ætiolino Patavii tyranno qui plures ex Venetia copias adduceret, Saracenis praeterea ex Sicilia vocatis, sexaginta millibus armatorum Parmam circumvallavit.

Hanc tempestatem longe antea Gregorius Montelongus pontificius legatus praeviderat, qui magnam comeatus, et militum copiam Mediolano, Placentia, Bononia, Mutina et Regio eo deduxerat, atque ita urbem muniverat, ut quotidie erumpens Fridericum saepius repulerit, et in munitissimum vallum, ubi postea urbem Victoriam aedificavit, se recipere coegerit. Apud annales nostros Regium hoc tempore ab imperatoris partibus, etsi aliqui dissentiunt, stetisse invenio, ubi sequente anno Ubertus Marchio Pallavicinus a Caesare Praetor est constitutus. Sub eo Regienses vicinos contumaces in suam potestatem redacturi, educto exercitu, Rossenam obsederunt, castellum collis, in cujus jugo situm est, munitum reddebat. Quare loco confisi incolae deditionem aspernati strenue resistebant; Regienses nocte a tergo clam ascensum collem superant, clangentibusque ex improviso tubis, ac muro occupato, oppidum intra paucas horas in suam potestatem redigunt. Inde Felinam profecti, deficiente intus comeatu, illud quoque castellum brevi recipiunt. Fridericus vero inani triumpho Victoriam urbem ad pagum Sancti Brancatii hoc consilio amplificare coepit, ut Parmae civitatem, quam diruere cogitabat, eo transferret, majori quoque templo in Divi Victoris honorem erecto, etiam percussos nummos Victorinos appellavit. Ex Africa, Mauritania, Ægypto, Asia, ac diversis orbis regionibus, religione, moribus, lingua, et habitu differentes homines, qui eo confluebant frequentissimam civitatem fecerant, et sicut erant ex remotis provinciis barbari ita incognita bruta, elephantes, dromedarios, pantheras, leones, pardos, lynces, ursos candidos, et inusitatae formae, et magnitudinis canes adduxerant, praeter ardeas, novos accipitres, horrendi quoque aspectus aves, et noctuae barbatae, gryphes, et

alia hujusmodi monstra aderant. Forma etiam egregias puellas ab eunuchis custoditas in amoeno palatio ad explendam libidinem Fridericus incluserat; qui cum vi urbem capi posse desperaret, circumclusis aditibus, tamdiu obsidere constituit, donec fame domitam reciperet. Interea Brixilli, ubi oppidum postea est aedificatum, reliquias, quae ex superioribus ruinis supererant, solo aequavit. Borettum, Guardastallum, atque omnia Parmensium castra, praeter Colurnum, foede vastavit; quoscumque adversae factionis homines capere poterat ante Parmae moenia barbara crudelitate trucidare, alios fulminali balista in aerem sublatos intra hostium urbem jaculari, feminas ad infamiam Germanorum aut Saracenorum stupro flagitiose subijcere. Ab alia parte Bosius a Doarà Cremonensis Regii Praetor pro Entio Caesaris filio apud Guastallam cum mille peditibus, et ducentis equitibus, qui pro urbis nostrae praesidio esse consueverant, per duos menses iisdem diebus castramentâbatur. Interea Atestinus Mantuanis, Bononiensibus, Vicentinis, atque aliis ex finitimis gentibus militibus coactis, pontem, quem apud Brixillum supra Eridanum Caesar aedificaverat, captum diruit, ac valido praesidio in ripa fluminis posito, magnum comeatum Parmam transmisit; sed Entius, hostibus profligatis, denuo pontem restituit. Jam biennio obsessa Parma penuria annonae premebatur (1); quam mille pedites ab Innocentio IV missi, et alii sub Ricciardo a Sancto Bonifatio Veronensi duce strenuo, cui postea imperatoris captum palatium pro eximiae virtutis praemio est donatum, tuebantur; omnibus vero copiis praefecti Gregorius Monslongus pontificius legatus et Philippus

(1) Jo. Villanus lib. VI, c. 35.

Vicedominus Placentinus eximii duces suo nutu cuncta administrabant. Hi etsi exiguam salutis spem habebant, nullam tamen bene gerendae rei occasionem praetermittebant. Forte vero evenit, ut, venatum cum ducibus Friderico profecto, castra negligentius custodirentur, ac defensoribus vacua relinquerentur. Id conspicati Pontificii, ut extrema quaeque tentarent, extemplo duabus portis cunctis viribus erumpunt. Duplici acie vallum adorti desertas munitiones facile occupant, ac ingenti Caesarianorum strage edita reliquos in fugam vertunt, Cremonensiumque carrocium Bertam nuncupatum ceperunt. Inter alios, qui plurimi occubuere, interemptus est Thaddaeus Sessius judex in aula, et a Caesaris consiliis constitutus. Fridericus acceptae cladis nuncio trepidus, immensis opibus praedae hostibus relictis, in agrum Cremonensem aufugit. At Pontificii ubique caedem facere, igne et ferro castra devastare, capta denique Victoria, ingentem victoriam retulerunt. Ex ditissimis, quae direpta sunt, spoliis locupletati, inter caetera maximi ponderis aurea, argenteaque vasa, ac duplicem pretiosissimis iaspidibus, atque auro coronam invenerunt. Hoc audito Guelphi, qui Friderici jussu Regio ejecti fuerant, cum Parmensibus conjurant, et castro montis occupato, recta in patriam contendunt. Sed urbem valida militum manu defensam ingredi non ausi, duos pontes, alterum portae S. Stephani cum omnium Sanctorum suburbio, alterum portae Brennonis combusserunt. Eo etiam die Crustumii aqua adeo excrevit, ut omnibus eversis pontibus usque ad Mutilenam undae late se effunderent, ac veluti sibi irato numine exules cedere coacti fuerunt. Caeterum Simon Manfredus Castrum novum, et Sanctum Stephanum occupavit. Hanc cladem saeva pestis secuta Bonatacam Praetorem, qui

duobus tantum mensibus jus dixit, et ejus successorem Bernardum Rubeum intra tres menses extinxit; ei Zavaterius suffectus novas moletrinas extruxit. Bonaccursius etiam Paludinus, qui bis Veronae Praetor fuerat, et Gerardus D. Prosperi Abbas decessit. Is loquendo ineptus, sed alioqui vir probus, et ab omni ambitione alienus fuit, qui Robertos Sessiis conciliare conatus, etiam coenobii turrim supra fasciam rubeam aedificavit. Obiit et Tripolitanus antistes, quem ex Rubertorum familia fuisse diximus. Sed non minus ambitionis morbus urbem afflixit; siquidem Guciolius Albrico ad patriae pontificatum avidius aspirans, dum civitatem perturbat multorum caedis causa extitit. Lombardus enim a Dallo, et Gerardus Albrico, aliique plures in foro occisi fuere. Demum ipse cum Ruzeneto, et Parisio agnatis custodiae traditus, et ad Caesarem in Apuliam missus fuit.

Sequente anno Parmensibus Brixillum restitutum, et Regii Praetor Joannes a Strata Papiensis frumentarias molas in navigabili emissario, quod antea factum fuisse dixi, magno civium commodo aedificavit. Post Joannem vero Simon Bonifacius, vel ut alii scribunt Gusbertus Doara, Regii Praetor ad expugnandum Rollum, quod imperata facere nollet, mense augusto cum exercitu accessit, profunda fossa, et alto vallo se incolae muniverant, ut non facile a nostris expugnari possent. Praetor fossis terra, et fascibus oppletis, scalas moenibus admovet. Illi igne, saxis, atque omni telorum genere hostes fortiter repellunt. Ibi cadentium gemitus audiri, succedentium clamor ad coelum tolli, et longe ferientium ictus circumsonare: alii capite ad saxa colliso statim exanimari; fractis membris alii semineces jacere, nonnulla plurium jam caesorum in vivos delabentia cadavera miserandam stragem facere.

Jam ad vesperam dies inclinaverat, cum fessis oppidanis, eos rursum triplici acie nostri invadunt, ac bellica virtute tandem muri pinnas tenuerunt. Hostes diurno bello fatigati, et inedia confecti, ubi paululum restitere, demum succumbere coacti sunt. Rollo enim in Regiensium potestatem redacto, alia quoque novem vicina castella pari felicitate Praetor occupavit. Cui triumphantis more domum revertenti obviam missa nobilitas, et effusi per vias populares, filios, fratres, propinquos salvos venire gratulantur, et a curia honorifice exceptus in palatium deductus est. Laetitiam urbi calamitatem portendere visus terremotus perturbavit. Non multis enim interjectis mensibus exules qui Pontificis partes secuti fuerant, finitimis ab Æmilia sibi sociis adjunctis, nocte agros civium hostiliter diripuerunt, ingentemque armentorum et pecorum abactam copiam postea in Parmensium nundinis distraxerunt. Regienses ob hanc cladem animum minime despondentes ad ampliandos ditionis suae fines convertuntur. Ad novum enim castellum, quod a se defecerat, exercitu ducto, suburbia primo incenderunt: mox die noctuque machinis moenibus admotis magna murorum pars diruitur. Irrumpere conantibus confertissima hostium acies se opponit. Ibi spiculis eminus emissis, cum pedem contulissent, cruento praelio est certatum. Plurimus ex jacente ruina pulvis nubem contraxit, ut pugnantes agnosci non possent: caesorum gemitu, et ferientium vocibus omnia replebantur, lanceis alii perfossi a funditoribus et sagittariis non pauci lethaliter vulnerati, jam inclinare oppugnantium acies coeperat, cum Consul ubi vestra, inquit, virtus est commilitones? qui justos hostium exercitus saepius fudistis, tot munitissima oppida cepistis, Caesari manibus vestris victoriam attulistis, quinque urbium populos pro-

fligastis, nunc paucos omni praesidio destitutos formidabitis? non moenia, non fossae, non validus vobis obstat exercitus, dirutis muris aequo in campo inermes supersunt fundendi: agite jam macti virtute cives, vestram animi magnitudinem, et antiquum robur ostendite, infirmoque obice remoto opulentam praedam eripite. Ita vociferatus cum delecta suorum manu in mediam hostium aciem irrupit. Caeteri alacriter secuti obvios fundunt, praeter caesos cum castello ducenti sexageni homines capti vivi fuere. Exinde Campaniola subacta, alios plures captivos Regium vinctos deduxerunt (1). *Hoc anno dissidentes in eligendo Praetore Regienses, cum convenire non possent, ad Ætiolinum Patavii tyrannum legatos miserunt, ut ipse Regiensibus jus dicturum eligeret. Is igitur Ugolinum a S. Juliana Patavinum virum malis moribus praeditum Regii Praetorem creavit, qui cum non nisi sub finem mensis februarii venisset, interea Joannes Sorentinus ejus vices implevit.*

Inter haec Entius a Friderico patre ad exigenda tributa in Longobardia legatus relictus, dum rebellantes populos subigere tentat a Bononiensibus captus, et ferrea cavea inclusus intra paucos dies misere decessit, et in Dominicanorum ecclesia humatus est. Testamentum, tamquam a captivo factum dubium fuit an subsisteret. Voluit Fridericus quot aureis urbs posset circumdari filium redimere, sed a Bononiensibus conditionem repudiatam fuisse ferunt. Quare, defuncto filio, iratus Caesar adempta Bononiae gymnasii jura, efflagitante Ætiolino, Patavium transtulit: nec multo post aerumnis confectus Florentiolae, quod est Apuliae oppidum, in lethalem morbum incidit,

(1) Corius in secunda parte hist. Mediol.

ubi a Maufredo naturali filio, quem ex Longobarda nobili concubina susceperat, idibus decembris pulvino est suffocatus. Divino judicio permissum fuisse creditum est, ut qui uxorem, et legitimum regni haeredem Henricum natum impio parricidio sustulerat, a spurio necaretur. Manfredus, nobili pompa elato patre et apud Palermum in Sicilia tumulato, Apuliae regnum invasit. Duos praecipuos a consiliis Fridericus habuit Thaddaeum Sessium, et Petrum Vineum clarissimum jurisconsultum, quem ob perfidiam necavit, eosque saepe ad Pontifices adversarios pro componenda pace misit. Friderici mors exulibus nostris, qui Pontificis partes secuti fuerant, majora audendi animum dedit, qui mense majo Castrum Arianorum patriae subditum occuparunt. Itaque Regienses imperatoris jam auxilio destituti, ne aliquid incommodi quotidie ab exulibus paterentur, auctore Ugone Butterio Parmensi Praetore, de pace cum ipsis ineunda agere coeperunt. Coacto igitur senatu, cum de Caesarianorum factionibus diu in curia disceptatum fuisset, Decurionum princeps ita verba fecisse dicitur: Si mihi tyrannorum potentia permisisset, Regienses, jamdudum vulnerum, quae dissidio vestro aperta tot annis tenuistis, sanandorum auctor fuissem: nunc his, qui libertatis nostrae ulcera exasperabant, extinctis, velut mali causa deficiente, jam obducendam esse cicatricem censeo. Reipublicae corpore in diversas partes distracto, dum haec Pontificem, illa Caesarem poscit, potentiorum libidini semper expositi tandem lacerati sumus. Demum urbis nobilibus, qui virtute et potentia sua patriam illustrabant, ejectis, velut abscissis manibus, avulsis brachiis amputatisque pedibus truncus inutilis jacemus. Deformata impune sunt aedificia, incensi agri, abacta armenta, et quod miserandum magis est membra nostra nobiscum

bellum gerunt. Non amplius superest Fridericus cujus vel vim timeamus vel praesidium speremus; ejus successor contendentibus inter se Germaniae principibus adhuc incertus est, vel quicumque declarabitur quo in nos animo futurus sit, ignoramus. Cur ergo ipsi reductis omnibus corporis partibus ad mentis sanitatem aliquando non revertimur? et exules cives et nostrum robur non restituamus? Ita enim confirmatis viribus et externorum auxilio nobis non defuturo, finitimorum hostium vim non formidabimus, tandemque a diris, quibus quotidie affligimur, rapinis, caedibus, incendiisque liberabimur. Ac si ejectorum armis quandoque vexati fuimus, id justo ipsorum dolori est condonandum, nec ipsi minora nos promeriti fuisse videmur, qui eos veluti hostes ob levem causam amicis, parentibus, liberis, uxoribusque spoliatos et omnibus bonis denudatos abegimus. Ut igitur pios decet, et reipublicae conducit, cives, amicos, ac denique conjunctos insigni beneficio devinctos amplectamur. Hac oratione omnium animi commoti et Sessiis laeta pace data universi exules sunt restituti. Mox Gulielmi antistitis, et Egidii Veronensis egregii concionatoris opera in Divi Laurentii templo magno civium concursu Roberti Sessiis infensissimis hostibus conciliati fuere. Nec minimam ea in re operam Ugo a S. Juliana Praetor praestitisse dicitur, qui postea sequente anno Veronae ab Actiolino cum Ottolino fratre, et undecim aliis necatus fuit. Cum vero primatibus consulatu semper delato opprimi plebs videretur, et Caesaris legatus ejectus jam esset, alia reipublicae forma, quam paulo ante Florentini ordinaverant [1], est constituta. Duodecim enim ex omni ordine cives, qui urbem

(1) Blond. lib. VIII, dec. 2.

regerent, in curia sorte educi placuit, quos velut praesides, et caeteros ante euntes Antianos vocaverunt. Rebus ita compositis, et pace cum Parmensibus renovata, cum jam decennio ob domesticas dissensiones episcopo urbs caruisset, tandem universae curiae consensu Gulielmus Folleanus revocatus, et a Pontifice confirmatus an. MCCLIII maxima totius reipublicae laetitia urbem ingreditur. Ei ad portam Sanctae Crucis, praeeunte Raymundo Bellotto Cremonensi Praetore, cum senatu omnes ordines, et artium collegia cum vexillis occurrunt, aeris campani tinnitu, tubis, tibiisque concinentibus, et faustis populi vocibus ad aedem majorem velut communis pater deducitur, quem omnes alii exules sequebantur. Gibertus Parmensis Praetor, et controversiae arbiter, et plerique ejus urbis proceres ad hanc pompam invitati convenerunt. Ac ut omne dissidii semen extingueretur, quasdam adhuc inter Caesarianos, et Pontificios vigentes controversias sententia ex bono et aequo lata, quae postea nostris legibus municipalibus est inserta, Praetor composuit. Innocentius vero IV ad ingens studium erga Folleanos sui nominis fautores declarandum Ugolino antistitis patri Querciolam castellum beneficiario jure concessit.

Cum eo modo biennio civitas quievisset, ad obsidendum Canussii oppidum accedere coacta fuit. Bonifacius enim ejus loci dominus, qui Guelphos patriae restitutos aegre ferebat, ad latrocinium impotenter conversus transeuntium Pontificiorum bona in via publica praedari coepit, nec profanis contentus etiam sacris vasis Canussini coenobii direptis, et Pontificis per suos fines delatam supellectilem abstulit. Quamobrem Regiensibus, quod tutum a praedonibus territorium non conservarent, a Pontifice sacris interdictis, civitas ne horum facinorum, quibus

maxime dolebat, conscia esse videretur, impellente Robertorum factione, Bonifacio dignam scelerum poenam imponere constituit. Ac statim iis qui stipendia perpetua capiebant hoc est mille peditibus, et ducentis equitibus cum ingenti montanorum hominum copia eductis ad obsidendum Canussium Jacobum Pennatium Praetorem misit. In summo colle id oppidum jacet, in quo loci situ tutus Bonifacius nostros irrumpere conantes saepius repulit, donec omni exitu occluso, tandem fame oppressus se dedidit. Ita Mathildis habitatione celebre castellum in Regiensium potestatem venit, et solo aequatum fuit. Bonifacius postea a Clemente IV Pontifice rebus ecclesiae Praefectus (Mareschalcum vocabant), deinde ab Urbano copiarum imperator declaratus, Princivallum Genuensem, qui Manfredi regis nomine adversus Pontificem exercitum ducebat, praelio victor occidit; sed id post novennium contigit. In urbe vero nostra Caesaris aedes religiosis hominibus concessae fuerunt. Superioribus enim annis, sicut et in aliis quae secum foedere junctae erant civitatibus, Regii palatium Imperator habuerat, quod cum in diversas partes vocatus pene inutile haberet, Regiensi antistiti, sibi jure cum opus esset in eo habitandi retento, donaverat. Id tum Gulielmus antistes amplificandae religionis cupidus Franciscanorum familiae, quae apud nos jamdudum sedem posuerat, ad coenobium aedificandum ea lege concessit, ut venientem Caesarem hospitio recipere teneretur, sed ea quoque conditio postea remissa fuit.

Quintus jam excesserat annus, cum Castrum Arianorum ab exulibus occupatum fuerat, quod cum pace inita non restitueretur, contumaces ad deditionem compelli placuit. Cives itaque et qui stipendia merebant eo missi machinis muros quatere coeperunt, nec segniores incolae

aggeribus intra extructis ruinae periculum emendant. Demum ex altis turribus a Jacobo Pennatio Praetore aedificatis milites fundis, et scorpionibus propugnantes a pinnis dejecerunt. Regienses ingrediendi facultatem nacti, strenui ducis industria, castellum ceperunt, ac diruerunt. Quinquaginta ex Friniano montanos ibi inventos laqueo necarunt; Gibertus Laudensis, qui castro praeerat, cum nepote ad caudam equi per urbem ductus, decollatus fuit. Non multo post iniquum jus, quo nobiles, qui plebeios occidissent, septenis, vel quingentis libris, et duodecim denariis solutis, absolvebantur, omnium consensu Sinibaldi Pistoriensis Praetoris auctoritate est revocatum. Auxit concordiam quod anno MCCLVIII magna annonae penuria superveniente, pauperes quinque assium praetio frumentum ex divitum domibus, jussu Loderenghi Andali Bononiensis Praetoris vi extractum, insigni civium liberalitate emerunt. Peregrinus a Baisio mox Ubertinus Robacuti in magistratu successit.

Cum jam secura pace populi pene omnes in Italia gauderent, inaudita populorum peregrinatio fuit, quae a Perusinis incipiens non solum Italos, verum etiam exteros graviter commovit. Permixti nobilibus plebei longo agmine crucem secuti, et plagis sibi illatis misericordiam pacemque implorabant, et ad vicinas urbes velut eas hoc exemplo ad poenitentiam invitaturi commeabant; ubi quis inimico occurrisset, omni odio deposito, eum osculabatur, ac convivio excipiebat. Jam Mutinam pervenerant, cum omnis ordinis rustici, ac cives Mutinenses, et ipsi erectis vexillis se verberare coeperunt, et cum antistite, et pluribus sacri ordinis viris Regium venerunt. Postridie cum Parmam peterent Regienses priorum exemplum imitati in omnibus curiis, qnas parochias vocant, vexillis con-

stitutis, praeeunte Praetore, flagellis se ipsi quoque caecidere, sed urbem circumire contenti ad vicinas commeare noluerunt. Ea religione motns Pontifex Regienses, quibus ob praedam ex nostro agro a Bonifacio Canussino abactam per quinquennium sacris interdixerat, ecclesiae tandem conciliavit. *Gregorius vero Bonitius vir probitate insignis Divi Prosperi Abbas est declaratus.* Sub id tempus ultra Regioli Taleatam, turris, quam testam vocavernnt, extructa, et in urbe moenianum publicum palatii fabricatum, aedesque ubi sal venderetur aedificatae fuerunt. Nec multo post sub Nicolao Bacilerio Cremonensi Regii Praetore ordo religiosorum, qui Sanctae Mariae Gaudentes dicebantur, auctore Bernardo a Saxolo, et Rainerio Adelardo Mutinensi, in urbem introductus fuit. Hi erant equites titulo Sanctae Mariae paulo ante a Lotheringo Liandolo Bononiensi institnti, qui solemni aliorum religiosorum voto obstricti, pupillos, viduasque defendere, et inimicos conciliare profitebantnr. Super albam tunicam cinericinm palium, quod panniculus sanguinea cruce dividebat, duabus supra micantibns stellis pro habitu gerebant. Sed et hi, ut plura quae ex honestis initiis orta labuntur, postea corrupti intra paucos annos extincti fuere [1], etsi aliqua eorum hodie vestigia alicubi extare dicuntur. Sequente anno Actiolinus Lambertaccius Praetor Anselmum a Rivola Bergomensem successorem habuit, qui Regiensium exercitum ad recuperandam Felinam duxit, intraverat id castellum cum rusticis montanis Joannes Pontanus Banciolae oriundus, quem, capto loco, Praetor capite mulctavit.

(1) Jo. Villan. lib. IV, cap. 13.

Caeterum Manfredus Friderici Caesaris naturalis filius, dum Corradini ex fratre nepotis tutorem agere simulat, pupillum perfide regno spoliavit: puerum enim mortuum mentitus dolosis artibus cum Neapoli universam Campaniam, Siciliam, simul et Florentiam occupavit. Sed cum infirmum se in novo principatu esse animadverteret, populorum discordia tyrannidem confirmari posse arbitratus, modo hanc, modo illam urbem fovendo inter omnes Hetruriae, Æmiliae et Flaminiae civitates dissidia aluit. Ex quibus dum haec Manfredum gens, illa Pontificem sequitur, Ubertus Pallavicinus Marchio Pedemontium et Manfredi cognatus anno MCCLXII Brixiae, Parmae, Cremonae, Placentiae, Ticini et Mediolani sibi dominatum vendicavit: Actiolino quoque a Romano Patavii tyranno a Turrianis occiso, Mastinus pro eo Praetor Veronae nefarie eam urbem occupavit. Is Jacobi vici Veronensis ex infima plebe hominis, qui scalarum venalium artem exercebat, filius, postea Scaligeri cognomentum habuit. Per eam occasionem omnes in Veneta provincia Pontificii nominis studiosi Guelphi vocati, Actio V duce creato Regiensibusque et aliis sociis in auxilium accitis, undique Caesarianos, Gibellinos dictos, opprimere conati, in universis Galliae cisalpinae urbibus exitiales discordias suscitarunt. Unde divisi populi inter se cruenta certamina ingenti strage edita conserebant. At Ubertus Farinata Gibellinorum in Hetruria princeps, Manfredi auxilio, Guelphis Florentinis profligatis, patriam Florentiam invaserat. Quare Pontificii nominis exules bonis omnibus denudati Lucam, suae factionis urbem, se receperant; sed, ea quoque civitate ab hoste capta, cum fugere cogerentur, tanta calamitate omniumque rerum inopia sunt circumventi, ut in summis Laeti montis alpibus conse-

derint, ac diu inter nives profugi latitaverint. Inde Bononiam Pontifici amicam profecti tamdiu sordida in paupertate vixerunt, donec per novas seditiones hostium spoliis ditati splendidiorem postea vitam habuerunt. In magno enim tum Guelpharum et Gibellinarum factionum dissidio Mutinae et Regii quotidie in foro dimicabatur. Jacobus itaque Rangonius, et alii Mutinenses Pontificis studiosi, ubi Florentinos suarum partium homines in summa egestate versari audiunt, ad capiendas hostium facultates accersunt; nec mora, in urbem cum Atestino a sociis recepti, prospera pugna profligatos hostes patria feliciter expùlerunt, eorumque opibus locupletati opulenti evasere. *Gibellinorum ibi principes erant Grysolfangus, et Thomas a Gortiano, quos in patrium castrum receptos Guelphi secuti illud everterunt.* Regii quoque non minori studio quotidie in medio foro dimicabatur; ubi super alios virium robore et corporis vastitate velut gigas eminebat unus ex Mutorum gente, nomine Cacus, qui Gibellinorum princeps cum ferrea clava, quam tamquam alter Hercules manu gerebat, obvios quosque prosterneret, hostibus formidabilis evaserat, ad eamque nominis claritatem apud exteros pervenerat, ut pro terribili Cacus Regiensis a quibusque celebraretur. Guelphi, inter quos erant Folleani et Roberti, pluribus diebus praelium frustra renovare conati, cum hujus impetum sustinere non possent, et ipsi Florentinos qui nuper Mutinam venerant in auxilium vocant. Hi, Foresio Adimare duce creato, pridie nonas martii per portam Castelli Regium ingressi ad opem pugnantibus sociis ferendam in forum propere veniunt. Ibi praelio restituto cum a Caco, qui solus Gibellinos sustinebat, funderentur, pluribus amissis in multos dies certamen protractum fuit. Demum Guelphi ubi hostium

victoriam in solo consistere animadvertunt, duodecim virtute praestantes Florentinos, qui specioso titulo Palatinos vocaverunt, cum Caco congressuros eligunt. Postridie igitur caeteri cum denso Gibellinorum agmine pugnam capiunt; Palatini vero intrepido animo Cacum circumdant. Ille, ingenti hostium strage edita, cum diu dimicasset, sub quercu, quae tum in medio foro procerior spectabatur, tandem longioribus gladiis confossus occubuit. Magna corporis mole cadente undique forum strepuit, et Gibellini inclito duce amisso in fugam versi cum Marco Gradanico nobili Veneto Praetore, *cui duorum mensium, quibus magistratu functus est, salarium solutum fuit,* patria expelluntur: cccc in eo conflictu desiderati fuisse dicuntur. Ex Guelphis Prosper Abbas, et Guido a Charitate cum pluribus aliis cecidere: fugientes per portam Sancti Nazarii exierunt, ubi prope Puteum iterum renovato praelio multis caesis diu pugnam sustinuere; tandem recedere coacti in diversas partes abiere. Nonnulli qui Castrum de Ardis occupaverant, eodem die ab irata plebe expugnati, et everso loco, qui capi potuerunt, laqueo sunt suspensi. Alii ex Sessiis Regiolum se contulerunt. At Gerardi Lupii liberi, Canulo occupato, patriae bellum inferre coeperunt. Quare eo exercitus missus, pacta hominum salute, exules ad deditionem compulit, et Castrum cepit. Profugis civitate et suburbiis intra tertium lapidem est interdictum, et Marci Praetoris exauctorati loco Jacobus Rangonius Mutinae Guelphae factionis princeps est suffectus. Sessii in exilium acti cum pecunia egerent, Regiolo capto, oppidum Cremonensibus librarum Regiensium tribus millibus pignori obligarunt. Mox Rollo restaurato, etiam Canulum, quod Lupiorum castellum fuit, ut certam sedem haberent, munierunt, et *civitatem vexare non destiterunt,*

donec, Petri Fulconi et Peregrini religiosorum hominum opera, induciae in tres menses a festo Sancti Petri usque ad festum Sancti Michaelis factae fuere, quas demum Sessii nondum elapsa die fregerunt. At Florentini, exulum bonis occupatis, jam opulentissimi facti multis vestibus, generosissimis equis, et fulgentibus armis se abunde instruxerunt, ex quibus cccc cataphracti sub Guidone Guerra, postea Carolo Angolemo, qui ab Urbano IV Siciliae, Apuliaeque rex creatus adversus Manfredum bellum gesturus veniebat, opportunam opem tulerunt. Prius autem Carolo classe Romam profecto, Guidonem Montisfortis Comitem, qui cum millibus et quingentis Gallis equitibus per Galliam cisalpinam in Regienses Caroli uxorem deduxit, splendido comitatu sunt secuti. Ea Beringerii Provinciae principis filia profundae ambitionis mulier fuit, quae tres natu grandiores sorores regibus nuptas in conviviis superiorem locum tenere pati non poterat, et cum ab Urbano IV Carolum Siciliae, Apuliaeque regem declaratum esse audivisset, ut vere regina salutari posset, ad conscribendum contra Manfredum militem, gemmas, omnem denique argenteam supellectilem oppignorare non dubitavit. Idus decembris erant cum Regium venit, ubi a Praetore et Decurionibus honorifice excepta, et ad antistitis palatium deducta fuit. Ante discessum a civibus impetravit ut Raymundus Toradellus Provincialis, qui a marito equestri dignitate ornatus fuerat, post biennium Regii Praetor jus diceret. Abeuntem Florentini cum quadringentis generosissimis equis splendide instructi, ut contra Manfredum pugnarent, Romam comitati fuere, quos Clemens IV Pontifex Carolo commendatos, et familiae suae insignibus donatos benigne amplexus est. Ea erat aquila sanguinea supra viridem serpentem in campo

albo posita, quam diu retentam etiam ad liberos transmiserunt. Hi tam fortem postea Andegavensi operam praestiterunt, ut, Manfredo apnd Beneventum caeso, potissima Gallis victoriae causa fuisse creduntur. Caeteri Florentini ad bellum inutiles Regii relicti plures posteros, qui antiquum adhuo nomen servant, postea propagarunt. Inter eos fuere Bonciani, Aurimani, Montenarii, Donati, Pactii, et alii quorum nomina vetustate antiquata fuere. Hi magnis Gibellinornm ejectorum opibus adaucti oriundos cives crebris injuriis affectos ingrato animo saepius opprimere tentaverunt (1). Itaqne Regienses, qui graves Florentinorum exulum contumelias aegre ferebant, clam per amicos pacem cum proscriptis prudenti consilio faciendam esse censuerunt, quae saepius tentata, multis se obiicientibus impedimentis, felicem exitum non invenit. Superveniunt interim Mutinensium Legati, qui ob civitatis tranquillitatem gratulati, sibi amicis, et vicinis auxilium contra hostes praestari postulant. Ii montem Ursaninm, ejectis Alberti Guigiae, vel, ut alii malunt, Guerrae, liberis, Ugolino fratre prodente, invaserant, agroque Mutinensi undique direpto, praedam in castrum referebant, ad quos oppugnandos copias sibi dare petebant (2). Regienses accitis Parmensibus ad eam expeditionem magnam militum mannm sub Jacobo Rubeo Praetore miserunt, qui, pluribus machinis erectis, per duos menses hostem oppugnarunt. Sed, deficientibus in castro aquis, multi siti extinguebantur, atque alii tetro faetore peribant. Aliqui castrum id Vallarium appellant, alii pro Vallario S. Bassianum scribunt. Castro expugnato soloque aequato,

(1) Blond. lib. VIII, dec. 2.

(2) Corius in secunda parte.

Regiensium copiae speciosis verbis et opimis spoliis honestatae domum remissae fuerunt. Et anno, qui fuit MCCLVII, Bonifacius Canossa Regiensis Patavii Praetor fuit, cui et sequenti Rolandinus Canossa ejus propinquus successit. Interea Jacobus Praetor a Sessiis Gibellinisque, et civibus pacis arbiter factus, pecunia a Mutinensibus corruptus nihil egit. Hominis sordibus detectis post quartum quam magistratum iniverat mensem exauctoratus totius anni accepto salario discessit. Ita locupletatus filiam Alberti Caccianemici Bononiensis nobilis, et ditissimi viri filio ampla dote constituta nuptui tradidit. Ejus loco Regienses Bondenarium suffecerunt, qui justissimus, nulla nobilium ratione habita, pauperum et reipublicae jura summa aequitate defendit. Hujus Terringucius Gallucius Bononiensis successor rapinis intentus intervertendae Reipublicae pecuniae semper studuit, uno excepto Zaccharia Judice, iisdem moribus praeditam familiam habuit. Quare post primum semestre dimissus ejusque loco Manfredus a Saxolo suffectus fuit: sub quo Petram Sanctam, quam alii Situlam vocabant, postea Bismantuam dictam Turdus obscuro loco natus clam invaserat, eam ad deditionem compelli placuit. Cives de recipiendo inexpugnabili loco valde anxios, Jacobinus a Palude acuti ingenii vir omni sollicitudine liberavit. Delectorum enim militum manu accepta, concubia nocte in angustum saxi collem ascendit, ac summo jugo superato, sensim agiliores in murum scandere jubet. Ut moenium pinnas attigit, dormientibus custodiis, nullam forte vigiliam invenit. Ibi ostio turris dejecto, clangentibus tubis, timpanorum tinnitu, et hominum clamore undique saxum resonare facit. Turdus strepitu excitus, arrepto quem prope habebat gladio, nudis ut potuit pedibus fugit, sed dum latebras quaerit a

militibus comprehensus et misere trucidatus est. Castellum receptum Jacobinus bellica laude clarus, reipublicae restituit. Inde Crevariam ductu exercitu ex pacto dedentibus se incolis illud quoque Castellum in Regiensium potestatem mense augusti citra sanguinem redegit. Supererat Regiolum quod a Sessiis Cremonensibus pignori datum fuerat tribus millibus librarum Regiensium, quinto idus decembris est restitutum, de quo, ut alii scribunt, expugnando diu in curia est agitatum. Sed cum haec nova cum Cremonensibus gerendi belli causa esse videretur, maluerunt Senatores pecunia quam Sessii acceperant, Cremonensibus praesentata, oppidum pacate recipere, quam dubio bello rem committere. Re igitur per legatos prospere transacta, et integro argento soluto, quinto idus decembris Regiolum ex bona fide est receptum. Sequente anno Manfredo a Saxolo Praetore primo semestri Regii jus dicente, Mutinenses Regiensium auxilio Brandulum vi oppugnatum diruerunt. Postea Raymundo Toradello Provinciali, ut uxori Caroli promissum fuerat, praetura fungenti de expugnandis aliquot castellis quae parere civitati recusabant demandata provincia vi insoliti frigoris retardata fuit. Medio enim aprili ingens nix, quae duobus diebus terris tenacius inhaesit, horrendam hiemem reduxit, et vineas omnes perdidit. Cum primum vero se mitius coelum ostendit ad expugnandum Piccigolum est itum, quo vi capto, arx quoque munitissima expugnari coepta, sed nostros ingredi tentantes hostes sulphureo igne, et missilibus viriliter rejecerunt. Tandem muris ariete quassatis, incolae se dederunt, et locus solo aequatus fuit. Inde Toanum exercitu ducto, illud quoque captum totum ferro, et igne est devastatum.

Rebus bellicis ita pacatis ad domestica se Regienses convertunt. *Odone enim Oddo Perusino Praetore vocato,* majoris templi hemispherium altius sublatum et aurea atque argentea moneta, quae ante episcopi titulo percutiebatur, reipublicae nomine in domo Gerardi Maxii cudi coepit. Cum vero curia nondum extructa in privatis aedibus jus reddere Praetor cogeretur, et in templo vel Broleto, ubi viridarium erat, Senatus haberetur, publicum palatium ad civium negotia expedienda aedificari placuit. In superiore fori parte Ravaninus et Peregrinus *Hallendius,* in inferiori Ugo specialis et Bonacursius Valsenerius aedes possidebant, alias his contiguas Sessii habebant, Nobilium Sessiorum vocatas, quibus sub februarii finem emptis, et sequentibus calendis martii dirutis, basilica ubi jus redderetur e regione templi majoris intra biennium opere absoluto aedificata fuit. His duobus annis Rolandinus Canussius Patavii Praetor jura municipalia, quae etiamnum observantur, condidit; et Gerardus Bojardus Regiensis cum sex mensibus summa cum aequitate Parmae Praetor et ipse fuisset, in reliquum anni ob spectatam virtutem confirmatus fuit; quo tempore Bonifacius, *vel ut alii scribunt Manfredus,* Folleanus Archidiaconus vita functus in majore templo sepultus fuit. Post haec Michael Paleologus, qui Balduino ejecto per scelus Constantinopolis imperium arripuerat, de componendis rebus cum Pontifice acturus ad synodum Lugdunum indictam, octavo idus aprilis, qui palmarum festus fuit, Regium venit. Ei plurima juventus novo sumptuosoque habitu portis effusa obviam processit. Oddo ab Odonibus Perusinus urbis Praetor confirmatus cum senioribus eum pro dignitate excepit, et ad sancti Francisci coenobium Romanis Caesaribus dicatum deduxit. Ibi pro

Augusti splendoris magnificentia publice omnes epulari permissi et variae etiam decursiones ad oblectandum spectaculis Principem celebratae fuerunt. Eidem LXX paria praetiosarum vestium, inter quas sexdecim ex solido auro contextae variis pellibus suffultae spectabantur, a civibus liberaliter sunt donatae (1). Alias vero vestes, quas sibi juventus paraverat pia largitate majori templo obtulit. Jacobinus a Rodelia, qui per multos dies hastis decurrens certamine populum oblectavit, a Paleologo eques creatus, toto mense maii omnibns ad convivium domum ambitiosius aperuit. Abeunte Michaele, ne instituta omnium disciplinarum studia desererentur, Guido Suzarius, jurium professor clarissimus ad docendum conductus, se cum haeredibus suis Regii civem futurum, et leges in Regiensi gymnasio perpetuo explicaturum, tactis osculo et manibus scripturis, in curia juravit. Contra ipsi Respublica quantum agri tribns boum jugis arari posset (tres Mansos ipsi appellabant) in Aggerum pago tradidit, una praeterea ex moletrinis civitatis qnam elegisset, eidem concessa, et ipse eam, quae apud Sanctae Crucis Portam erat, sibi optavit. Pactis expressum erat ne alibi quam Regii posset jura profiteri, quod si forte Mantuam, vel ad regem Apuliae Carolum, quod solum concedebatur, se contulisset, quae receperat ad Rempublicam reverterentur (2). Hunc Mutina oriundum Gulielmus Durantus falso arbitratur (3). At Joannes Andrae Regiensem, sed quod in Mutinensi Academia docuerit, Mutinensem creditum fuisse autumat (4). Ego velut a Suzaria oppido oriundum Suzarium

(1) Cor. in secunda parte.

(2) In nostro chartophilatio in lib. magno car. 301 et 306.

(3) Spec. in tit. de advocatis §. seq. in ver. non ergo.

(4) Joan. And. in add. ad spec. in loco praedicto.

dictum fuisse arbitror. Quod versicolores, et vario bombice virgatas vestes ferre consuevisset, licentiosioreque habitu, quam jurisconsulti gravitati conveniret uteretur, a Gulielmo Duranto graviter reprehenditur (1). Vir certe alioquin gravissimus, et magni nominis fuit. Gulielmo Pontagio in ultimum semestre Praetore electo Sessii Caesarianam factionem semper secuti, quod turbolenter se gerere viderentur, a Pontificiis, qui tum plurimum in urbe poterant, cum viginti quatuor clientibus mense augusto ejecti Crevariam se receperunt. Alii per varias urbes dispersi Vicentiam, Veronam, Bononiam, et Dertonam concessere. Eorum omnia castella incensa, et aedes, ubi postea Senatus Palatium est aedificatum, concursu populi dirutas fuisse ferunt.

Interim adversus Saracenos in Africa Ludovicus Gallorum rex strenue bellum gerens Tunetis portum, olim Carthaginis appellatum, ceperat, sed crescente canmate julii mense ex coeli ardore contracto morbo decesserat. Philippus Pius parentis ossa in Galliam relaturus sequenti anno MCCLXXI per urbem nostram pridie calendas aprilis iter habuit, etsi in annorum numero varii scriptores diversa sentiunt. Ugolinus Savignanus Mutinensis primo semestri apud nos Praetor ei cum Senatu obviam egressus ad episcopi palatium diversurum deduxit. In aliud vero semestre praeturam inivit Degus Cancellarius Pistoriensis, qui decreto senatus XI calendas augusti, ad expugnandam Crevariam a Caesarianis Regio exulantibus detentam est profectus. Situ et defendentium multitudine munitissimum erat castellum, in quod plurimi Gibellini nominis viri Regio, Parmaque ejecti cum uno ex filiis Jacobi a Palude

(1) In tit. de advoc. ub. sup.

confugerant. Ubi ergo non facile armis hostes vinci posse credebantur undecumque contractis copiis majori conatu eos oppugnari consultius visum fuit. In quatuor tribus, quae quarteria nominabant, sicut hodie quoque urbs nostra, dividebatur, una Castelli ad ejus nominis portam respiciens, alia Sancti Nazarii, ubi nunc est urbicula, vocabatur, tertia Sancti Petri, ultima Sancti Laurentii dicebatur. Ex Castelli igitur, et S. Nazarii tribu equitum, peditumque delectu habito, et tribus arietibus, quos ipsi trabucos vocabant, eductis, etiam socii in auxilium ad subigendum hostilem locum vocati fuerunt. Primi Parmenses ex una civitatis suae tribu conscriptos milites, et tres ad quatiendos muros arietes miserunt: viginti vero quinque sagittarios Mantuani, et alios totidem Castillionenses Tusci adduxerunt. His copiis, et tormentis instructus Praetor, cum munitiorem etiam quam crediderat Crevariam invenisset, ab expugnando loco abstinens, ad obsidionem convertitur. Cum vero decem et septem diebus, quas adduxerat tribus detinuisset, aliis duabus Sancti Petri et Sancti Laurentii accitis, eas ex honesta causa in urbem remisit. Cum enim pauperiores ad expedienda domestica negotia reverti oporteret, unam ejusdem civitatis partem plus alia onerari iniquum videbatur. Novi milites XXIIII diebus retenti, ac primi rursus ad obsidionem alternatim reversi jam tres ferme menses consumpserant, cum fere castelli deditione desperata, nova ejus obtinendi spes apparuit. Ex solius fontis aqua, quae de superiori colle intro derivabatur, hostes potare Parmensi episcopo clam significatum fuit. Id cum ille Regiensibus renunciavisset, praeciso aquaeductu et unda alio derivata Jacobus a Palude qui oppido praeerat siti laborans de deditione agere coepit. Communi demum consensu placuit, ut

repraesentatis Jacobo quatuorcentum nummis, quas libras imperiales vocamus, locus Regiensium arbitrio committeretur; et si senatui populoque Regiensi libuisset, etiam dirueretur. Itaque quarto calendas octobris hostibus, qui exulare jussi sunt, universa supellex concessa, et castellum funditus eversum fuit. Ea victoria potiti Regienses ad opem sociis ferendam vocantur. Roberto enim a Robertis Mediolani jus dicente, qui fuit ejus urbis Praetor centesimus (1), eos Napus Turrianus apud Insubres imperans ad Novarenses, qui pace cum Othone Vicecomite aliisque Caesarianis facta a se defecerant, oppugnandos acciverat. Ad eam expeditionem Regienses suo aere vigintiquinque cataphractos equites, quorum singuli ternos equos ducebant, in mensem miserunt, quo tempore Actiolinus Rodelius Parmae primo semestri praefectus, quem ipsi Capitaneum vocabant, et in aliud semestre Rolandus Albrigonius uterque Regiensis cum imperio praefuit. Sequenti anno MCCLXXII Tiberio Rustico Eugubino Praetore Regii jus dicente, et Guidone Roberto Patavii, ex D. Francisci familia religiosi, quibusdam coenobio suo contiguis domibus magno aere emptis, atque inquilinis, qui migrare cunctabantur, vi expulsis, aedes suas ampliaverunt, ac viam recta linea ad D. Jacobum straverunt. Gulielmus quoque Luisinus *in Canussii coenobio degebat, vir forma, et moribus insignis,* Sancti Prosperi Abbas creatus, et a Pontificio Legato confirmatus, splendidissimum civibus convivium exhibuit. *Praeter hunc equites opibus, et gratia potentes Luvisinam familiam mirifice extulerant; contra vero Gerardi, et Guidonis Roberti, et Bonifacii Canussii, qui militaris disciplinae gloria caeteris Italiae*

(1) In chronicis Mediolani.

ducibus antecellebat, interitus magno moerore urbem nostram affecit.

Interim Mutinenses bello sibi a Bononiensibus indicto, quod adversus conventiones ultra Scultennam castra tenerent, ad amicorum auxilia convertuntur. Eis Actius Atestinus Marchio, cui Ferrariae, quam ex Salinguerrae manibus eripuerat, perpetua administratio a Gregorio X Pontifice concessa fuerat, et Cremonenses cum centum cataphractis suppetias tulerunt. Parmenses quoque bis mille pedites, pluriumque equitum subsidium misere. Regiensis vero respublica Bononiensium, quibuscum amicitiae foedus junxerat, offensam verita publico nomine Mutinenses tueri noluit. Universi tamen nobiliores civitatis, velut privata necessitudine moti, vicinis affuerunt. Sed detrectantibus bellum Zermiliis (ita enim Pontificia factio Bononiae vocabatur) qui magnam civium partem secum trahebant, bellum in aliud tempus est dilatum. Jam tempus venerat, quo in alios sex menses Regii in curia creandus erat Praetor, cum Florentini ex his reliqui, quos supra in urbem receptos fuisse memoravimus, civem suum ad eum magistratum provehere conabantur. Sed cum adversam senatus voluntatem haberent, ad plebem conversi, infimis quibusque corruptis, et in suam sententiam artium collegiis deductis, tandem Stoldum Rubeum Jacobi filium Florentinum invita curia Praetorem eligunt. Fremebant Decuriones ferendum non esse, ut a vilissimis quibusque et corruptis sibi magistratuum jura adimerentur. Florentinos facinoris auctores aliis ejici placebat nonnulli plebciorum defensores plecti, et in alios seditionis conscios animadverti mallebant. Sed qui civile dissidium timebant mitiore sententia moneri plebeios ne in hanc amplius temeritatem laberentur, et hoc admissum ipsis condonari

suadebant. Eorum itaque magistris in curiam accitis, ita senatus princeps locutus esse dicitur. Vobis notum esse arbitramur, cives, cujusque corporis partes capiti semper paruisse, nam si quo mens non cogitat proficisci pedes vellent, in incertum, et plerumque sibi perniciosum locum deferrentur; ob id in qualibet recte instituta republica senatoribus, qui consilio, et prudentia quaecumque negotia disponant, velut capiti demandata est urbium administratio. Nobis quoque, postquam libertatem divina gratia adepti fuimus, totius civitatis ipsimet curam detulistis: cur ergo vestra instituta vel potius jus gentium violatis? vetusta decreta temere rescinditis? ac divinum, humanumque jus confunditis? In nos communes parentes impie conjurastis, patriam tumultibus implevistis, lacerastis, excidistis. An adeo nostrae erga vos benevolentiae diffiditis ut de optato magistratu vobis desperandum esset? Vestra gratia diurnos nocturnosque labores sustinemus, ut vestrae tantum tranquillitati consulamus, gravissimos Praetores, et qui facinorosorum delicta coercere possint amplo honorario invitatos vocamus, quorum electio si infimi cujusque voluntati permittatur, timendum ne vel a corruptis, aut inexpertis ad hoc munus minus idonei vocentur. Acerbiore poena haec nescio dicam temeritas, an perfidia luenda esset, sed ut nostram in gravioribus quoque delictis non solum indulgentiam, verum etiam charitatem experiamini, crimen aliorum potius ut arbitramur factionibus, quam vestro ingenio commissum vobis condonamus; ac ut nostram erga vos benevolentiam majorem agnoscatis optatum Praetorem confirmamus, quem posthac contra nostri ordinis et patriae decus vobis committemus. His dictis omnium animi leniti, et patribus conciliati plebeii discessere.

Inter haec Eduardi Angli regis adventus paululum civium animos a discordiis avertit. Is ab Henrico patre ingenti classe in Asiam missus fuerat, ut ob Syriam recuperandam principibus christianis auxilium ferret, diuque Ptholemaide prout inter duces convenerat, dum Ludovicum Gallorum regem in Africa tunc cum Saracenis bellum gerentem expectat, ferme quatuor annos consumpserat. Demum a quodam Arsacida, quem de suae gentis moribus multa fabulosa nugacitate narrare solitum in interiorem familiaritatem admiserat, prope domestica fraude extinctus est. Dum enim solus in cubiculo cum eo familiarius colloquitur, tribus a sicario petitus vulneribus vix mortis periculum evasit. Cubicularius ad principis clamorem ingressus Arsacidae manum vulnera ingeminantem retinuit, qui a reliquis aulicis opportune supervenientibus e vestigio trucidatus est. Saraceni Arsacidas nominant sicarios, qui homines infidi, et vanae superstitioni addicti, sed beatam vitam promereri existimant, si publico hoste interfecto, etiam acerbissimam postea mortem patiantur. Eduardus ubi primum ex vulneribus convaluit, cum Ludovicum in Africa morbo extinctum esse intellexisset, de rebus Syriacis desperans, induciis cum hoste pactis, in Angliam est reversus. Inter eundum a civibus nostris liberaliter exceptus cum uxore in antistitis palatium divertit, nec multo post gladio occisus fuit. Quo tempore in foro jam Sessiorum aedificiis, et aliorum domibus, ut supra memoravi, dirutis, novum palatium, ubi postea curiae sedes est constituta, aedificabatur. Zaldus Cancellarius Pistoriensis Praetor in suo semestri magistratu murum usque tectum perduci curavit, calendisque junii anno MCCLXXIII absolutus fuit. Structilis praeterea canalis, quem vulgo vegetem Folleanum a Folleano episcopo

auctore vocant, ad derivandam aquam est fabbricatus. At Caesariani, qui tum Pontificiis ejectis Parmae rerum potiebantur, nostris diversae factionis civibus bello infesti erant: id audientes Turriani Mediolani Guelphorum principes cum finitimis civitatibus et Regiensibus percusso foedere, ipsis centum quinquaginta cataphractos adversus vicinos subsidio miserunt. Contra nostri vigintiquinque cataphractis, quorum singuli binos equos trahebant, Fliscis adversus Genuenses opem tulerunt, et aliis totidem quinquaginta sagittariis adjunctis, Bononiensibus contra Forojulienses affuerunt. Turrianis quoque adversus rebellantes Novarienses alios vigintiquinque cum ternis equis cataphractos miserunt. Eo anno Guidone Roberto magnae auctoritatis viro defuncto, Carolus Apuliae rex Robertum ejus agnatum Florentiae Praetorem constituit.

Inter haec Lugdunum concilium Gregorius X indixerat, ut afflictis Hierosolymae rebus mature opem ferret, qui in Gallias cum Cardinalium comitatu proficiscens, septembri mense die quo DD. Cosmae et Damiani festum celebrabatur, omni honore a Regiensibus est exceptus, in D. Prosperi coenobio extra urbem diversatus, *templo aureum arae vestimentum mira arte Natalis Christi demonstrans donavit,* postridie Parmam se contulit. Ad eam synodum ferme centum sexaginta millia hominum, quod nunquam antea visum est, confluxisse dicuntur, ubi decretum, ut decima censuum ecclesiae ad Syriacam expeditionem conferretur; Graeci quoque in illis comitiis Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere confessi ad pristinam haeresim postea sunt reversi. Hoc anno Accursium legum professorem in nostra Regiensi Academia publice jura interpretatum fuisse invenio; tertio enim idus decembris die lunae, coacta pro more in palatio omnium

civium curia, Praetore referente, placuit undecumque pecuniam inquiri ut cc, quemadmodum ipsi vocabant, librae Regienses Accursio leges docenti repraesentarentur, sed is Accursius Regiensis fuit [1], non ille qui nobilibus in civile opus glossis editis anno salutis MCCXXIII Bononiae jura interpretabatur [2], et quadragenarius ad legum disciplinam a quibusdam accessisse dicitur. Eodem die Bernardo quoque a Talento Decretalium interpreti xc Regiensium librae solvendae sunt constitutae. Hunc illum Bernardum Parmensem esse plerique arbitrantur, qui postea Bononiae Canonicus creatus in Decretales glossas edidit [3], cujus familia Talentorum hodie quoque Parmae invenitur: sed alii ex Bottonorum familia eum fuisse probabilius affirmant. Pileo quoque utriusque juris manuscripta volumina venalia tenenti L librae Regiensium, ut solverentur, eadem die decretum fuit; quae pecunia nisi inveniri potuisset, id iterum ad curiam referendum esse statuerunt [4]. Hinc rerum ejus temporis vilitas deprehenditur cum minore praetio omnibus distractis, modico etiam stipendio celeberrimi professores contenti essent, qui nunc in rerum omnium caritate mille ducentorum et amplius aureorum honorarium quandoque consequuntur. Plura enim tunc argenteo nummo, quam nunc aureo haberi potuissent. Quod tunc ex omnibus supra narratis, cum ex praetio, quo campus nundinarum emptus est, facile colligi potest, quem sequenti anno, Leonardo Amato Cremonensi Praetore, centenis sexagenis Mediolanensibus libris Regiensis

(1) Cujus saepe meminit. Jac. de Aret. in tract. de cess. act.
(2) In auth. ut praeponat. nom. imp. in princ. in verb. indictionis.
(3) Gloss. in c. quod sicut §. pen. in verb. dividat. de election.
(4) In Cartophylatio in arcula duarum clavium.

Respublica comparavit. Is ager extra pomaerium Sancti Petri ad foveas civitatis, qua ad Pontem Livonium et Fratres Humiliatos, postea Sancti Bernardi dictos, ibatur, supra viam Basilicam jacet, ubi nundinae multis annis celebratae, nunc tantum boarium, aliorumque venalium animalium forum est constitutum.

Orta interim Bononiae ob diversas factiones rixa, Zermilii Pontificii nominis viri ad ejiciendos hostes a sociis auxilia implorant. Eo sub Rolando Albricono Regiensi Parmae Praetore cum Parmensibus profecto, Regienses quoque suos miserunt. Cruento praelio in urbe commisso, equitatus Florentini ope a Guelphi Lambertacii, Asinelli, et aliae sexdecim ejusdem factionis nobiliores familiae omnes Caesarianae expulsae fuerunt, quae Faventiam, ubi benigne exceptae sunt, ad Gibellinos socios se contulerunt. Tanta erat inter partes invidia, ut nec exules longe alibi vivere pati potuerint. Accersito enim Mutinensium, Parmensium, et Cremonensium suarum partium auxilio, et equitatu, peditatuque Regiensium sibi adjuncto ad obsidendos hostes exierunt, quod aegre ferentes Parmenses Rolandum Albriconium Praetorem Renum fluvium egredi non permiserunt. Faventini, ubi hostes prope accedere senserunt, Guidone Montis Feltrii Comite duce, magno impetu eruperunt, et octo millibus caesis, inter quos multi Regiensium sunt desiderati, insignem victoriam retulerunt. Ob id plura ad Gibellinos oppida defecere et Cervia Venetorum tutelae sanius se commisit. Reparatis postea viribus, Bononienses iterum Faventiam reversi ab eodem Guidone, quo nullus tum in arte bellica clarior habebatur, profligati fuere. Cecidere in eo praelio ex Regiensibus Joannes Rossellius, Robertus Princivalis a Menotio, Guido Ugonis Corradi, et Nicolaus Almerici

Philippi Praetoris Bononiae judex, et alii ex ima plebe plurimi. Struffus quoque Struffius captus, et Faventiam ductus fuit. Ex aliis Nicolaus Bacilerius, et Terringuccius Gallutius, qui Regii Praetores fuerant, Saracinusque Lambertacii Bononiensis in eo praelio occubuere, sed Terringuccius dignam rapinis, quas Regii exercuerat, poenam dedisse videtur. Ob haec Turriani rebus suis timentes Mediolani cum Pontificiis comitia habuerunt, in quibus cum Regiensibus et aliis Galliae Cisalpinae populis decimo quarto calendas februarii foedus renovarunt, et plurimi nostrorum Mediolani meruerunt. Regii vero cives navigabilem fossam, vulgo Navilium novum dictam, extra Portam Cruceam ab inferiori viae regiae parte in aliam antiquam fossam derivarunt, et novum palatium, ubi curiae sedes est, absoluerunt. In primo senatu qui ibi coactus est de transferendis nundinis in campum reipublicae centenis sexagenis libris emptum agitatum fuit; sed cum perpetui usque ad natalitios dies Domini imbres descenderent, non nisi sequente anno id perfici potuit: aucta enim pluviis flumina late agros inundarunt. Ingens praeterea nivis copia sex cubitorum altitudine diu colles texit, et cum pabula deficerent, plurima fame armenta sunt confecta, et pro glande, quae deerat, foenum coctum et contusum minoribus armentis praeberi oportuit. Hanc calamitatem nova civium orta contentio urbem nostram maxime vexavit. Regebat in Canussii coenobio Lupus Luvisinus monachus, a quo fructus eo anno collectos sibi dari Guido Canussius imprudenter efflagitabat, et cum ille redditus in religiosorum alimenta convertendos exportari posse negaret, Canussius eos se ex illius visceribus extracturum minabundus infremuit. Lupo apud Sinibaldum et Guidonem fratres de injuria conquesto, Guido

Luvisinus Canussium in foro colapho turpiter percussit, unde inter eas familias diu implacabile odium permansit. Monachus Canussii morari non ausus in Divi Prosperi coenobium translatus, dum vixit, Gazzatae Prior praefuit. Praeter publica opera etiam privati aedificiis mirifice Regienses studebant. Luvisini enim Regii opibus florentes porticum columnis ferreis suffultam ad divitias inaniter ostentandas novo fastu erexisse dicuntur. Struffus quoque Struffius et Petrus Indusiatus alia ad luxum opera ambitiosius construxerunt, quae velut ex ingenii levitate facta praetermittuntur. Eo tempore Robertus ex Robertis Patavii Praetor jus dicebat, cui sequente anno Guido Robertus ejus propinquus successit. Mantuae vero Pinamons Bonacossius, qui cum Othonello Zanecallo urbem regebat, collega fraude occiso, patriae imperium arripuit. Id cum aegre ejus urbis cives ferrent, Arlotti cum Casalodis, Agnellis et Grossollanis in eum conspirant. Verum conjuratione detecta, plures trucidati, neo pauci alio solum verterunt. Inter eos qui tunc exularunt Arlotti Regium profecti eam postea semper patriam habuerunt. Post haec soluta Lugduni synodo Romam revertens Gregorius Regium venit. Antistes cum omnibus religiosis, et Scolagio Cavalcante Florentino Regii Praetore universaque curia obviam egressus honorifice exceptum ad suum palatium magna pompa deduxit.

Sequenti anno, Joanne Piscarolo Cremonensi Regii praetorem agente, decimo tertio calendas majas effossa ara, quae erat in capite templi Divi Prosperi a Castello in sacello ad sinistram collocato inventum est corpus quod Sancti Venerii esse dicebatur. Id a Nicolao templi majoris Archipraesbytero extractum, astante populo, clangentibusque tubicinibus, et concinentibus hymnos sacer-

dotibus in pristinum locum relatum fuit. Sed cum ejusdem reliquias Divi Prosperi monachi ante annum MCXLIV populo et ipsi ex suis sacrariis eductas ostendissent, id maligne ad falsam opinionem civibus injicendam factum fuisse plerique crediderunt. Post haec IX calendas julii ea imbrium vis fuit, nt late flumina eruperint. Crustumius a Ripaltae villa Bagnolnm usqne effusus Mutilenae conjunctus est. Via publica omnium Sanctorum vocata extra portam Divi Stephani aquis plena facile navibus traiici potuisset. Ædes velut insulae ex undis eminebant, submersae segetes, avecta armenta, et plures homines periere; pontes et plurimae domus eversae fuerunt; sectae messes, domestica supellex, rustica instrumenta, evulsae a tectis trabes, jumentorum, hominumque cadavera in mediis undis natantia miserandum praebebant spectaculum. In Divi Geminiani xenodochio, aliisque extra Sancti Stephani pomaerium suburbiis nihil praeter undas cernebatur; continua enim quatuordecim mensium pluvia, non aestatis tantum, et autumni fructibus homines privavit, sed serendorum etiam in sequentem annum agrorum facultatem ademit. Masenciaticum, aliaeque villae submersae omnem fere agri formam mutaverunt, ut tantum aquarum diluvium ab hominum memoria non sit visum. Sub id tempus Regienses tam in Gregorii X Pontificis quam Rodulphi Caesaris verba jurare coacti sunt, cum id uterque ad extinguendum diversarum factionum incendium pro communi Italiae salute antea Lansanae constituisset. Sed Italiam Caesar ingredi veritus, quod ibi majores suos plerumque male mulctatos domum rediisse diceret, legatum Cancellarium vocatum cis alpes misit. Is circumducente Legato Pontificio, et Ferrariensi episcopo comitante, decimo quinto calendas octobris Regium venit, cui

populus in Parmensium fines cum vexillis occurrit, et in foro juramentum, quo observatio in Pontifice, et fides erga Caesarem promittebatur, a civibus exegit. Inde Parmam legatus profectus, ubi Actius Manfredus in primo semestri Praetor jus dicebat, eos cives, Mediolanum, Cremonam, aliasque urbes idem jurare compulit. Caeterum Gregorio pluribus curatis aegrotis, et luminibus etiam quibusdam coecis restitutis apud Aretium defuncto Innocentius V ex D. Dominici ordine religiosus suffectus Romae intra paucos dies obiit. Hujus successor Adrianus V, qui prius Othobonus Fliscus dicebatur, intra dies triginta quinque apud Viterbum et ipse extinctus est. Petro Hispano postea Pontifice creato, qui Joannes XXII est vocatus, evenit ut quatuor Pontifices uno anno haberentur, quo annona maxime est laboratum, cum nix, quae usque ad calendas aprilis in terra resederat, non modo omnes fruges corrnpisset, sed universam etiam leguminum sationem prohibuisset. In magna tritici caritate sextarius frumenti non plus octo solidis Regiensibus pro eorum temporum vilitate tum venditum fuisse legi, quamquam eam prope dimidii floreni aurei aestimationem fuisse nonnulli affirmant, plurimi etiam ex frigida humiditate contracto morbo periere. *Decessit et Ugolinus Folleanus vir inter cives nostros primarius. Quare ad avertendum mortis terrorem statutum est, ne mulieres cadavera sequerentur, neve ob defunctos campanae pulsarentur. Eo anno Guido Robertus Patavii Praetor jus dixit, sub quo jura fures, et incendiarios punientia condita fuere*. Per eos dies Caesariani, Petra Situla, quae nunc Bismantua dicitur, et Guastalla occupatis, crebris eruptionibus Regium affligebant. Cives ut ab ea molestia liberarentur Brixianum Salensem Regii Praetorem mense augusto Bismantuam

cum exercitu miserunt. Incolae ubi se undique obsidione premi viderunt, comeatu deficiente, Regiensium potestati se commiserunt. *Albineae quoque palatium, et moenia eo anno sunt aedificata*. Post haec cum Cremonensibus foedus initum, ut Taleatae emissarium clauderetur, sed illi post duos menses adversus conventa, quae in sua curia confirmaverant, auctore Cavalcabove eorum tyranno, turpiter a contractu recessere, et nostri praeter inanes operas etiam bis mille ejus monetae librarnm in diruendis operibus jacturam fecerunt. Eandem fossam sequente anno in suo agro Regienses complanaturi ultra librarum decem millia impendernnt. *Interea undae excrescentes opus nondum perfectum diruerunt*.

Alind praeterea incommodum urbs nostra sensit; siquidem his diebus evenit Napum Turrianum Guelphorum Mediolani principem ab Othone Vicecomite ejnsdem urbis Archipraesule profligari. Quare Caesariani nominis nobiles in eam urbem recepti, finitimisque civitatibus ad Gibellinos deficientibus, magnis potentum sociorum viribus Regienses destituti fuere. Ea nocte qua opima victoria Vicecomites fusis hostibns sunt potiti, Matthaeo Othonis ex fratre nepoti natus filins, qui quoniam in lucem prodeunti plnres Galli saepins repetito cantu quasi gratnlati essent, Galleatins est appellatus. Ea clade accepta Turriani recipiendi principatus spe decidentes ad Cremonenses, Parmensesque socios, et Aquilejam, ubi Raymundus Turrianus erat Patriarcha, confugerunt. Guelphis vero, qui a Vicecomitibus in Papiae arcem, quae Pixta nuncupabatur, inclusi erant, Regienses cum Brixianis et Parmensibus sociis auxilium tulerunt: sed Othoni arridente fortuna minus prospere pugnaverunt. Exinde Regienses pro Bononiensibus apud Forum Cornelii diebus xxxv castra

habuere. Cum vero Laudenses adversus Vistarinorum Caesarianorum potentiam Cassonum Turrianum Napi filium vocavissent, Regienses cum Vicentinis et L Parmensibus cataphractis eo Turrianos deduxerunt. Contra Gibellini ad potentem hostem opprimendum profecti Laudem Pompejam obsederunt. Inter Turrianos tum eminebat Raymundus qui antea Comensis episcopus, postea a Gregorio X Patriarcha Aquilejensis creatus, cum tota familia ab Othone patria expulsa exulabat. Is ex Venetia, Forojulio, Histria, et Carnis equitum et peditum quatuor millia ad repetendum principatum opimi sacerdotii opibus armaverat, quibus cum Regiensium et Parmensium copias, aliosque Guelphos adjunxisset obsessum Cassonum facile liberavit, ac rursus Mediolanenses, repetita obsidione, Laudem Pompejam diruturos mense augusto felici praelio fudit. Mox Gorgonzola castello cum L Novarensibus cataphractis, aliisque pluribus capta, ingentem equitum, et supellectilis praedam fecit. Verum caeso cum sociis Cassono, plures Longobardos patrio solo ejectos, et inter alios Pancierios, Ravanos et Luvisinos Regienses Utinum antea Idunum dictum deduxit (1). Horum aliqui postea Justinopolim concedentes ab illis etiamnum Ravani Regienses vocantur. Sub id tempus Regii mulieres propinquorum cadavera ad sepulcrum concomitari desierunt, dum Guarsendomus Luvisinus Regiensis Parmae Praetor ultimo semestri jus diceret, cui Jacobus Rodelia successit. Cum vero prope tempus esset, quo Regiensis respublica casura erat Rege Pistoriensi apud nos praetura fungente anno MCCLXXVIII de novandis civitatis magistratibus infaustis comitiis actum fuit. Consueverant pleraeque aliae respu-

(1) Volfangus Lazius, in commen. Rom. Rei. l. XII, c. 2. sex. sectionis.

blicae, inter quas erat Florentina et Romana, praeter Praetorem etiam urbis Praefectum creare, quem populi Capitaneum quasi exercitus ducem appellabant. Is majori supra Praetorem potestate supremum tam in milites, quam in cives imperium exercebat, et urbis curam habebat. Hunc itaque magistratum cum institui Regiensibus placuisset, nullo adhuc de ejus ditione facto decreto, ejus eligendi facultas urbis episcopo est commissa, qui Ugolinum Roscium Jacobi filium Parmensem Capitaneum dixit. *Alii enim ab artificum Consule creatum fuisse autumant.* Postea vero hae de eo creando latae leges fuere, ut in majori civium consilio, ubi ex quaque familia singuli tantum suffragium ferrent, nominaretur. Ipse sui quotidie potestatem faceret, neminem ad se in intimum cubiculum, nisi sacerdotem, vel medicum reciperet, ac majorem civitatis conventum unoquoque mense minimum semel convocaret, ut quid de bonis Sessiorum agendum esset commode deliberaretur. Tantum adversus eos odium Pontificii conceperant, ut iniqua etiam contra ipsos jura dicere non dubitaverint. Nimis enim dura constitutione statuerunt, ne ullo unquam tempore illos, aut eorum socios in urbem Praefectus restitueret, vel si tertii Franciscanorum Ordinis Sodalitio aggregarentur, quos poenitentiae fratres vocabant, neve eos etiam ad diversam factionem transfugientes inter Pontificios, seu Guelphos numerari permitteret; nec minus in eorum uxores saevitum est, quas etiam maritorum bona pro dotibus recipiendis habere prohibuerunt; omnia denique statuta in curia ita demum observari voluerunt, modo in Sessiorum commodum non redundarent. In sex menses Praefectum creari placuit, quem, magistratu deposito, ad Praetoris arbitrium, eorum quae gessisset rationem reddere volue-

runt; et si eum condemnari contigisset non nisi in majori curia, ubi minimum quingenti cives adessent, dextante civium suffragante absolvi [1] posset. Alia, quae de eo statuta sunt, ut leviora consulto praetermittenda esse duxi. Ugolinus itaque Roscius primus apud nos hac dignitate functus calendas augusti magno populi concursu praefecturam inivit; Thomas ab Entiola item Parmensis in aliud semestre suffectus fuit.

Eo tempore Gerardus et Pinellus fratres Bismantuam occupaverunt: sed qui in proximis locis ditionem habebant, Gorzanorum, et Bentiolanorum montanorum hominum, aliorumque Regiensium auxilio castellum receptum reipublicae nostrae mille librarum Regiensium praetio vendiderunt. Alii ipsos ea pecunia ob supellectilem Bismantuanorum direptam a Praetore mulctatos fuisse tradunt. Eam ob causam Regienses castrum moenibus denudarunt, quae rursus incolae in Regiensium invidiam restaurarunt, qui, eo statim exercitu ducto, locum, dedentibus se obsessis, receperunt. Gerardinus, et Pindus fratres Bismantuani, qui adversus Regienses rebellaverant, a Busanensibus capti, et Regium ducti ultimo supplicio affecti fuere. Mantuani quoque Gonzagam contra finitimarum gentium votum solo aequarunt. Interea vallum Navonis Caesariani, qui Parma exulabant, in Cellae pago munierant: sed, civibus pro Zermerlinis adversus Lambertacios Bononiam profectis, nihil in eos tentatum fuit. Non multo post alia pertinax suborta contentio non mediocriter civitatem nostram vexavit. Episcopus enim et sacri ordinis viri decimas ex Pontificum constitutionibus a civibus acerbius exacturi implacabili odio in se populum irritarunt. Illis

(1) Idest, ut haberet decem partes ex duodecim.

enim praesentibus, qui eas non solvebant velut inferorum poenis devoti essent, sacra peragere sacerdotes recusabant; denique horarum omnium precibus intermissis, templique foribus obseratis, neminem oraturum admittebant. Quo facto stomachati senatores coacta curia non amplius tantam ferendam esse licentiam fremunt. Itaque electis viginti quatuor viris, ex quorum numero septem erant jureconsulti, coercendae sacratorum hominum contumeliae curam demandarunt. Hi, asperioribus promulgatis decretis, gravem civibus, qui cum illis cibum sumpsissent, aut locuti essent, eorumve domos, vel officinas inhabitassent, poenam imposuerunt; iisdem frumenta moli, aedes fabricari, panem aut alia cibaria parari, atque omne aliud commercium inhibuerunt; laniis sarcinatoribus, aliarumque artium opificibus ne quid ipsis venderent, operarentur, quoquove modo auxilium praestarent, gravi comminatione interdixerunt: nonnulli etiam pistores, qui mandatis non paruerant, libris Regiensibus quinqnagenis multati fuisse reperiuntur. Antistes ad saeveriora arma conversus urbis Praefectum cum viginti quatuor viris, ac populum diris damnatum inferorum poenis subjecit. Ita in rabiem converso odio, ac nonnullis etiam sacerdotibus vulneratis, manibus temperari non potuit. Tandem cum ipsi humanis viribus inferiores in publicum prodire non auderent, piis intercedentibus viris quatuor religiosis, Pagano S. Dominici Priori, Gulielmo Hiporegiensi in eodem coenobio Lectori, Giroldo Mutinensi Divi Augustini Priori, et Petro a Bibiano ejusdem coenobii Lectori mense novembris communi consensu lis dirimenda commissa fuit; qui, ne iratum populum amplius exacerbarent, decimas jure fori non peti, sed prout cuique placuisset solvi, miti sententia determinaverunt. Id arbitrium ante vetusta jura

nostra municipalia hodie quoque manuscriptum legitur. Tanta eo anno uvarum copia fuit, ut ad eas ex vitibus decerpendas agricolae non sufficerent, et dimidia pars colligentibus pro mercede daretur. Sub finem septembris Thebaldus Acarisius Faventiam Guelphis Ravennatibus, Bononiensibus, et Foro Corneliensibus prodidit. Quare Praetor Regii et Gerardus Bojardus Regiensis, tunc Parmae Praefectus, sociis in eam urbem receptis opportune auxilium tulerunt. Eo anno in superiori parte fori plurium emptae aedes, ut novo Praefecto Martio palatium aedificaretur, quod mox sexto mense perfectum Bacilerius de Bacileriis Bononiensis sequenti anno primus ex Capitaneis inhabitavit. Id cum a Praetoris palatio, intercedente via, disjungeretur, supra interjecto fornice, concameratoque usque ad tecta intervallo, utrumque conjunctum est aedificium. Exinde a Divi Petri porta ad pontem Livonium in centum acaenas, quas vulgo perticas vocant, quae sexies centenos cubitos continent, moenibus ductis, universa civitas nostra muro conclusa fuit. Antistes prope nundinarum campum quatuor agri jugera ad excavandos, coquendosque cum calce lateres quadrigentarum nostrarum librarum pretio civibus vendiderat. Itaque quinquagesimo tertio anno postquam opus coeptum erat, moenium urbis ambitus est absolutus. *Bacilerio Albertus Rodurengus Brixianus in praefectura successit, qui omnes parricidii damnatos, populi decreto, absolvi curavit.*

Ex his ad res bellicas conversi cives nostri fuere: cum enim Otho Vicecomes, ut supra memoravimus, Mediolani principatum adeptus vicinas Guelphi nominis civitates subigere conaretur, Gulielmo Montisferrati principe exercitum ductante, grave Cremonensibus bellum indixerat. Illi ad externam opem conversi a sociis civitatibus

auxilium implorant. Eo manus mercenariorum militum a Regiensibus est missa, quae Mutinensibus, Placentinis, Parmensibus, et Mantuanis conjuncta adversus Mediolanenses secundo praelio pugnavit. Demum pace in centum annos cum his urbibus facta, conventum est, ut captivi utrinque redderentur, et Turriani cum fautoribus earum finibus arcerentur. Inter hos tumultus, mota majore ara templi Divi Prosperi a Castello corpus inventum fuisse dicitur; quod in arca ex marmore candido vinculis ferreis constricta bombicino panno involutum erat. Alia quoque arcula quae fragmenta ligni carie corrosi continebat prope reperta fuisse fertur. Cum illud D. Prosperi corpus esse divulgaretur, gravem cum Guidotto ejus templi Praeposito Gulielmus Lupicinus D. Prosperi Abbas litem exercuit. Sequens annus, quo Lazarus de Lazaris Regii Praetor fuit, vir iniquus et reipublicae bonorum direptor, tot erucas attulit, quod nunquam hominum memoria fuere, quae arbores, ut media hyeme conspici solent, erosis frondibus, denudarunt: denique absumpto pabulo, ubi esca defecit, inedia confectae corruerunt. Tonitrua quoque adeo horrenda fuere ut timore plerique ceciderint. Cives nostri sub id tempus Alberti Gliadrotti aedibus prope scalas palatii emptis, ad custodiendos sontes novos carceres condiderunt, et emissarium, quod per medium forum excurrit, effoderunt. Per eosdem dies Petrus regis Gallorum frater inauditum facinus ulturus cum magnis copiis Regium venit. Carolo enim patruo Siciliam tenente Siculi Gallorum superbiam ac libidinem exosi, Joanne Prochyta auctore, in regem conjuraverant, dataque prius invicem acceptaque fide cum primum vesperarum sonitum audivere, nullo sexus, aetatisve discrimine habito, omnes ubique ad unum Gallos trucidarunt: ac ne Gallici nominis

semen relinqueretur, etiam mulieres Gallorum compressu praegnantes crudeliter jugularunt. Petro vero Aragonio, qui facinoris conscius in Sardinia Siculorum defectionem expectabat, insulam cum regni titulo commiserant (1). Cladis nuncio in Galliam misso rex Philippus Petrum fratrem eum exercitu Carolo subsidio futurum in Campaniam misit, qui Regium ingressus omni officio et honore susceptus, postea Neapolim contendit. Mediolani vero opera Alberti Scoti, qui Vercellas, Novariam, Ticinum, Laudem Pompejam et Placentiam occuparat, ejectis Vicecomitibus, Turrianisque receptis, novi motus excitati fuere. Tandem Matthaeus Viceoomitum princeps ad Henricum in Germaniam profectus in patriam reditum obtinuit: cum enim coronam de more accepturus eo Caesar venisset, statuit ut utraque factio in civitate pristinae libertati restituta aequo jure viveret. Sed in urbe atrocis orti tumultus Turriani auctores facti, et Matthaeus in priore confirmatus est principatu. Eo nuntio exterritis Guelphis plures Galliae cisalpinae populi auxilia Turrianis miserunt. Inter alios Placentini, Parmenses, Brixiani, et Regienses sub Gerardo Bojardo urbis Praefecto cum universo equitatu, et sexcentis peditibus eis affuerunt; a Gulielmoque Montisferrati Marchione, Leone, quod est Cremonensium oppidum, obsessos virtute bellica liberarunt. Deinde comitiis Cremonae habitis, Parmenses, qui tunc primo semestri Joannem Taculum Praefectum habebant, Regienses, Placentini, Mutinenses, Bononienses, Brixiani, et Ferrarienses foedus hac conditione junxerunt, ut commune stipendium militibus solvendum Cremonae deponeretur. Rursus cum Bosius Doaria Caesarianae fa-

(1) Plat. in Martino IV.

ctionis dux Soncinum Cremonensium occupasset, acciti Regienses, sociis auxilio opportune allato, oppidi agros diripuerunt. Ab alia parte Forum Livii, Caesena, Forum populi, Britanorum, olim Norium vocatum, se Pontifici dederunt; et Joannes Paulus genere Gallus a Martino Pontifice comes Flaminiae creatus Montem Feltrium obsidebat, cui Regienses opem ferentes in Pontificis potestatem oppidum redegerunt. Regii vero Divi Blasii templum extra portam Sanctae Crucis, quod ruinam fecerat, est restitutum; et Gulielmus Folleanus antistes defunctus in majore templo humatus fuit, vir pacis amicus, et bonis moribus praeditus.

At ineunte anno MCCLXXXIII respublica Mutinensis domestica dissensione afflicta, tandem sui juris esse desiit. Odio siquidem acerbo inter Boschettos, Rangonos, Savignanos, et Saxolenses, plurimi in. rixa sunt occisi. Qui superfuere, cum nec dum caesorum sanguine satiati essent, quampluribus clientibus, quotcumque sibi adsciscere potuerunt, utrinque stipati, renovato praelio, inter se dimicarunt. Praeter vulneratos quingenti in eo conflictu cecidisse dicuntur. Expulsi Savignani, et Saxolenses plura patriae castella oppugnarunt, ac cum Saxolum se recepissent, eo progressos hostes non paucis captis, plus quadrigentis occiderunt, nec multo post prope Sanctum Columbanum praelio renovato, longe plures trucidarunt. Regienses ut vicinos conciliarent plurimum laborabant. Demum utraque pars publicae tranquillitati studere visa cum Regium venisset, pacis conditiones amicorum arbitrio accepit. Sed, Boschettis postea a placitis recedentibus, statutum est, nec quis ejus auxilium ferre, neve ex eorum numero Praetor Praefectusve a sociis populis eligi posset. Tum enim foedere conjunctae vicinae civitates Praetores,

Praefectosve ex amicis invicem recipiebant, et ex Regiensibus Thomasinus Robertus ultimo semestri Parmae Praetor jus dicebat. Regienses quoque paulo minore discordia laborantes praeter implacabile odium, quod cum Caesarianis proscriptis habebant, alias etiam inter se simultates exercuerunt, quorum Barnabas Balestellus Placentinus Praetor vir factiosissimus auctor esse credebatur; itaque dimissus Tobiam Rangonem successorem habuit, qui et ipse ineptus non plus duobus mensibus in magistratu permansit, etsi sex mensium salarium abstulit. Parmenses itaque veriti, ne Mutinensium exemplum sequerentur, Regium legatos miserunt, qui cives ad pacem exhortarentur. His responsum est, Parmensibus referrent, gratam fuisse civitati amicorum cohortationem, seque ob tantam erga se fidem et charitatem satis omnibus perspectam ingentes ipsis gratias habere; curaturos denique Regienses ut brevi intelligerent Parmenses, quantum apud se gratia et auctoritate possent. Sed quod, seditiosorum potentia, liberam seniores potestatem non haberent, non quamprimum tumultuantium odium extingui, nec multo post conventum est, ne ex alterutra urbe exulantes capitis poena in alterius urbis territorio commorarentur. In idem foedus jurejurando adhibito Cremonenses, Placentini, Ferrarienses, Brixiani, Bononienses, et Mutinenses sunt recepti, omnes per legatos Regienses rogaverunt, ut rursus conciliandae Mutinensium pacis auctores esse vellent, qui, magnae auctoritatis viris Mutinam missis, nullo officio defuerunt. Sed dum ob gravissimas ultro, citroque illatas injurias nimis exulcerati illorum civium animi essent, obstinatique Boschetti resisterent, nihil effici potuit. Quare earum urbium communi consensu statutum est, ne quis eis auxilium ferret; ob id illi gravi injuria se a sociis

affectos arbitrati, plaustra cum bobus quibus magna salis copia Cervia Parmam vehebatur, per suum agrum transeuntia retinuerunt: id non modo aequo animo Parmenses tulere, sed bubulcis etiam qui jumenta se cum curribus injuria amisisse deplorabant, octingentas ejus monetae libras pauperum rationibus prospiciendo liberaliter persolverunt. Demum cum nullis vicinorum precibus Mutinensium odia extingui possent, ipsi Obicium II Atestinum Ferrariae Marchionem centenis tricenis quinque traditis castellis sequente anno sibi Principem constituerunt. Regii vero sacri ordinis viri, qui jam profanis, vetere odio deposito, conciliati fuerant, suo aere viam Regio Parmam injecta glarea magno viatorum commodo straverunt; quod opus ea diligentia extructum fuit, ut hodie quoque etiam diutinis pluviis madefacta minus lutulenta permaneat. Mox Danesio de plebe homine in publico puteo necato, cum nemo eam aquam gustare auderet, iidem sacri viri alium in inferiore fori parte puteum, qui etiamnum extat, marmoreis lapidibus, et columnis quibus hydriae sustinentur exornatum, effoderunt. Eo tempore ex nostris civibus Guido a Baisio Bononiae Archidiaconus jus Pontificium interpraetabatur et Patavii Fanto deinde Guido Roberti cognomento Tripolitani, ubi etiam jura condiderunt, Praetores magna cum laude jus dixerunt.

Mortuo interim Honorio IV postridie idus martii cum frustra de Mutinensium pace agitatum fuisset, velut contagiosa morbi labes proximos invasit: siquidem Regii non minores tumultus exorti totam civitatem maxime labefactarunt. Scarabellus enim Canussiis facinorosi exulis opera *Guidonem a Bianello et Bonifacium* duos fratres Canussios ob occultam causam sibi inimicos interemit. Quamobrem cives ad arma vocati, dum suos quisque

tuetur, magnam turbam excitarunt. Parmenses, qui Guidonem Luvisinum Regiensem suae urbis Praefectum toto eo anno habuerunt, ob componendam pacem frustra laborarunt; exules quoque ingens facinus ausi magis sollicitam urbem fecerunt. Bonifatius enim Bojardus unus ex proscriptis tertio nonas junii, die quo Pentecostes festa celebrabantur, coactis, *ob graves quas cum Luvisinis exercebat inimicitias Abbatem oppressurus,* his qui Regio et Mutina exulabant, et Bismantuae nobilibus in societatem adscitis, Divi Prosperi extra civitatis pomaeria positum coenobium prodentibus duobus monachis hostiliter ingressus est. Divinis precibus tunc religiosi vacabant, cum armatorum, qui frumenta, et universam supellectilem diripiebant, strepitus auditur. Trepida servitia Gulielmo Lupicino Abbati, captum coenobium expoliati, et plena armis esse omnia nunciant, qui vix uno, aut altero comitante per posticum fugere potuit, quamvis eum jugulatum fuisse falso Corius scribat. Reliqui religiosi quocumque sors ferebat dilabentes, vel in latebris delituerunt, aut fuga sibi consulere. Proditores vero capti, ut meruerant, trucidati fuere; penus, frumenta, supellex, jumenta, vestes, vasaque sacra omnia rapta Mutinam sunt deducta. Patrati facinoris rumore in urbem perlato tumultuans populus arma corripuit; paucos nobiles, qui Caesarianis factionibus plebem opprimebant, tot calamitatum originem esse fremebant: illis sublatis finem omnibus malis futurum. Haec vociferati ad forum, ubi Praefectus Praetorque residebant, turmatim contendunt. Ibi in praesidio quadraginta, qui reipublicae stipendio merebant, milites excubabant, qui portis, quibus tunc temporis omnis aditus impediri poterat, occlusis, nullum eo nobilem ingredi permiserunt. Bononienses hoc tumultu

audito in auxilium Regiensium venire maturarunt, sed ubi ad Mutinae moenia pervenerunt, ejus cives sub portis cum illis cruento praelio dimicarunt. Parmenses et ipsi nobis opem laturi usque ad villam, quae Casa Dei dicitur, copias duxerunt, sed ut proscriptos discessisse audierunt, re infecta domum sunt reversi. Plebe deinde in nobiles saeviente Bernardinus Folleanus Carpineti ecclesiae Praefectus, quem Praepositum vocabant, precibus, lacrimisque populum obtestatur, ne satis vexatam rempublicam amplius affligerent, optimos quosque operam daturos, ne quod malum in reipublicae detrimentum sequeretur: itaque furentium animis placatis aliquantisper turba quievit. *Monachos proditores Abbas in gratiam benigne restitutos templum Pratifontis habitare jussit; sed hi postea in via a Luvisinis inventi trucidati fuere. Contra Bojardi, ut sanguine sanguinem vindicarent, Joannem Mutum Abbatis cognatum, dum Pistorium iturus prope Maceratam Gabellum transit, immaniter jugularunt. Demum Luvisini, et Muti Bojardis, Ruggeriis, et Flordebellis bonorum virorum opera conciliati fuere.* Sed non multo post nova insania, dum quisque dominari ambitiosius cupit, aliae civium nostrorum exortae sunt factiones. Folleani enim Guelphorum principes populi potentia elati, dum alios cives feroci ingenio superbe contemnunt, a Bernardino agnato reprehensi, spreto consilio, propinquum ignominia afficiunt; ille clientibus stipatus, ut acceptam injuriam ulcisceretur, internecino odio civitatem divisit, ac demum ad Gibellinos se contulit. Incolebant tum Folleani altiorem urbis partem, quae est supra viam regiam, ubi collecta vicinorum manu, cum adversus alios inferiorem regionem habitantes armarentur, evenit, ut haec pars Inferior, illa Superior vocaretur. Superiorum princi-

pes erant Ugolinus, Nicolaus, Matthaeus et Bartolinus, fratres Folleani, qnos Ugo Rngerius, Dadalli, et alii sequebantur: Inferiorum vero primus erat cum Francisco fratre Bernardinus Folleanus Carpineti ecclesiae Praepositus, Rolandinus et ipse Canussio Praepositus, qui superioribus annis continuo biennio Patavii Praetor jus dixerat (1), Simon et Gulielmus Pancerii cnm his erant Canussii et Malatachii. Forte pugna asperiore commissa a Superioribus Inferiores fusi fuere. Victores ut libere dominari possent, re etiam cum civitatis Praesidibns, ut ferebatur, clam communicata, de ejiciendis adversariis consilium inierunt. Ante omnia vero collecta magna asseclarum manu intra paucos dies Carpinetum, Gypsi Castrum, Pavullum et Montem Altnm, quibus nullum praesidium impositum erat, facile occupant. Postridie Regium contendentes suae factionis cives ad arma vocant, et Canussios ejiciunt. Praefectus et Praetor facinoris conscii, velut tragoediae spectatores sedebant, qui cum primum magistratu se abdicarnnt adversus reipublicae decreta Matthaeus Folleanns, et Ugo Rogerius urbis rectores creati aerarinm civitatis avarissime diripuerunt; omnia deinde pro libidine agentes hostium velut perduellionum aedes solo aequarunt; quarum cementis et tignis Matthaeus Folleanus nobilem domum ad macellum invidioso titulo Altabellam nominatam fabricavit, vir corruptis moribus, sed ingenio clarus, qui Florentiam Praetor accitus popularem tumultum ob homicidam, quem capite damnaverat, subortnm singulari prudentia compescuit (2). Ab alia parte Inferiores Canussinis sibi adjunctis, et ipsi

(1) An. 1268 et 1269.
(2) Jo. Villanus.

Bismantuam, Castellum novum, Felinam, Sarzanam, Canussium, Paternum, Motiatellam, Montemcaulum, atque alia in castella se receperunt. Bernardinus vero Folleanus, Ubaldinusque Canussius Timbergae, cujus loco postea Sancti Valentini Castrum est conditum, Bernardo a Gypso Malapresio tradente, se munierunt. Id ubi adversarii intellexerunt, ex duabus civitatis tribubus delectu habito centumque Mutinensium militum atque aliorum publico aere, quod expilaverant, conductorum auxilio hostes obsederunt. Hoc nuncio ad socios allato, qui Mutiatellae se tuebantur, ut hostes a Timbergae obsidione revocarent, vallum quoddam ad Rostam vi ceperunt, et Portae Brennonis suburbia incenderunt. Sed illis in Timbergae obsidione obstinate perdurantibus, Bernardinus Folleanus Albertum Scaligerum, et Pinamontem Bonacossium, illum Veronae, hunc Mantuae Principem ad opem sibi maturе ferendam vocavit, qui ingenti coacto exercitu cum Sessiis proscriptis Verona egressi Sancti Stephani castellum arcta obsidione cinxerunt. Hanc sociorum calamitatem miserati Bononienses viginti civitatis suae proceres ad componendos cives Regium miserunt; Parmenses quoque per viginti legatos et quatuor antianos pro ineunda pace solliciti intercesserunt. Cives hortati, ut veterum simultati obliti patriam servare velint, ne nominis christiani immemores dissidia alerent, divinamve ultionem in se in dies provocarent; ne legatio sperni videretur, pax composita aut simulata, nec non multo post a Folleanis qui iniquam a Bononiensibus latam sententiam dicebant, fracta fuit. Albertus enim jam omnia amica arbitratus cum nihil hostile metueret, castra negligentius custodiebat. At Superiores nulla legatorum, pacisve ratione habita ex tempore Divo Stephano erumpunt, inopinantesque hostes

adoriuntur; illi, ut in subito tumultu licuit, arma repente corripuerunt, praesentique animo venientium impetum adeo viriliter sustinuerunt, ut paucis vulneratis, nullum ex suis amiserint. Ob hanc perfidiam jam omni pacis spe abrupta legati re infecta Bononiam reversi, Rolandinum Canussium, et Bartholomeum Pancerium secum adduxerunt. Albertus vero Scaliger, ubi se delusum videt, ira ardens ad expugnandum sancti Stephani castellum totum se convertit. Ariete muris prius dirutis vi militem ingredi jubet: stabant pro moenium ruinis armis instructi Superiores, qui omni missilium genere, sulphureoque igne Scaligeros removebant; sed hostium multitudine superati tandem cessere. Albertus victoria potitus, injectis flammis, captum castrum incendio consumpsit. Contra Dadalli ineunte mense decembris collecta in urbe militum manu ad occupandam Felinam profecti sunt. Verum cum locum situ munitum a se capi posse desperarent, quamplurium domos incenderunt. Quo audito hostes et ipsi non pauca ad Gypsum, ubi adversae factionis cives degebant, praedia igne ferroque crudeliter devastarunt. Inter haec Bernardinus Folleanus a gentilibus Timbergae obsessus intempesta nocte clam hostibus ad socios se contulit, Baisiumque Archiflaminis auxilio per proditionem cepit. Ugolinus Folleanus ubi obsessum castellum desertum esse sentit, milites moenia scandere jubet, et cum in quos saeviret hostes deessent, dirutis omnibus aedificiis, in muros rabiem explevit, ac statim ad Baisium quo Bernardinus se receperat expugnandum contendit: sed cum hominum multitudine hostes praestare, ac castra munitiora esse intellexisset, proxime ad locum accedere non ausus, ad Montem Caulum, in quo alii ex hostibus se continebant cum duabus urbis tribubus, et centum Mutinensium equitibus

occupandum se convertit. Bernardinus de adversariorum consilio certior factus eos cum expeditis sociorum quatuor cohortibus ex tempore adoritur. Illi commodum locandis castris forte situm quaerebant, in parandisque stationibus seguiter tempus couterebant. Alii lignatum frumentatumque profecti, reliqui vel curandis corporibus, vel jumentis animum intendebant, cum ex tempore ab hostibus iuvasi cedere compelluntur. Relictis omnibus impedimeutis, primo ad Montem Visignolum palantes fugerunt, postea ob acceptam cladem attriti, nulla memorabili re gesta, Regium rediere. Sessii vero et Canussii Alberti Scaligeri, et Pinamontis Bonacossii Mantuae principis copiis adjuti suburbia, quae ad superiorem urbis partem aedificata erant, incenderunt, ac sancti Stephani ab Alberto dirutum castrum restaurarunt. In tanta calamitate facinorosorum factionibus urbe mauente, rursus tot malorum miserti socii cum Parmensibus Bonouienses Regium legatos de restituendis in urbem Inferioribus acturos miserunt, qui praesens fnturumque ex civium dissidio detrimentum proponentes tandem tertio calendas octobris, die quo Michaeli Arcangelo festa celebrantur, Inferioribus ea conditione reditum in urbem impetrarunt, ut Matthaeus Corrigius pro Praetore, et Pontionus Cremouensis pro Capitaneo reciperetur. Se ue fide rupta novns tumnltus suscitaretur, donec cives pacarentur, sancti Stephani Porta Parmensibus, altera vero sancti Petri Bouoniensibus custodieuda est commissa. Praetori et Praefecto Parmensi, qui in urbem acciti fuerant, libera iu seditiosos animadvertendi potestas attributa fuit. Itaque pace inita pridie calendas novembris Inferiores in urbem sunt reversi. Soli relinquebantur Sessii, quorum uomen, odio altius insidente, inter cives siue offeusa audiri uou poterat. Invidiam et ipsi

auxerant, Veronensium, Mantnanorumque auxilio civium praedia incendentes; sed et hi tandem patriae his legibus sunt conciliati, ut bonis receptis proximo sex annorum spatio Bononiae se continerent, et postea in patriam redire possent: qui vero in divi Stephani castello se munierant, ut paci consentirent, non nisi sero induci potuerunt.

Sociorum opera pacata civitate, etsi intestino odio adhuc plurium animi fervérent, praesidium tamen veriti ab injúria aliquamdiu abstinuerunt. Sed non multo post [1] a factiosis nobilibus quorundam aedibus incensis, maximus in urbe tumultus est excitatns. Erat tunc Praetor Regii Torellus a Torellis genere Bononiensis, Praefectus vero Andreas Maranus Parmensis a civibus suis missus, qui primo in magno discrimine constituti de civium salute desperabant. Demnm armis populi adinti nobiliornm vires contuderunt. Cum enim illi a plebeis velut seditionum auctores ad supplicium efflagitarentur, omnes capti, *et Parmam ducti,* in palatio sub Praefecti custodia detenti fuere. Tum Parmam ad validius praesidium evocandum legati missi magnam militum manum adduxerunt. Alebant tunc temporis suo aere Parmenses duoentos milites, qui cnm Parmae Praetore et centnm catafractis Regium venerunt, sed custodiae vi illata cum nobilium potentiae non facile resisti posse videretur, Parmensis populus quinto idus augusti ad sedandas turbas a Praetore in urbem nostram ductus in suam fidem cives recepit, nobilium etiam omnium castellis acceptis praesidium imposuit. Plebei implacabili in nobiles odio accensi postridie Altabellam domum Folleanorum, et alias utrius-

(1) Die VIII augusti MCCLXXXIX.

que partis seditiosorum aedes incenderunt. Ob eam caussam nonnulli Parmae per quindecim dies in carceribus fuerunt. Bononienses quoque ad sedandas turbas et ipsi alias militum copias miserunt, quae facinorosis in diversas regiones relegatis, quamplura Regiensium castella in suam potestatem redegerunt. Cum vero Herberia, Borzanum, Castrum Arianorum, et Regiolum, quae Pontificiorum nomine Guido Robertus Tripolitanus retinebat, non restituerentur, Parmensium Praetor, qui summum in Regienses imperium habebat, contumacium aedes incendit. Tandem Parmensium, et Bononiensium procerum, et praecipue Pontionis Cremonensis, qui Regii Praefectum agebat, intercessione, omnes Pontificii Regienses, Mantuanis, et Veronensibus, et Canussii Gibellinis sunt conciliati, confectisque rite tabulis et facinorum reis ex carceribus dimissis, pax quamquam non diuturna secuta fuit. Bernardus enim Malapresius, quod Gypsum castellum sibi a Parmensibus non restitueretur, quasi gravem injuriam accepisset, nonnullas Regiensium villas hostiliter est depraedatus. Guido quoque Tripolitanus Regiolum clam Parmensibus eripuit, et turris custodes, qui deditionem recusabant, illato igne, combussit. Nec minus in urbe tumultuatum est, pridie enim idus decembris pars Inferior, hi erant Canussii et Carpineti Praepositus, Caesarianae factioni conjuncta fatali quodam furore Superiores cruento commisso praelio sub mediam noctem ejiecit, et civitatem crudeliter diripuit. Folleani, Roberti Manfredis conjuncti, et alii Pontificii nominis viri, qui ejecti fuerant, Herberiam, S. Martinum, et Regiolum ingressi ingentem et ipsi praedam egerunt. Mox reversi primo Petrum Carbonem inter Caesarianos insignem interficiunt: mox sub postremam diei horam per urbem minas et caedes spi-

rantes discurrunt. Qui ex diversa factione erant, et ipsi arreptis armis in forum properarunt, ubi vessana ira odioqne incensi atrox praelium commiserunt. Non nisi gemitus, clamor, armorumque strepitus audiri, plurimi caedi, nec pauciores vulnerari, universaeque fori partes crnore irrigari. Superiores ubi noctem instare animadvertunt in Episcopi et Praetoris palatium se recipinnt. Ibi crudescente pugna se flammis aedes consumpturos Inferiores nominis hostes truci vultu comminantur. Maxima impensa ea aedificia extructa fuerant, et impium utrique parti videbatur tot mensium opus, et tanta pecunia elaboratum una hora dirui. Quare multi se invicem rogare ut gladiis rem agentes, nobilibus tectis ignoscerent. Insana tamen rabie nonnulli de plebe opifices, ut egregium aliquod perpetrasse viderentur, injecto igne, totnm palatium usque ad D. Michaelis templum incenderunt. Taurellus Praetor qnod cum Superioribus conspirasse visus esset, et ipse cum familia et apparitoribus urbe ejectns per Pontis Levonii portam egressus est; cum eo Folleani, Roberti, Manfredi, et caeteri Superiores sub mediam noctem expulsi Herberiani, Castrum Arianorum et Regiolum se contulere. Mox castro Plebis de Prato capto, Joannem et Thomasinum Robertos, qui Alexandro S. Martini Domino agnato infensissimi hostes erant, cum praesidio praefecernnt. Bernardinus vero Folleanus Carpineti ecclesiae Praepositus cum Canussiis Regii principatu potitus urbe direpta Sessios socios patriae restituit, *qui illis fidem jurarunt.*

Tot tumultibus afflicta civitate cum nullus ob nobilium seditionem caedium finis futurus videretur, ut si qua ratione fieri posset huic morbo mederentur in Palatium moesti cives conveniunt. Ibi de reprimenda factiosorum

libidine variae sententiae dicebantur, timebaturque ne qui ex Guelpho nomine expulsi fuerant rursus urbem invaderent. Tandem Franciscus Folleanus Bernardini Praepositi frater, Caesarianis impellentibus, ita verba fecisse dicitur: Nescio an fato, an nostris erroribus evenerit, optimi Cives, ut qui reipublicae nostrae splendori esse debuissent patriam civium sanguine effuso foedissime deturpent: in eamque denique nos calamitatem conjiciant, ut nullam divini nominis pietatem, nullam liberae civitatis formam, non gentium jura, non hominum rationem retineamus. Latronum specus, ferarum antrum, et saevissimarum furiarum sedes urbs nostra efficitur. Vocem dolor includit, et spiritum lacrimae impediunt, cum miserandam nostram servitutem intueor; qui truculentis feris subjecti, et indomito quorundam furori expositi, injurias, vulnera, caedes pati cogimur; non tuti in patria cives, non apud domesticos lares, non in sacris aedibus esse possunt: a vicinis amicis, a cognatis offendimur; nostro sanguine aspersas aedes conspeximus; cruore madentes publicas vias offendimus; cadaveribus caesorum refertum vidimus forum; diruta, incensaque sunt aedificia, et tota civitas turpiter est deformata: usta fumant atria, incendio antistitis sacri eversum est palatium, parentes a liberis, et liberi a parentibus lugentur, maritos viduae deplorant, de conjunctorum acerbissimis funeribus propinqui queruntur, non nisi dolor, gemitus, afflictorum ploratus auditur, et quod omnium pessimum est oppressa libertate crudelissimis tirannis servire compellimur: si finem aliquem mala promitterent, publicus luctus utcumque ferendus esset; sed nullus tantae calamitatis exitus invenitur; cum dominandi libidine saevienti, modo hujus, modo illius furori exponimur. Si hanc in urbem pestem

grassari sinimus, quid aliud superest, quam ut patrio solo amicis, cognatis, penatibusque relictis, exules peregrinemur? Innocentissimos immanibus feris devorandos relinquamus? Non poterat Praetor huic vastae tempestati resistere, urbis Praefectum creavimus. Hoc quoque neglecto magistratu, rapinis, caedibus, incendiis, aerarii denique direptione non abstinent. Fortius nobis si videtur parandum est fraenum, quo indomitam furentium rabiem compescamus. Notam vobis Obicii Atestini virtutem et prudentiam esse existimo, qui tumultuantis Mutinae moderator accitus, tanta sapientia et aequitate seditiones compescuit, ut maximam illius civibus tranquillitatem vel potius salutem attulerit. Huic ergo urbis nostrae cum summa potestate curam committendam esse censeo, ut praetor simul et praefectus cuncta pro suo arbitrio possit disponere. Solam hanc morbis nostris invenio medicinam, qua neglecta, nobis brevi cadendum et rempublicam radicitus eversam iri non dubito. His dictis variae in curia dictae sententiae fuere. Tandem Caesarianis ita efflagitantibus Obicium Actii patrem summa cnm potestate, et sine provocatione Praefectum creatum vocari placuit, cnjus rei cum Inferioris nominis civibus in primis Bernardinum Praepositum Folleanum, Sessiosque in hostium invidiam auctores fuisse constat. Ineunte igitur an. MCCXC idibus quintilis legati ad eum missi rogant ut seditiosorum fraenaturus libidinem per triennium arbitrio suo urbem nostram regat. Gratiis actis Obicius, quod hanc de se respublica opinionem optimamque spem habuisset, in annum tantum praefecturam se accepturum promittit. Is ex Raynaldo natus antea Gulielmus vocabatur, quem Actius V cum prolis spe careret, haeredem facturus adoptatum ab avito nomine Obicium nominavit. A plu-

ribus autem is Obicius vocatus creditur, qui a Latinis Opiter dictus vivente adhuc avo patrem amisit. Gerardo igitur Gnaciono Cremonensi, qui in primos sex ejus anni menses praetor electus fuerat, magistratu exauctorato civitas ducentas Regienses libras (id semestre Praetorum honorarium erat) pro ut jure tenebatur liberaliter persolvit (1). Obicius vero cum Actio filio decimo octavo calendas februarii maximo peditum, equitumque numero urbem ingressus Rullum vel, ut alii malunt, Bernardinum Roscinm Florentinum legatum seu, ut nunc vocant, vicarium creavit. Deinde Robertos, Folleanosque, et alios Superiores Inferioribus conciliatos domum revocavit; Herberiamque, Regiolum, Albineam, aliaque munitiora urbis oppida in suam potestatem redegit. His tutus praesidiis cuncta nutu suo administrans saluberrimo tollendarum seditionum remedio jam se non ut magistratum, sed civitatis principem gerere cogitavit. Ferrariam enim profectus, Bernardino legato in urbe relicto, inhibendi tumultus praetextu, utriusque factionis principes secum abduxit: alios quos nova molituros videbat, aut interfecit, aut bonis denudatos proscripsit. Guidonem vero Tripolitanum, Matthaeum, Bartolinum, et Nicolaum fratres Folleanos, quos in officio aliter continere non poterat, et alioqui suspectos habebat, Mutinae carceribus inclusit. Itaque antequam sex mensium spatium praeteriret, palam se urbis dominum declaravit (2); nostraque respublica quae centenis vicenis quinque annis steterat, cum centum et triginta castellis, Robertis et Folleanis Guelphorum principibus in exilium actis, in Atestinorum potestatem redacta fuit.

(1) Bart. in l. absent. §. de den.

(2) Blond. l. IX, dec. 2.

Nobiles temeritatem suam sero agnoscentes, se aurea libertate, qua diu frui licuisset, privatos fuisse frustra dolebant; plebs vero, potentiorum superbia offensa, pacatam fuisse civitatem gratulabatur. Paulo ante cum etiam Veronenses summa cum potestate Scaligeros, Patavini Carrarienses, et Mantuani Passerinos rebus publicis praefecissent, urbium suarum et ipsi libertatem amiserant. Hos summos magistratus, quos Romani dictatores appellabant, ipsi materna lingua cum bayllia Capitaneos vocabant [1]; quod nomen in aliquibus urbibus etiam hodie retinetur. At Bernardinus Roscius pro Atestino Regii Praefectus ad instaurandam urbem convertitur. In primis incensum Praetoris palatium aliasque aedes, et Divi Petri portae dirutam turrim in qua tres campanas suspendit, magna celeritate restituit. Munitissimam praeterea arcem ubi in praesidio milites haberet, quod amissae libertatis certissimum praebuit argumentum, magno studio aedificavit. Eo modo Regiensium rerum Obicius Atestinus potitus, Gulielmo a Bobio nostrae urbis episcopo declarato, cives Alberto Scaligero, *cujus filiam Constantiam uxorem duxerat,* et Pinamonti Bonacossio, aliisque hostibus conciliavit. Quare vetustis dissidiis sublatis, saluberrimum urbi fuit a Principe potius regi, quam in perniciosa libertate vexari, etsi plerique quod dulce reipublicae nomen videretur temere impositam servitutem vehementer querebantur. Sed Obicius non diu supervixit, qui anno aetatis suae quadragesimo sexto, post annum decimum quintum, quam Ferrariae imperare coeperat, nono calendas martias anno MCCXCII decessit. Post eum Actius VI ex Jacoba Flisca Adriani V Pontificis Maximi nepte

---

(1) Blond. ub. sup.

susceptus filius principatum obtinuit. Dicitur moriens Obicius mandavisse ut Ferraria Actio, Mutina Aldobrandino, et Regium Raynaldo tertio filio cederet, sed Actio omnia occupante testamentum irritum fuit. Herberiam enim, Regiolum, et Albineam munitissima Regiensium castella occupavit, et in urbis nostrae arce Bernardino parentis legato relicto, validissimum praesidium posuit. Quare cum nulla recipiendae libertatis spes amplius superesset, Regienses, quod auferre non poterant, ultro Actio concesserant. Coacto siquidem civium concilio ut necessarium ita etiam opportunum de urbis principatu ei deferendo consilium sumpserunt, summaque in eum potestate collata urbis perpetuum Principem creaverunt. At libertati cives assueti, qui stante republica plurimum poterant, inter quos Tobias Rangonus, et Lanfrancus fuit, contra eum mense augusto conspirarunt. Verum conjuratione detecta, rei in exilium acti, et eorum aedes velut perduellionum funditus eversae fuerunt. Rebus in urbe compositis bellum adversus Carrarienses Patavii tyrannos ob Ateste oppidum ab illis occupatum Actius gesturus ingentem peditum, equitumque delectum Regii habuit. Sed cum duobus mensibus levioribus praeliis contra hostem certatum esset, Aquilejensis Patriarchae opera, pax est secuta. Regii vero Canussiorum et Folleanorum aedes, quae forum circumibant, ad macellum fabricandum, a republica emptae fuerunt (1). Post annum quam haec acta sunt Atestinus aureo militari cingulo donatos Angelum Canussium, et Palmerium Sessium equestri dignitate, quae pro summo honore tunc dabatur, exornavit; Ferra-

(1) Ut in libro magno.

riaequae festo die peracto, omuibus in aula vesci volentibus epulnm exhibuit.

Interea Parmae Sanvitales cum antistite, et Marano divi Joannis Abate patria ejecti Copriacum et Guardasonem occuparunt, et Atestini auxilio cum civibus bellum gesserunt. Actius vero restitueudis Regiensinm rebus animum adjiciens opera militum, qui reipublicae aere merebant, Bazannm castellum, quod seditiosorum factionibus antea eversum fuerat, restituit. Denique aliis castellis nobilibus civibus ademptis, solam Rossenam Guidoni Corrigio reliquit. Matthaeus vero, Bartolinus, Nicolausqne Folleani fratres, et Guido Tripolitanus, qui Mutinae custodiebantur, effractis carceribus fugerunt. Matthaeus magna clientum amicorumque manu coacta Querciolam, quam etiamnum ejus posteri tenent, Piagnam, Rondanariam, Livitiannm, et Sanctum Valentinum, nbi olim Timberga fuerat, occupavit. Rodeii quoque insignes Guelphi nominis propugnatores non paucis et ipsi castris sunt potiti. Guido item Tripolitanus, nomine libertatis recipiendae, Parmae sociornm auxilio exercitu contracto bellum Atestinis inferre coepit. Ab alia parte decimo tertio (1) calendas junias Franciscus et Obicius Ascherii Bartholomaei a Monte Bobio liberi clientorum ope paternnm Montis Bobii castellum iuvaserunt. Manfredus a Saxolo, qui tunc ab Actio urbi praefectus fuerat, facti ira accensus, ubi in ipsos facinoris auctores saevire non potuit, miserum parentem Bartholomaeum in carcerem conjecit: et cum aliam recipiendi amissi loci viam non inveniret, insontem senem militum manu custoditum ad municipium deduxit. Stabant pro moenibus filii armati,

(1) Idest XIX die Maii.

quibus Manfredus, nisi propere se dedant, vinctum parentem statim trucidandum minatur. Gemens infelix pater et natos lacrimantibus oculis respiciens, ab his, quorum vitae causa fuerat, vitam sibi servari expectabat. Crudeles liberi, sive id ab hoste ut oppido potiretur fingi crederent, sive etiam genitoris vitam negligerent, petita facere recusarunt. Manfredus insonti seni ante natorum oculos miserando spectaculo caput amputavit; inde in urbem reversus velut furens viae S. Zenonis aedes, quod ejus curiae homines Atestino nomini inimicos esse dictaret, crudeliter incendio consumpsit. Ita nobilium tumultibus jamdudum vexata civitas, iniqui etiam Praefecti furore vastabatur. Inter hos motus veritus Actius Estensis ne a proscriptorum cognatis, et amicis civitas recenti adhuc libertatis memoria retenta proderetur, Thomam et Grassendium Robertos, *Albertum Flordebellum, Franciscum Ascherium, Philippum a Baysio, Joannem a Mandra, et Todescum Taculum* cum affinibus vinctos Regii custodiae tradidit: ex Folleanorum quoque familia quoscumque comprehendere potuit funibus constrictos vehiculis Ferrariam transmisit. Neo multo post octobri mense Viniolam occupaturus cum Regiensium exercitu ab urbe discessit. Sed cum Bononienses, qui proscriptis Pontificiis favebant, explicatis vexillis adversus se ire audivisset, Scultennam flumen transire non est ausus. Cum vero Bononienses Bazanum occupassent, iratus Actius Guardanavonem parvum municipium, quod per quatriduum proscriptos Regienses recepisset, solo aequavit: ac Regium revertens hostes obviam factos commisso praelio profligavit. In urbe etiam undecim cives quos suspectos habebat securi percussit, aliosque non paucos proscripsit. Post haec Folleani et Roberti Caesarianae factioni conciliati,

atque in Actii gratiam recepti restituuntur. Sed cum indomitos conjunctarum partium animos Actius timeret, minusque tutus adhuc in infima arce se contineret, mense februario aliam ad S. Petri portam profundis fossis cinctam turribusque pluribus munitam arcem, ubi antea etiam fundamenta jacta erant, aedificavit; quae postea a populo, ut infra narrabitur, diruta fuit. In hoc rerum successu Cremonenses a Matthaeo Magno Vicecomite assiduo bello attriti, cum aegre nomen Guelphorum tuerentur, Actium, qui infensissimi hostis impetum retunderet, Principem eligunt. Is prudenti consilio prius Bononiensibus conciliatus postea Joannem Marchionem Montisferrati, Bergomates, Dertonenses, et Vercellenses in belli societatem adscivit. Demum septingentis equitibus, et peditum millibus quatuor collectis Regium ingreditur; inde paucos post dies Cremonam cum valido exercitu profectus, ut Ticinensibus adversus Vicecomites succurreret, suae fidei commissos cives egregie defendit. Matthaeus tantis viribus impar, cum Actio pace inita, ejus sororem Beatricem quamquam sponso novem annis majorem Galleacio primogenito nuptui locavit. Haec antea Nino Pisano Gallurae in Sardinia Principi opibus clarissimo nupta fuerat, quae priore viro defuncto in splendidissimam Vicecomitum familiam traducta, ut nuptias celebraret, Mutinam venit. Eo quoque Galleacius cum splendidissimo comitatu et ducentis nobilibus stipatus, quos versicoloribus vestibus Mediolanenses suo aere exornaverant, quadrigisque nobili tecto divitibus, et pompa insigni XI calendas julii profectus est. Sponsum osculatus Actius et aureo baltheo pro more donatum equestri dignitate honestavit. Mox juvenem comiter apprehensum Beatrici in sublimi regioque solio sedenti obtulit. Gallea-

cius mulierem amplexus, tribus pretiosissimis annulis extractis, et pro matrimonii arrha conjugis digitis insertis, nuptias confirmavit. Actius vero auro gemmisque duplicem coronam ex Beatricis capite sublatam Galleacio decenter imposuit, et Gulielmum Folleanum, *et Scarabellum Canussium* equestri dignitate decoravit. Postridie uxore cognita, cum Joanna ex priore matrimonio snscepta octo annorum puella, sexto calendas julias Mediolanum petituri Regium venerunt. Galleacius ad paranda hospitia currentibus equis antevertens postea ad tertiam diei horam uxori non minus nobili quam splendido comitatu obviam est reversus. Triginta duorum annorum sed statae adhuc formae erat mulier, quae equo nobili stragula instrato sub bombicina umbella devecta, filia cum eadem pompa subsequente, ad soceri palatium perducta fuit. Ibi regio luxu instructa atria, aditusque omnibus per octo dies ad epulandnm est patefactus. Inusitato denique apparatu convivia celebrata incredibilis magnificentiae fama totam Italiam compleverunt. Mille in prima coenatione convivis per tres classes sedentibus singulae vestes bombice, auroque intextae, et aliae coccineae, acuque depictae pro Burrae socrus arbitrio sublatis mensis liberaliter donatae fuere, quas Mediolanensium aere emptas fuisse ferunt. Alias vero suo et filiae nomine Beatrix morionibus, et scurris jocosa dicteria opportune emittentibus est elargita. Pro nuptiali munere argentum, aurum et gemmas, quae ditissimum thesaurum aequabant, sociarum urbium legati optimatesque Mediolanensium obtulerunt. Concurrentium armatorum decursiones, et expugnatorum castellorum miro ordine repraesentata simulacra non sine admiratione spectantes oblectaverunt. Galleacius cum decem millium librarum honorario a

populo Mediolano praefectus, specie magistratus, patriae principatum obtinuit. Tanta eo anno brutorum pestis fuit, ut boves passim defecerint, equisque et asinis terram arare oportuerit.

Quo tempore Gulielmo a Bobio, qui undecim annis in urbe nostra Episcopus sederat, defuncto, Enricus Cremensis anno MCCCII suffectus fuit. At Actius Beatrice Caroli Apuliae regis filia uxore ducta Atriam urbem dotis nomine accepit: sed ad Galliae Cisalpinae principatum aspirare creditus a Scaligero, Bonacossio, et Brixianis, Pellagura Cardinali duce, Ferraria ejectus, et Guastallae cum sponsa nuptias celebrare coactus est; ubi Thaddaeum Manfredum, Bonifacium Canussium, et Thomasinum Pancerium equestri dignitate honestavit. Parmam etiam per Gerardum Chitiolam equitem et Paulum Rufum in se transferre voluisse dictus est, quam Gibertus Corrigius Guidonis filius, Caesarianis exulibus restitutis, invaserat. Sed detecta conjuratione, Corrigius acceptam injuriam ulturus occulta primo contra Actium cum Botigella Bonacossio consilia inivit. Is Pinamonte gentili morbo extincto, ejus successorem Bardellonem Bonacossium hominem ineptum, crudelem, suspiciosum, atque adeo ignavum, arrogantiaque infamem, et ob id publicum odium vocatum, expulerat, Mantuaeque principatum, quod Passerini fratris filius esset, velut agnationis jure ad se devolutum usurpaverat. Hunc ubi in suam sententiam Gibertus traxit, nova affinitate foedus confirmandum esse censuit. Ex tribus itaque sororibus unam Bonacossio, aliam Alberto Scaligero, tertiam Nicolao Folleano, Actii hosti infensissimo, nuptui locavit, et cum ipsis Bononiensibus, Brixianis, et his qui Mutina Regioque exulabant de Actio ex earum urbium principatu ejiciendo convenit.

Primus Botigella Scaligeri auxilio Melaram, Massam, et Ficarolum praetextu restituendi in paternam ditionem Francisci Atestini occupavit. Gibertus vero mense octobri Parmensium militum aliorumque collecta manu Folleanis capiendi Regii negotium dedit, qui ex Parmensibus, et plerique conscriptis magno contracto exercitu a Porta Castelli usque ad Pontem Livonium continuata acie *explicatisque vexillis* moenia adoriuntur. Ab altera parte Corrigius ex campo Nundinarum muros superare conabatur. In urbe audito hostium impetu, cum ad arma conclamatum esset, frequentes cives, qua hostes adventare dicebantur, ad defendenda moenia discurrunt; ac hostes, qui jam murum tenebant, hastis, scorpionibus, fundis, atque omni missilium genere in fossas praecipites agunt. Cadentibus alii integri succedunt, ac propugnatores moenibus deturbare conantur: sed hi murorum pinnis defensi non modo venientes ictus facile vitabant, sed adversarios etiam aegre ascendentes, et clipeis tantum tectos facile confodiebant, ac plerosque in caput dejectos aquis fossarum mergebant. Plurimi sauciati cum nec virium imbecillitate ascendere, nec a subeuntibus impediti descendere possent, scalas deserere, et in praeceps labi cogebantur. Ibi morientium gemitus audiri, ferientium clamor ad coelum tolli, et omnia dissonis vocibus, et armorum strepitu misceri. Tandem hostes frustra ingredi conati vi civium turpiter retrocedere compelluntur. Hac clade accepta Folleani cum aliter hoc dedecus ulcisci non possent, patriae se potius quam Actii hostes declarant, qui sexto idus novembris reversi S. Sthephani usque ad S. Geminianum suburbia crudeliter incenderunt, ac turrim, quae episcopi vocabatur, neminem laedentes captam munierunt. Ab alia parte Bononienses spe Mutinae capiendae

plura loca capta diruerunt: sed non paucis amissis, et ipsi turpiter repulsi fuere. At Bonacossii, et Scaligeri copiae Regiolum usque profectae opposita acie Cremonenses Atestinis auxilium ferre prohibuerunt. Gibertus vero Corrigius cum duobus millibus hominum ad Colornum et Maidam castra posuit, ac donec Regio Atestinos ejecisset inde non discedere decrevit. Interea quindecim diebus in lustrandis suburbiis frustra consumptis, Canulum, Carpum, Budrium, atque alia Regiensium castella occupavit. Contra Actius in Parmenses irrumpens, multa incendio vastavit. Ei auxilium tulere Roscii, et Lupi *a Giberto Corrigio expulsi,* qui ob Guelphum nomen Parma exulabant, etsi antea Actio infensi, tunc ejus stipendio contra communem hostem militabant, non Regium modo tuebantur, sed patriae etiam bellum inferrebant. Caeterum Folleani novo ineunte anno MCCCVI sub januarii initium cum proscriptis et sociorum *et Giberti Corrigii* copiis triplici acie urbem cinxerunt. Prima ad S. Petri portam resedit, altera ad S. Stephanum, tertia ad S. Marci fossas *ferme quadrigentorum peditum* castra posuit. *Jamque moenia ascenderant, et ad Portam Castelli explicatis vexillis ingrediebantur, cum* populus, venientium strepitu audito, ex tempore duabus portis in hostes magno impetu erupit, qui fessi itinere nec satis ad conserendum praelium instructi plurimis amissis fusi fugatique fuere. Eo tempore tanta vis frigoris fuit ut flumina omnia in Æmilia congelaverint et peditibus per solidam glaciem transeundi tutum iter praebuerint. Verum Actius non diu hac victoria laetatus intra paucos dies urbium quae sibi reliquae fuerant imperium amisit. Sessii enim Regienses ob occupatam patriam ei infensi cum Manfredo a Saxolo, cum Rangonibus, Boschettis, Savignanis, et caeteris Caesarianis

septimo calendas februarii Mutinam invaserunt, plebeque ad arma vocata, excutiendum servitutis jugum esse vociferabantur. Magna pars populi ad libertatis nomen, arreptis armis, eos sequi coepit. Friscus qui pro Actio patre eam urbem tuebatur, ut tumultuantes reprimeret, relicta temere arce cum omnibus copiis in forum venit. Mutinenses ubi desertam arcem esse intelligunt, eo praecipiti cursu contendunt, ac primo impetu defensoribus vacuam facile capiunt: inde valido ibi praesidio imposito ad ejiciendum Friscum convertuntur. Ille ut se arce exclusum populumque cum externis copiis ingenti furore in se irruere animadvertit, saluti consulere coactus urbe excessit. Sequenti die nuncio sub auroram Regium perlato Mutinam pristinae libertati restitutam esse, etiam Sessii literis amicos hortati sunt, ut vicinorum exemplum sequerentur. Nec mora Actius Manfredus cum gentilibus et Roberti opportunam ejiciendi Atestini occasionem nacti confestim populum ad arma vocant, et ad palatium, ubi Praefectus degebat, infestis armis concurrunt. Canussii qui Atestinum in urbem introduxerant, *ac soli ex nobilibus Regii permanserant,* cum magna clientum manu ipsi opem ferre conantur, et Praetori militem praesidiarium instruenti conjunguntur. Cum his armatus populus in foro cruentum praelium commisit. *Canussios cum Atestinis morte dignos clamant.* Nobiles plebem hortari, ut pro patria liberanda fortiter dimicent: ipsis et liberis si succumbant tristem exitum imminere, si virtute utantur, turpi servitute excussa, perpetuam apud omnes Italos sibi gloriam comparaturos: vicinos Mutinenses imitentur, qui, gravi imperantium jugo abiecto, jucundissima nunc libertate fruuntur: denique pristini roboris memores sint, quo tot praeliis hostibus feliciter fusis centum 'vigintiquinque

annis suam rempublicam non modo viriliter defenderunt, sed etiam longius propagato imperio amplificarunt. Contra *Jacobus Presicus Cremonensis* Praetor vesanum perfidae plebis retundendum furorem, optimo principi urbem, dignitatem, et imperium conservandum esse commemorat: praemiis fortibus propositis, monet praelium paulisper sustineant, auxilia, quae ex proximis locis accersita sunt, intra paucas horas affutura, interim arcem non deesse in quam tuto se possint recipere. His verbis omnium animis hinc inde confirmatis in medio foro acriter concurritur, plurimi utrinque vulnerati, vivi cadentibus cadaveribus permixti crudeliorem cladem faciebant; qui enim jacebant plerumque pugnantium amicorum, aut fratrum aliorumve propinquorum pedibus conculcati ante horam misere vitam relinquere cogebantur: sanguine madente solo nonnulli labentes, nullo adhuc accepto vulnere, a supervenientibus oppressi necabantur. Multitudine tandem superans populus Actianos pellit, qui saluti suae consulentes in arcem, quam ad S. Petri portam aedificaverant, *lethaliter vulnerato et Cortesia Casaloldensi Praefecto*, cum Praetore se recipiunt. Primis ingressis dum timetur ne his permixtus populus una sequeretur, propere sublato ponte reliqui exclusi ad unum omnes sunt trucidati. Cives ad oppugnandam arcem conversi, repletis fossis, vi muros superare conantur. Actiani qui, pluribus suorum caesis, pauci numero superfuerant, ubi se viribus impares esse animadvertunt, deserta statione, per portam, quae in urbis moenibus aperta erat, mature fugiunt. Ita arce in populi potestatem redacta, libertas, post sextum et decimum annum quam ab Obicio Atestino oppressa erat, recepta fuit. Unde Blondi error deprehenditur, qui Friscum, Actio naturali patre occiso, urbis nostrae principa-

tum invasisse falso scribit [1]. Nuncio rei prospere gestae ad proscriptos Caesarianos allato post meridiem sexto calendas februarii, quo die Chrysostomi memoria celebratur, Sessii, et Ugolinus, Matthaeus, Bartolinus Nicolausque Folleani fratres cum Robertis, et Manfredis, Gibertoque Corrigio cum Parmensium copiis subsequente Regium venere. Deinde calendas februarii arcem, quam civium compedes esse cernebant, funditus everterunt. At Corrigius cum diutius in urbe moraretur occupandae libertatis civibus suspicionem injecit. Demum ubi populum contra se arma sumpsisse sensit, foro ac reipublicae aedibus in primis occupatis non paucos trucidavit. Sedato tandem tumultu discedens urbem ab omni metu liberam dimisit. Canussii Atestinorum fautores in patria manere non ausi in sua se castella receperunt. Turris vero quae Episcopi dicitur, cum villa Budrii, aliaque quae Regiensibus adempta fuerunt loca, humaniter restituta fuere. Caeterum Bonacossius Scaligeri auxilio Regiolum vi cepit, ac praesidio imposito magno cum Regiensium dolore, qui se dextrum oculum amisisse querebantur, munitum retinuit.

(1) Blond. lib. x, dec. 2.

LIBER QUARTUS

Populus pristinae libertati restitutus ante omnia ad quaerendum reipublicae vexillum animum intendit. Id a Panceriis tunc in urbe potentibus, qui Atestinorum studiosi habebantur, supprimi invidiose dicebatur. Ad eorum itaque aedes facto impetu parum abfuit, quin eorum domibus vis inferretur; sed cum illi constanter negarent ullum apud se patriae (cujus libertati favebant) signum extare, fide verbis habita, omnis tumultus cessavit. Comitiaque statim populi habita, et quod die sexto calendas februarii, quo Joannis Chrysostomi festa celebrantur, recepta libertas fuisset, referentibus Folleanis statutum fuit, ut is urbis apud Redemptorem nostrum tutelaris divus, patronusque eligeretur, ac in ejus honorem sacerdotium a republica conferendum, quod juspatronatus vocant, sub ejus nomine erectum fuit. Hoc decretum hodie quoque in tabulario nostro visitur. Giberto vero Corrigio, qui Regiensium libertati impense faverat, ad referendam gratiam, Matthaeo ejus fratre in sex menses Praetore creato, Divi Ambrosii oppidum liberaliter dono datum fuit. Id ipse postea de sua familia quod nomen hodie quoque retinet, Corrigium appellavit. Tanta conspirantium indignatio fuit, ut etiam Atestini nominis memoriam conservare prohibuerint. Severae constitutionis Nicolaus

Folleanus Giberti affinis auctor fuisse creditur. *Canussiorum etiam aedes solo aequare volebant, sed id Matthaeus Corrigius prohibuit, qui in muros saeviendum non esse dicebat.* Rebus ita compositis Regienses Bononiam mense februario comitiis indictis, cum ejus urbis civibus, ac Mutinensibus, Brixianisqne et Parmensibus de Atestino etiam Ferraria, quam paulo ante recuperaverat, expellendo foedus inierunt. Gulielmus vero Canussius, et socii de eo restituendo anxii non modicam militum manum contraxerant. Inter alios Albertinus occupando D. Prosperi coenobio intentus, non contemnendum patriae bellum inferre cogitabat: *sed ejus conatus prudenter elusit Albertus Levalossius loci Abbas Sacacini annalium regiensium antiqui scriptoris filius, vir praeclarus, qui nuper ambulacrum, quod a cubiculorum ordinibus utrinque dispositis dormitorium vulgo vocant, et nobile monachorum comitium cum novo Abbatum palatio, Divi Appolinaris sacellum, pluraque alia in coenobio condiderat. Ronchi possessiones, quas annis sexagenis Albertinus Canussius occupaverat, libris Bononiesibus* MDCCCC *redemit, et alias a Scarabello Canussio sub Castro Gualtiroli recepit. Quod Folleanos infestissimos hostes haberet, exiens plures armatos secum ducere consuevit: praeter levis armaturae equites, duodecim cataphractos ad coenobii tutelam, et quatuordecim monacos alebat; modios frumenti nongentos, aliasque innumerabiles fruges, et incredibilem vini copiam colligebat: panes trium modiorum frumenti singulis hebdomadis pauperibus elargiebatur, ac semper in coenobio* LXXX *viros alebat. Sed ob Folleanos, quos ejicere cogitabat, recedere coactus nocte Bononiam fugit, ubi ab Hostiensi Cardinali Pontificis Legato Coronae celeberrimae Greciae civitatis Episcopus creatus, post*

sex menses ibi decessit. Quo tempore Guido Robertus Mediolani praetura fungebatur. At Gulielmus ubi sua spe se frustratum vidit, Guidone Manfredo Actii filio, et Giffredo filio fratribus patruelibus occisis, Muciatellam castellum Actii nomine occupavit: quo nuncio Parmam allato ejus urbis cives eo missa stipendiaria manu, Giberti Corrigii verbis sibi castrum restitui petierunt. Sed valido praesidio ad locum defendendum deducto, Parmenses re infecta domum redire coacti sunt. Thaddaeus etiam Manfredus Actii filius, qui proximo octobri praetori Parmae Brixiam discedenti suffectus, deinde ejus urbis praefectus creatus fuerat, a dubio bello Parmenses avertisse dictus est. Mutinae vero Bartholinus Folleanus Pretoris et Praefecti officio fungebatur.

His actis Canussii cum Ugolino Roscio, et Lupo Seragno, qui Parma exulabant, aliisque suarum partium proscriptis adjunctis etiam Gypsum munierunt; deinde apud Vectianum, quod alio nomine Crustumii Castellum dicebatur, quorundam Regiensium copiis acceptis, postridie apud Bortianum non paucis captis plurium aedes incendio consumpserunt. Paludini quoque Crevariae et ipsi adversus cives Atestino impellente novas munitiones erexerunt. Tanto factiosorum apparatu perterriti Regienses contra communem hostem Botigellae Bonacossio, Scaligeroque, et Giberto Corrigio percusso foedere se conjunxerunt. Is ad rebellantia oppida recipienda profectus, multis amissis, rejectus est: quare pluribus villis incensis moestus domum rediit. Verum non multo post Paludinis in amicitiam receptis, Regienses cum Giberto Corrigio totum Gypsi agrum devastarunt. Alia vero Canussiorum castella capere non ausi, quod supererat, Paderni et Felinae villas igne, ferroque consumpserunt. Inter hos tumultus a Pla-

centinis sociis Regienses vocantur, ut ad expugnandum Roncarolum ab eorum exulibus captum subsidium ferent. Eo missus Saxolns a Saxolo Regii Praefectus cum cataphractis quinquaginta, quorum singuli ternos equos ducebant, Parmensibus se conjunxit, quorum dux erat Gulielmus Folleanns Francisci filius, qui usque ad augustum mensem Parmae Praefectus, quod idoneus Praetor facile non inveniretur, etiam in reliqnum anni praeturam egit. Sed ob intensos calores pugnam militibus detrectantibus, nulla re acta, domnm rediere. Ab alia parte Mantuani Montersorio incenso Vitelianam invaserunt, Casale majus et Luzariam, aliosque plures vicos devastarunt. Gibertus vero Corrigius Gnastallam a Parmensibus obtinuit. Eo anno et Gerardinns Robertus centesimus quinquagesimus sextus Mediolani Praetor fnit (1). Regii in ultimo semestre Othobonus a Civitate Castelli Praetor, et Guido Polenta Ravennas Praefectus fuit. Inter haec Onardus Pelagnra Pontificis Legatus nullam opprimendi Atestini occasionem praetermittens, plures cruce signatos contra eum coegit; quibus calamitatibns consternatus Actius Ateste antiquum suae ditionis oppidum delatus anno MCCCVIII septimo calendas februarias vitam finivit: ut mirum sit Blondum (2), Platinam (3), Sabellicum (4) et alios unius errore deceptos eum a Frisco in carcerem conjectum, deinde necatnm asseruisse.

Sub id tempus ingens Parmae ortus tumultus non mediocriter Regienses perturbavit. Mense enim martio

---

(1) Ex chronicis Mediolani.
(2) Lib. IX, dec. 2.
(3) In Clement. V.
(4) Lib. VII, aen. 9.

Rolaudus Roscius et Lupii Guelphae factionis exules, Cavalcabove Jacobi filio Viteliauae et Cremonae Marchione cum trecentis Cremonensibus sibi auxilinm ferente, intempesta uocte urbem ingressi populum ad libertatem vocaveruut. Gibertus Corrigius ad venientium rumorem excitus cum Todesco Taculo Regiensi, tum Parmae Praefecto, liberisque et Praetoriauis, quorum plurimi erant Regienses, fugere coactus Castrum novum se contulit. Ferunt abeuntis Giberti uxorem a Rolando fratre rogatam, ut furentis populi armis evitatis in fraternam domum tuto recederet, respondisse: nunquam, perfide, infames illas aedes attiugam, quae affinem turpiter prodideruut, uec pollutum unquam illum panem comedam, quem vel famelici caues non degustarent, quin viri potius, quem propinquus decepisti, fidei me committam, ut si voluerit meo capite atrox crimen expiare possit. His dictis ut erat nudis pedibus, et sparsis per humeros capillis, ad virum contendisse fertur, ad ejusque genua procumbens magno cum ejulatu petiit ut se occisa fratris facinus vindicaret: sed ille innocenti, et virilis animi mulieri clementer ignovit. Recipiendae vero Parmae inteutus ex Regiensibus, Mutinensibusque, aliisque finitimis populis copias conscripsit. Paludinis praeterea, Folleanis et Manfredis, et Comitibus a Panago, et Francisco Malaspina sibi adjunctis ad eam expugnandam justo cum exercitu contendit. Hostis adventu cognito Rolaudus cum urbis Praefecto, Praetore et quatuor artium Magistris, ac tabulariorum Proconsule in campum exiit, commissoque praelio profligatus fuit. *Alii eum usque ad Castrum novum profectum et hostem ad praelium vocasse ferunt: plurimi Lucenses, Simon Canussius, et liberi Bastardi Canussii, et alii a Gypso cum eo erant, commissoque*

praelio Parmenses profligati fuere. Centum primarii cives et plures alii cum Simone Canussio caesi, Jacobus Roscius Gulielmi filius, et innumeri capti fuere: universa supellex, tentoria jumenta, impedimentaque omnia Parmensium direpta: fugientes usque ad portas secutus Gibertus urbem, Giffredo Turriano Guelphorum principe strenue tuente, obtinere non potuit. Parmae non nisi puerorum, senumque ploratus et mulierum ejulatus audiebantur; nec alios magis quam Mutinenses, quos fratres appellare consueverant, velut perfidos accusabant. Post octo dies quam victoria potitus est Corrigius pacem hostibus pollicitus in urbem recipitur. Primo in servandae fidei speciem Guelphos omnes patriae restituit, sed non multo post undetriginta perduellionis reos cives securi percussit (1). Roscios et Lupios quibus minime fidebat turpiter ejecit, et Ugolinum Manfredum Taddaei filium mense augusto Parmae in biennium praefecit. Nec multo post Bartolinum a Turre cognomento Rondinum Regiensem, Petro Mancasolae, qui ei assederat, defuncto, suffecit. Ugolinus Roscius cum suis sectatoribus Burgum Sancti Donnini se contulit, unde Giberto grave bellum inferre coepit.

Interim Bantiola a Jacobo Senatio ex Guelpha factione homine decimo quinto calendas augusti occupata, Gibertus ex Mutinensibus, Mantuanis, et Regiensibus conflato exercitu castellum recepturus eo contendit. Franciscus Malaspina, et aliqui ex Folleanis, et Manfredis diversae factionis viri suppetias tulerant, quibuscum praelio commisso Corrigius quadrigentos ex suis amisit, ac Parmam

(1) Jo. Villan. lib. VIII, c. 93.

redire coactus, demum Guelphos in gratiam recepit. Sed non minorem cladem pridie calendas decembris multo effuso sanguine nostri cives acceperunt. Siquidem Canetum oppidum, quod per proditionem Lupii ceperant, Regienses expugnare conati sunt. Machinis muro admotis qnassata moenia ab altera parte corruere coeperunt; sed milites per ruinas irrumpere ausos Lupiani praesente animo non modo repulerunt, sed plurimis etiam caesis turpiter fugere compulerunt. Nec multo post reintegrato praelio oppidani, quamquam longo conflictu fatigati, non paucos occiderunt: demum numero superantibus nostris cedere coacti, multo sanguine Regiensium effuso, oppidum dediderunt. Inventus ibi Begora Antonii Lupii filius, ut patriae perduellio cum omnibus sociis in Prato Fontis, more latronis, laqueo est suspensus.

Sequenti anno, quo Ugolinus Sessius Veronae Praetor jus dixit, Templarii, qui Regii amplas aedes, et latam villam etiamnum ab ipsis Templum vocatam habebant, a Clemente V penitus extincti fuere, quod Christum negare Crucifixum, et in Crucem impie spuere dicerentur: sed fictas in eos calumnias plerique constanter asseruernnt. In Parmensi vero S. Donnini oppido a Rosciis occupato Corrigius universis copiis hostes adoriri constituit. His itaque tantum, qui in graviori aetate annis LXX excesserant, aliisque minoribus decem et octo annis domi relictis, Regiensium auxilio ad eam expeditionem obeundam contendit. Turri oppidi occupata, nonnulli occisi, et plures capti fuere. Demum pactis induciis, omnis controversia Matthaeo Folleano, et Gulielmo Canussio Regiensibus decidenda commissa fuit. Illi tantae litis arbitri novo ineunte anno MCCCX priusquam rem definirent, ab utrisque sibi obsides dari petierunt. Cum Gibertus liberos, alii

proximos quosque tradidissent, neque hoc contenti ut placita exequi possent, alter Parmae Praefectnram, alter Praeturam per totum annum sibi dari postulat. His quoque magistratibus cum ducennarum librarum Mediolanensinm salario in singulos menses impetratis, tandem ducentos milites ad corporis cnstodiam conduxerunt, tertioque idus februarii Sanctum Donninum Rosciis adjudicarunt, atque omnes Guelphi nominis exules in patriam restituendos, et utrinque captos dimittendos esse pronunciarunt. Lata sententia, postridie intempesta nocte Gulielmus cnm familia Regium venit, Matthaeo quoque magistratum deponente Praepositus Cartharius et ipse Regiensis, qui Matthaei socius et miles fuerat, postea utrumque magistratum gessit, donec Thomasinus Pancerins Parmae Praefectus creatus fuit. Pendente judicio trecenta ferme tentoria Parmensium, qui velut rebus compositis nullo in castris relicto praesidio domum reversi fuerant, hostiliter direpta fuere. Interea Saxolo Saxolensi, qni Mutina a Chrysulcis expulsus Marzajam contra Mutinenses mnniebat, Regienses publico decreto anxilium tulerunt. Ab ea expeditione ad Salvaterram a Riperio, vel ut alii scribunt, Aurelio Magretano detentam profecti munitissimam turrim vi arietis solo aequarunt, et castellum facile receperunt. Vix domum reversi fuerant cum factionibus seditiosornm ingens excitatus tumnltus fere urbem funditus evertit. Octavo enim calendas junias, orta in suburbiis ob antiquas factiones rixa, Gulielmus Albrico a Sessiis occisus et saxo Cannssius vulneratus fuit. Burgus eorum agnatus fuga elapsus vitam servavit. Eam ob causam Canussii arreptis armis cum Folleanis, Manfredis, et Robertis ad Sessiorum aedes acceptam injuriam ulturi contendunt. Caeteris dilapsis, solum Sessium

sacerdotem Sancti Faustini Archipresbiterum, qui se religione tutum crediderat, injectis collo funibus ceperunt. Sessii Decurionum decreto extra urbem relegati Sancti Faustini templo sub Herberia se munierunt, Albertique Scaligeri, et Passerini Bonacossii accersito auxilio civium agros foede vastaverunt. Sed ne redivivum dissidium in reipublicae perniciem redundaret, Gibertus Corrigius, Passerinus, et Alboinus Veronae tyrannus, velut communes amici arbitri dissidii electi, dimisso Archipresbitero, controversiam composuerunt. Ugolinus vero Sessius Veronae Praeturam adeptus est, alii vero agnati quod paci non fiderent, urbem ingredi non ausi se in Sancti Faustini spaciosis aedibus et excelsis turribus continuerunt. Exinde indomito ferocique ingenio Mantuanos, Mutinenses, et Brixianos spe inveniendae praedae ad novum oppidum conjunctis viribus capiendum invitant. Nec mora illi lucri aviditate impulsi coacto exercitu modico praesidio munitum castellum intra paucos dies ceperunt, et, ut convenerat, direptum Sessiis tradiderunt. Regienses rei novitate commoti cum Bononiensium auxilio ad recipiendum amissum locum sunt profecti, sed instante hyeme, quod diuturnior obsidio futura videretur, re infecta domum rediere. Demum Sessii Henrici V Caesaris adventu, D. Faustini arce deserta, patriae sunt conciliati. Is, ut pro more coronam acciperet, cum ingentibus copiis in Italiam descenderat quibus tantam omnibus urbibus formidinem incussit, quantam multo antea tempore nullus alius Princeps fecerat. Venienti Thebaldus Brusatus, quem Brixiae Principem creaverat, primus urbis portas occlusit, quem postea praelio superatum Caesar in quatuor partes discerpi jussit, et rebellantem civitatem cepit. Hoc exemplo aliae urbes perterritae ei ultro se dederunt. Quo vero die

Epiphaniae solemnia celebrantur sequenti anno Mediolani in Sancti Ambrosii templo argentea corona accepta plurimos equestri dignitate inter quos etiam ex Manfredis non paucos, nostrae urbis episcopo et legatis praesentibus, exornavit. Sed cum totius Italiae principatui inhiaret, universae Galliae Cisalpinae civitatum, quae Mediolanum legatos miserant, conventu habito, de populorum dissensionibus, quibns Italiam misere lacerari dicebat, per magnos verborum circnitus publice conquestus est: nostrarum se calamitatum miseratum, ut intestinis morbis mederetur, cis alpes venisse; ac velut aeqnnm omnium parentem ea diligentia turbas compositurum, ut pacata omnia, summaque in tranquillitate brevi sint futura. Hanc ob causam ad singulas urbes legatum, vulgo Vicarium vocatum, qui gentes in secnra pace et officio contineret se missurum edixit: alium vero universae Longobardiae cum duorum millium armatorum praesidio praefecturum, quibus singulas civitates stipendium conferre volebat. Ad ea Regienses, qui Henrici adventus causa antea cognita, Sessios in gratiam susceperant, suam quietam esse rempublicam responderunt; monumentaque publica quibus dextra data simul pacem Regienses inivisse probabatur, Caesari legenda obtulerunt, jamque Malepresiis, qui Gypsum tenebant, seditiosis hominibus superioribus diebus urbe ejectis, imposterum tranquillam civitatem sine alio rectore futuram pollicentur. At Henricns simulatam eam pacem esse, et futuros tumultus se vereri dictitans Marchionem Spinetum Malaspinam, velut Sessios adversariis conciliaturnm, legatum misit, qui nonis februarii populo obviam eunte Regium ingressus postridie eos introduxit. *Legati et ipsi domum reversi ejus literas attulerunt, quibus pax Augusti jussu inter cives et Ses-*

sios inita esse significabatur, et edicto praeterea cautum est, ne quis eos laedere auderet. Folleani, Roberti, et Canussii Pontificiae factionis principes ubi res legati arbitrio administrari, Caesarianosque in urbe dominari vident, diminutam dignitatem suam esse graviter dolebant. Forte evenit, ut prius Cremonenses deinde Parmenses Caesaris Vicarium expellerent, quod is stipendium Longobardiae Praefecto solvendum durius exigeret; Regienses et ipsi Roberti Siciliae verbis inducti, ut a gravi jugo se liberarent, quinto calendas martias clientibus stipati, prius quosdam Caesarianarum partium homines occiderunt, mox Henrici etiam legatum expulerunt. Sessii Gibellini nominis principes *atque eorum sectatores* omnes capti, eorumque etiam aedes direptae atque incensae fuerunt. Manfredi Gazadios in vincula conjectos Borcianum deduxerunt, quos non multo post, nova per nuptias affinitate contracta, dimiserunt: siquidem Ugolinus Manfredus, qui superioribus annis Parmae Praefectus fuerat, filiam Joanni Gazadio septingentarum librarum Regiensium dote constituta, quae tunc ampla censebatur, uxorem dedit. His indignatus Henricus dira Regiensibus minari nisi ejectus legatus quamprimum recipiatur. Cives ne iratum Caesarem exasperarent, Spinetum post paucos dies revocaverunt, qui modestissimus factus solum Sessiis ex carceribus eductis in nullum seditionis auctorem animadverterit. Henricus vero ingenti undique ex Gallia Cisalpina exercitu coacto, ut in primis Cremonenses, et alios, qui a se desciverant, ulcisceretur, omnes suae factionis nobiles convocavit. Ante alios ei Gibertus Corrigius cum Parmensium cohortibus auxilium tulit, coronamque auream, quae antea Friderico Ænobarbo in urbe Victoria erepta fuerat, donavit. Quo munere Parmae praefecturam,

et oppidum Guastallam, olim Guardastallum dictum, qnod Joannes Griffus ejus familiaris antea occnpaverat, a Caesare promeruit, Regiique Vicarius pro Henrico est constitutus. Interea fama percrebuerat Italiae regnum affectantem Caesarem omnes urbes intra paucos dies invasurum, quod rebellantibus supplicio affectis Cremona, Brixia, Genua esset potitus. Itaque cum Guelphis non pauci Gibellini, qui amplis ditionibus spoliari timebant simul conspirarunt, et ad Pontificis factionem transierunt. In eam conjurationem cum Regiensibus et Bononiensibus etiam Gibertus Corrigius pertractns rem occultam esse arbitrabatur. Verum Henricum officii specie comitatus ubi ad Eridanum pervenisset, clam monitus est, ubi flnmen superasset Caesaris jussu in vincula iri conjectum, ac statim retrocessit. Haec inusitatnm secutum prodigium civium animos amplius perturbavit. Incognitae enim aves in vallibus Padi tanta freqnentia nidificavernnt, ut amplius quingenti nidi, qui denas aves continebant, in qualibet arbore non sine omnium admiratione sint repertae; aliae albae, quaedam nigrae, aliquae virides, nonnullae rubentes cernebantur; quod summum famis prodigium esse vulgo praedicabant. Ingens post haec flagitium non urbem modo nostram graviter perturbavit, sed totam ferme Sessiorum domum evertit. Divi enim Faustini Archipraesbiter Sessins, quem a Folleanis in aedibus captum fuisse supra memoravi, homo in familiae suae perniciem natus, seu ut hac nota veteres hostium injurias ulcisceretur, seu immoderatae libidinis impotentia, virginem ex Folleanis Deo dicatam ad stuprum pellexit, qua potitus, et sua, et miserae quam vitiaverat impudicitia palam facta, filiam ex ea susceptam per ludibrium ad familiae nomen alludens dimidium folium nominavit. Id Folleanis

adeo indignum visum est, ut omnia mala perpeti, quam hoc dedecus impunitum relinquere decreverint: animisque implacabili odio utrinque accensis per annos sexaginta tres mutuis cladibus se afflixerunt, quibus ferme duo hominum millia cecidisse feruntur. Sacrilegus incesti scelere pollutus in Lenciani, vel ut alii malunt Gypsi, castello cum Malepresiis Dominis, Nasello, et Penaciolo Sessiis, Nicolao Manfredino et pluribus ex Lupiis et Canulensibus, et Mutinae militibus se muniit. Albinus Scaliger, Passerinus Bonacossius, et Franciscus Mirandulensis, qui tunc Mutinam tenebat, ei auxilium polliciti fuerant. Guido Savina Folleanus magna sociorum et clientum collecta manu, ad eum expugnandum contendit. Ubi eo pervenit omnibus abeundi potestate facta, his qui obstinate restitissent capitis poenam indixit. Catanei cum Praefecto aliisque plurimis ob proclama Castrum deseruere: quare Archipraesbiter locum defendere non ausus cum reliquis sociis se in munitam turrim recepit, ubi ariete quassato muro, ac saepius tentata pugna, Penaciolus, dum incautius telum jaculatur, sagitta transfixus diu in lecto decubuit. Viginti tres dies in oppugnandis hostibus consumpti fuere. Folleani adversarios brevi fame se domituros sperantes obsessa undique turri praelio abstinent: tandem deficiente comeatu inclusi jam ad eam inopiam devenerunt, ut aqua carentes in lotio fabam elixare, et muribus vesci cogerentur, nec aliquam vitae spem praesertim Sessii ab adversis habere poterant. Omnibus denique cibariis absumptis Lupii et Canulenses, ne inedia misere conficerentur, Archipraesbitero consulunt, ut quibus possit honestioribus conditionibus Folleanis se committat. Tantus erat hominis furor, ut priusquam dedatur velle se comedere Pennatiolum cognatum, qui ob

lethale vulnus inutilis erat, inhumaniter respondit: illo exeso ad sustinendam obsidionem caeteros, quos sors obtulerit, ordine edendos esse proponit. Ad immanem hanc vocem horrentes Lupii hominem vita indignum occidere, et aliquam sibi salutem quaerere cogitarunt. Habito igitur clam cum Folleanis colloquio si Archipraesbiterum occidissent, hanc demum mortis veniam impetrarunt, ut perpetuis carceribus vitam agere tenerentur, qui secus fecissent capti laqueo necarentur. Cum vero truci vultu, et terrifico aspectu hominem palam aggredi non auderent, occulte conficere tentant; et cum aliquam pacis spem fecissent, hortantur, ut ex turris caucello conditiones ab hoste proponendas audiat. Homine ad id aegre persuaso dum ex fenestra caput profert, hostiumque colloquium expectat, Lupii a tergo sacrilegum confodiunt, cadavereque in viam ejecto, hostes lanceis excipiunt. Capta turri Pennatiolus et Nasellus Sessii cum duobus ex Campsoribus hastis trucidati; Lupii, ut conventum erat, in carceres ducti, et duodecim exules ibi inventi, laqueo necati periere. Lupii vero cum fractis carceribus aufugissent, postea capti eodem anno Regii in foro suspensi misere vitam finierunt. Guidortellus qui cum ipsis evaserat, Ugolini Sessii jussu, et ipse occisus fuit. Huno ab amicis proditus infami vita dignum exitum Archipraesbiter est sortitus. Reliqui Sessii cum Lupiis ob hoc facinus proscripti Gypsum Malapresiorum castellum ad bellum patriae inferendum invaserunt. Deinde ad externa subsidia conversi a Cane Scaligero qui defuncto paulo ante Alberto in Veronae principatu successerat, et a Bonacossio ad vim inferendam auxiliares copias obtinuerunt. Gibertus Corrigius Regii Praetor mense januario Regiensium exercitu castellum expugnavit. Obsessi eo amisso in turrim se

recepernnt; qua capta quatuor ex Sessiis ibi inventi, et novus S. Faustini Archiflamen tristi exitu obtruncati fuere. Sessii amissorum gentilium ira accensi Bonacossii copias in agrum Regiensem adduxerunt, et villas usqne ad Sanctum Joannem a Gurgo hostiliter incenderunt. Post eam expeditionem Gibertus Corrigius Phillipponi Languscii Papiae Principis filiam uxorem duxit, et Cremonae ab ejus urbis civibus principatum per quinquennium obtinuit, ac magistratu, quem in urbe nostra gerebat, se abdicavit. Tantus vero amissi Regioli, qui Regii oculus dicebatur, dolor cives invaserat, ut magno studio de eo recnperando in cnria sit tractatum, decretumque ut praefectus qualibet hebdomada inter populi defensores, et quolibet mense ad minimum semel de eo recipiendo ad majorem curiam referret. Haec Saturni die non nisi magna ex causa convocari, nec in ea nisi de tribus negotiis, qnum cogebatur, agi poterat. Incredibili vero penuria eo anno vexata est Gallia Cisalpina ac plurimi inedia consumpti, usque adeo ut inventi etiam fuerint qui in dies domos dissolverent, ut venditorum cementorum pretio alerentur. Frumenti vel immundi et fabae sextarius, qui septem solidis Mediolanensibus antea venire solebat, plns quadragenis distrahebatur, quod inauditum illis temporibus pretium fuit. Penuriam lurida pestis mense julii secuta universam Galliam Togatam afflixit: ex his qui eo morbo laboraverunt, panci mortem effugerunt; post octo aut decem dies quam decubuerant, praesertim mares decedebant. Ingenti hominum facta strage ob solitudinem vias urbinm horrentes herbae obsederant. Obiit et Henricus Regii antistes, cui mense januario seqnenti Guido Baysius nobilis familiae Regiensis, qui prius Archidiaconus fuerat, successit. Is nepos ex

fratre alterius Guidonis fuit [1], qui Archidiaconus Bononiensis per eos dies magna cum laude Jus Pontificium Bononiae interpretabatur, cujus glossae tantae auctoritatis fuerunt, ut pro lege haberentur [2]. Sed ille post decem, et octo annos Sirmiensis Episcopus factus Guidonem Robertum successorem habuit.

Interea Henricus septimo idus augusti Romam ad coronam auream capiendam iturus Regium venit; inde in Hetruriam profectus, Perusinorum, qui a se defecerant, agrum crudeliter devastavit. Mox cum Genuensibus et Friderico Siciliae rege contra Robertum Apuliae principem foedere percusso Florentinos bello vexare coepit, et in Senenses, quos avare nimium et maligne comeatum subministrare dicebat, conversus totam Hetruriam tumultibus implevit. Demnm aegritudine correptus et ad Bonconventnm delatus intra paucos dies decimo calendas septembris decessit. Fama est a religioso ex Praedicatorum ordine, qui Florentinis auctoribns Eucharistiam veneno oblitam ministravit, extinctum fuisse [3]. Cadaver magnifica pompa elatum, Pisis caro cum intestinis deposita, ossa in Germaniam translata, cor extractum et Genuam missum apud uxorem conditum esse dicitur. Senenses de Caesaris morte literis, quae adhuc extant, Bononienses certiores fecerunt, quas illi statim Regium miserunt. Ego eas quamquam rudius exaratas, uno atque altero verbo ad nimiam barbariem evitandam commutato, hic inserere volui.

---

(1) Jo. Andr. in addit. ad spec. in proem. ec. et in pluribus scripturis Archivii majoris templi.

(2) Jo. Andr. in princ. sext.

(3) Plat. in Clement. V. Pandulf. Col. lib. 5. hist. Neap.

NOBILIBUS ET POTENTIBUS BONONIENSIBUS SENENSES SALUTEM.

« Vota felicia nobilitati vestrae, ut gaudeat, nunciamus. Siquidem Henricum Romanorum Regem die vigesima quinta augusti circa horam nonam ad pagum Bonconventum, ubi cum exercitu sedebat, decesisse ex certis exploratoribus nunciis et amicorum literis certiores facti sumus. Eum defunctum vasis conclamatis milites nocte feretro sublatum in externas regiones fugientes extulerunt. Divinae ergo potentiae gratias agentes charissimi exultetis. Ex urbe Senarum XXVI augusti MCCCXIII. »

Lecta epistola omnia laetitiae signa publice sunt edita, quod Italiae urbium libertati tyrannus insidiari diceretur, et qui Caesarianae factionis fuerant funalia nocte pro fenestris ponere, ne bono publico invidere crederentur, coacti fuere. Henrici loco Friderico Austriaco suffecto, Robertus Apuliae rex urbibus, quae Caesarem secutae fuerant, a Pontifice Praefectus, Gibertum Corrigium in Gallia Cisalpina copiarum imperatorem declaravit, qui Parma et Cremona, quas regia auctoritate tueri volebat, Roberto traditis, ipse ex principe illarum praefectus est nominatus. Eo titulo duobus millibus librarum Mediolanensium pro annuo honorario a Parmensibus acceptis, Ugolinum Manfredum exercitus magistrum dixit: ac ne quid innovaretur Regienses ad Parmae praesidium tenuit. His gestis montem Ceritum, nunc Clariculum vocatum, quem antea Joannes Sanvitalis Paludinorum Gibellinorum auxilio Henrici Imperatoris nomine occupaverat, eo Parmensibus et Regiensibus cum tormentis bellicis missis obsedit. Sed Paludinis ob loci infirmitatem discedentibus, Sanvitalis et ipse pacta hominum incolumitate oppidum

dedidit, quod postea funditus eversum fuit. Obiere eo anno ex nobilibus Regiensibus Matthaeus Folleanus, Guido Robertus Tripolitanus, et Clericus Manfredus; Bernardinus quoque Boschettus Mantuae antistes Regii discedens in majori templo ad aram Sanctae Agnetis humatus fuit. Sunt qui hoc tempore Regiensis Episcopi locis Mutinensium sibi additis, ditionem ampliatam fuisse credunt. Hi auctore Francisco Menabove Raymundum Aspelli ducenta millia aureorum ex Piceno in Provinciam ad Clementem patruum, vel, ut alii malunt, avunculum deferentem occiderunt, omnemque pecuniam abstulerunt. Unde ab irato Pontifice diris damnati jureque civitatis privati fnisse feruntur.

Regii vero murus, ubi diruta arx fuerat, sequenti anno a Porta Sancti Petri, ad eam quae Sanctae Crucis dicitur, deductus, totam urbem clausit. Universo opere absoluto, Regienses adversus Jacobum Paludinum, qui, in via qua in Hetruriam est iter, latrocinio muliones abegisse dicebatur, instructis copiis facinus vindicaturi exierunt. Ovionum, Crevaria et Borgoncionum ejus castella primo impetu expugnata et solo aequata fuere. Ipse Borgoncioni inventus ad ducem reipublicae genua procumbens delictorum poenam deprecatur; quatuor millia librarum Regiensium pro erepta praeda se soluturum pollicitus veniam obtinuit. Verum non multo post latrocinii sociis rursus vocatis cum expedita manu ex tempore nostros adortus, non paucos occidit. Alii plurimos cives, dum per altas rupes fugientem Jacobum sequuntur, ex praeruptis saxis praecipites cecidisse referunt. Inde mense decembri Crevaria restaurata ad sustinendos hostium impetus se munivit. Ea arte Regienses delusi octingentos pedites nonnullosque Parmensium stipendiarios ad ulci-

scendam injuriam miserunt. Crevaria capta ipse, Albertini Canussii opera, incolumis servatus est. Sed cum fluxa fide adversus pacta rursus Crevariam invasisset, ac patriae bellum inferret, Regienses cum octingentis equitibus et sex catapultis, ac contractis circa Niceam flumen Parmensium rusticis ad expugnandum castellum ingenti ardore revertuntur: quod omni deficiente comeatu, Albertini Canussii, et Parmensium opera, pacta hominum salute iterum receptum, et solo aequatum fuit. Ibi plures ob Jacobi perfidiam contra datam fidem occisi esse dicuntur. Paludini tamen proscripti fuere. Ab hac expeditione reversi Regienses, novo imminente bello, ad retundendas Gibellinorum vires evocantur. Gibertus enim Roberti regis Praefectus, quem Mariscalcum vocabant, quaedam in Placentinis loca occupaverat, ac ut auctis viribus facilius Vicecomites oppugnaret, sociorum auxilia petiit, Albertoque Canussio Parmae Praefecto relicto, cum Parmensium copiis, et Regiensium cataphractis multa hostibus damna intulit, donec a Placentinis repulsus recedere coactus est. Ad plures vero obeundas expeditiones cum reipublicae nostrae vires non sufficerent, praeter eos, qui in urbe merebant, alii centum publico stipendio ad urbis praesidium milites conducti fuere. Exinde mense octobris urbis fossae a Porta Sancti Stephani usque ad Portam Sancti Nazarii sunt excavatae: postridie quam opus fieri coeptum est, cum Abbate Divi Prosperi Antistes solemniter, comitantibus omnium Ordinum religiosis, et sacrificis, operi bene precatus esse dicitur. Octo urbis Portas eo tempore fuisse invenio; primam Sancti Stephani, alteram Sancti Cosmi, et tertiam Sancti Nazarii, ubi postea arx condita fuit: has sequebantur, quae Sanctae Crucis, Divi Petri, Pontis Livonii, et quae nunc Castelli vocatur: postrema

erat quae Brennonis dicebatur. Ex his cum duae tantum timore Caesarianorum proscriptorum usque ad eum annum patuissent, postea sequenti mense majo, praeter eam quae Divi Cosmi appellabatur, aliae omnes apertae fuerant. Sed hodie Pontis Livonii, et Brennonis Portis obstructis, quatuor tantum utimur. Septima, quae Sancti Nazarii dicebatur, ad arcis tantum usum habetur. Gibertus vero Corrigius, qui jamdudum ad Guelphorum partes desciverat, et a proceribus Cremonae accitus pleno ejus urbis imperio potitus erat, ubi Caesarianorum invidia, se parum tutum vidit, eam civitatem suae libertati restituit: nec multo post Rolandi Roscii factione a Joanne Quirico Sanvitali genero patrią expulsus Guardasonum se recepit; et inde sociis in auxilium vocatis Parmae bellum intulit. Contra Gibellini nominis Parmenses Matthaeo Vicecomiti, Canique Scaligero, et Passerino foedere conjuncti, Regienses sollicitare non desistebant, ut proscriptis restitutis suas partes sequerentur. At cives, qui Giberti opera receptam libertatem esse meminerant, non modo non defecerunt, sed ad eum etiam in patriam restituendum legatos Parmam miserunt: et quod nunquam antea factum fuerat, ad ingens declarandum totius civitatis studium, cujusque artis corpus ad singula ejusdem artificii sodalitia ob impetrandum homini reditum proprios oratores destinavit. Hi in publicis hospitiis Parmensium impensis honorifice excepti, praevalente adversariorum potentia, nihil obtinere potuerunt. Alii a Papiensibus, Mantuanis, Mediolanensibus, Bononiensibus, Veronensibus et Regiensibus legatos missos fuisse scribunt, ut populum ad libertatem, et Guelphum nomen suscipiendum hortarentur. Apud Regienses vero Dinatianum, cum quibusdam castellis, quae ad Gabelli ripam prope Castrum Arianorum sita erant, Saxolus

Saxolensis occupavit: sed sub finem anni MCCCXVIII eo misso exercitu, quarto calendas januarii locus est restitutus. Eo die, cum timeretur ne Castrum Arianorum a Rodeliis vicinis invaderetur, eo praesidium missum fuit. Subigenda supererat Quarantula, quae a republica defecerat, sed antequam arma experiretur in Regiensium potestatem sponte revertit. At Sessii ubi repetendae patriae omni spe exciderunt, undique Regiensium agros diripere coeperunt. Demum ad Canis Scaligeri Veronae Reguli praesidium confugerunt; qui eos in gratiam recepit, et Ugolinum Sessium ferme per annos quindecim Veronae Praetorem constituit. Is cognomento Grandis, et bellica virtute clarus, munificentia, et animi magnitudine omnes sui temporis principes superavit, qui cunctis felicioris ingenii viris, et omnibus domo profugis liberaliter hospitium praebuit. Inter alios Sagatium Mutum Gazadinum Regiensem literarum elegantia (ut illa ferebant tempora) satis eruditum humaniter excepit, qui postea ejus hospitalis disciplinae rationes, diversarumque coenationum, et cubiculorum sumptus, et ornamenta diligenter descripsit. Suas enim variis hominum generibus habitationes assignatas et affluentes victus impensas pro hominum conditione factas, ac suos quibusque ministros diverso cultu datos fuisse meminit. Proprios etiam titulos singulis diversoriorum januis praescriptos, veluti triumphos victoribus, bonam spem exulibus, musarum umbracula poetis, artificibus Mercurium, religiosis concionatoribus Paradisum, aliaque cuique hominum generi congrua pro hospitiis depicta fuisse memorat. Musici concentus festivique sanniones, et jucundi moriones alterna varietate coenationes circumibant. Cubicula quoque splendidissime instructa aulaeis, quae instabilis fortunae argumenta con-

tinebant, et picturis mirifice exornabantur. Canis ipse mensam suam aliquibus interdum communicans Guidonem a Castello Regiensem, qui ob sinceritatem Simplex Longobardus vulgo vocabatur, et Dantem Aligerum, hominis ea aetate clarissimi ingenio delectatus, saepius vocare consueverat. Sessii et ipsi in eam aulam jamdudum recepti, in intimam Principis familiaritatem se insinuarunt; opibus se, et armis in patria potentes, factiosorum invidia a sordida plebe domo ejectos fuisse quotidie narrare: si aliquot militum copiae sibi dentur, sellulariis et infimis opificibus extinctis, urbem generoso Principi facile tradituros. Ita ingentis spiritus virum et proferendi imperium cupidum ad inferendum Regiensibus bellum facile incitant. Rainaldus quoque Passerinus Bonacossius Mantuae tyrannus spe Mutinae recipiendae ad eandem expeditionem impellitur. Is eam urbem, Francisco Pico Mirandulensi Praefecto prodente, proximo mense januario occupaverat; sed a Guidone Pio et Opicio Paparono, qui populum ad libertatem vocaverant, ejectus, in pristinum dominium restitui volebat. Foedere itaque percusso cum magnum militum numerum coegissent, primum Mutinam, ubi Joannes Paucerius tum Praetor jus dicebat, instante Passerino obsiderunt. Verum Parmensium Caesariorum, et Sessiorum precibus in Regienses arma converterunt. Civibus belli causam sciscitantibus responsum est: ob Sessios, aliosque Gibellinos arma moveri; nec se, nisi omnes exules restituantur, discessuros. Tam altum vero odium in eos conceptum erat, ut quam eos recipere omnia perpeti malent. Obsessa urbe, tanta frigoris vis venit ut Eridanus glacie concretus homines sustinuerit, nec panis nisi igne tepefactus edi potuerit; ob hiemis denique saevitiam, non jumenta tantum sed plurimi

etiam homines perierunt. Demum cum bello Regium graviter premeretur, Parmenses, qui et ipsi auctas tyrannorum vires timebant, per sex nobiliores cives de pace cum Scaligero egerunt; qui Sessiis, ut volebant, quinto calendas maii restitutis, ab obsidione Regienses liberavit. Passerinus ubi recipiendae Mutinae spe excidit, Brochi Carpensis Archipraesbiteri opera, Carpum invasit. At Sessii in urbem revocati ubi, ut consueverant, impotenter dominari voluerunt, novandarumque rerum se studiosos ostenderunt denuo ejecti, Scaligeri et Bonacossii auxilium implorarunt, et octavo calendas maii cum duorum principum copiis reversi castra apud Portam Sanctae Crucis posuerunt. Bononienses, ubi amicorum periculum audierunt, ducentos sagittarios, centum pedites hastatos, et quadrigentos equites Regiensibus subsidio miserunt: quare desperata victoria, hostes sexto postquam venerant die discessere. Eo bello implicita civitate, Jacobus Rodelius per eam occasionem Castrum Arianorum, cui jamdudum inhiaverat, adortus est. Achilles Atiles ad loci custodiam relictus praesenti animo aliquamdiu se defendit; sed crescente oppugnantium multitudine pauci pluribus resistere non ausi locum dedunt. Regebatur tunc temporis magna prudentia civitas, in qua sapientum Senatorum diligentia nulli rerum novandarum occasio praebebatur: quare Gulielmus Canussiique cum agnatis fractas vires suas cernentes urbe clam exiere, et in sua se castella receperunt: idem Robertus et Joannes Folleani fecerunt.

Inter haec Joannes XXII creatus Pontifex omnes Italiae Principes, qui Gibellinam factionem profitebantur, monuit, ut relicto Caesare suas partes sequerentur. Sed illi jure se ab Augusto Vicarios creatos, nec regnorum ditionem ad alium, quam ad Caesarem pertinere, audacter

responderunt. Ob id diris subjecti, inferorumque poenis devoti fuere. Sed cum Pontificem ad Italiae imperium aspirare sensissent, Matthaeus Vicecomes Mediolani Princeps, Passerinus, et alii Soncinum convenere, ubi foedere conjuncti Canem Scaligerum ducem exercitus contra communem hostem ducendi declararunt. Is pecunia a sociis adjutus, Monte Silice capto, multa praeclara gessit; ob quae cognomento Grandis est appellatus. Contra Regienses cum Flaminiae et Hetruriae Guelphis Bononiae Gibertum Corrigium copiarum imperatorem declarant. At Gulielmus Canussius, et Gibertus, Joannesque Folleani, quod clam cum Gibellinis sentire viderentur, plebi suspecti facti mense junio patria exire jussi indignabundi in sua castella concessere. Regienses ut adversus hostium vim se munirent in primis quas ante quatuor annos aperuerant Portas obstruxerunt; inde ad recipienda rebellantium civium castella animum adjiciunt. Itaque ineunte vere ad Montem Caulum perducto exercitu, moenia expugnare conantur, quae altiore in loco posita ariete quati non poterant, nec minus, vulnerantibus propugnatoribus, facilis ad ascendendum militibus aditus praebebatur. Demum densa testudine facta, quae sagittarum, saxorumque ictus exciperet, mons superatur: ibi scalis muro admotis cum jam cominus pugnaretur, funditores crebris lapidum imbribus incolas moenia deserere cogunt; quorum pluribus scorpionibus confossis, Regienses superato muro postridie, pacta hominum salute, castrum ceperunt. Inde Castellariam itum, quae non longe a Castro Arianorum in inferiore Gabelli amnis ripa jacet, hoc quoque oppidum a Saxolo Saxolensi detentum, cum diu resistere non potuisset, quinto calendas aprilis deditum fuit. In eo loco praesidio imposito, Regienses Bianellum ad prohi-

bendos hostium conatus tum restaurarunt. Valida militum manu ibi relicta, Canussios proxima castella inhabitantes profligarunt, et Bajonum Simonis Canussii filium lethaliter vulneratum ceperunt, et Regii in vincula conjecerunt. Mox Padernum, omnibus qui intus erant caesis aut captis, incenderunt. Rolandinus Canussius ibi inventus vivus in hostium potestatem venit. Inde ad Gypsum Crustumii profecti per quindecim dies ea praelia igne ferroque devastarunt. Nec multo post etiam Castrum Arianorum, quod superiore anno Jacobus Rodelius occupaverat, et Castellum Dardum Sessiorum, et Guardasonum intra paucos dies in suam ditionem redegerunt.

His gestis cum difficilius bellum timeretur, induciae per biennium cum Canussiis, qui Bajonum et Rolandinum obsides dederunt, donec Sarzanam civibus restituerint, et anni spatium cum Saxolo Saxolensi, factae fuerunt. Mille enim equites a Florentinis, Senensibus, et Bononiensibus adversus Vicecomites pugnaturi Regium venerunt. Sed Philippo Valoissio, qui pro Pontifice alpes superaverat, in Galliam reverso, illi quoque in Hetruriam se receperunt, ubi Castruccius Interminellus Lucae tyrannus, Florentinis vehementer exagitatis, etiam Spinetum Malaspinam Guelpharum partium studiosum magna ditione privaverat. Ille, Regiensium ope implorata, magnum peditum numerum, ac ferme sexaginta equitum alam ad ea, quae sibi a Castruccio occupabantur, recipienda abduxit. Ab alia parte Hetrusci Gibertum Corrigium adversus Castruccium quingentis equitibus praeficiunt; sed accusatus quod socios prodidisset, ab iratis Senensibus fenestra ejectus misere expiravit. Alii eum ob repetendam patriam in Hetruria delectum habentem repentina morte correptum septimo calendas augusti decessisse ferunt, *et*

ibi ab Abbate Divi Prosperi iusta faciente humatum esse constat. Ejus peragendis exequiis Regiensis et Parmensis Antistes cum earum urbium religiosis et nobilibus viris, aliisque universae Galliae Cisalpinae proceribus interfuere: omnes veste pulla induti insigui luctu spectatissimae virtutis virnm defleverunt. Eo die Joannem Quiricum Sanvitalem, qui Parmam Scaligero traditurus erat, Rolandus Roscius urbe expulit. Ipse patriae imperio potitus defuncti Giberti liberos revocavit. Bononiae quoque aliud Guelphis incommodum accessit: Romeo enim Pepulo urbis moderatore ac pene principe Beccadelorum factione ejecto, Guelphorum vires maxime sunt diminutae: siquidem nullus eo in tota Italia ditior civis habebatur, qui ex foenore eas sibi opes cumulaverat, ut praeter pretiosam supellectilem, et immensam auri argentique copiam viginti millia floreuorum ex agrorum reditu perciperet.

Sub id tempus Regii mali ominis casus evenisse vulgo creditus est. Prope Crustumium enim, ubi sontes plecti consueverant, muro affixa crux erat, quae reis ad supplicium ductis Dominicae mortis memoriam renovare consueverat, et ob id justitiae crux dicebatur. Ea moenium pinna cui infixa fuerat e coelo tacta cecidit. Id sequentis anni tumultus portendere plerique voluerunt. Carpineti enim ecclesiae Praepositus Bernardinus Folleanus cum Rolando propinquo Baisium et Paullum occuparunt. Contra Gibertus et Joannes Folleani Salvoni se munierunt. Mox Pavullo, vel ut alii scribunt Sancto Paulo, per proditionem capto Simonem Folleanum cum Manfredo filio calendis aprilis vivos capiunt. Sed Gibertus et ipse postea ab aliis Simonis liberis interceptus Baisium captivus est deductus. Regienses factiosorum civium audaciam in rei-

publicae detrimentum crescere conspicati, castella ab ipsis munita expugnare decreverunt. Salvonum itaque ducto exercitu, locum multiplici acie adorti primo impetu capiunt. Joannem et Bertescum ibi inventos, reviuctisque post terga manibus, Regium ductos in carcerem conjiciunt. Baisium, ubi degebat Bernardinus Praepositus, mox oppugnandum erat; sed quod difficilior haec expeditio videretur, vallo ibi cum praesidio munito, populus domum revertitur. Interim Castrum vetus non longe distans ad continendos in officio vicinos restituebatur. Bernardinus et Rolandinus Folleanus, qui Baisium tenebant, ubi hoc opus adversus se parari intelligunt, dum fabri munitiones aedificant, a Passerino Bonacossio Mutinae et Mantuae tyranno ad deturbandos hostes auxilium petunt. Is rerum novarum studiosus ac semper proferendo imperio intentus Franciscum filium magnis copiis instructum eo mittit, qui opere nondum perfecto superveniens vallo inceuso castrum facile occupat: omnibus abire permissis, solos Nicolaum et Joannem Riccium Folleanos Bernardino infensos retinet, vinctosque Mutinae carcere includit. Regienses ubi spe sua se frustratos vident, Sarzano incenso, loci ditionem Canussiis, qui tum Vectiani degebant, tradidere. Ab alia parte Sessii ne quam ulciscendorum hostium occasionem praetermittant, dum Passerini copiae infestis armis Regium vexant, illis Canem Scaligerum ad obsidendam patriam conjungunt: capiendae urbis spem maximam dabant Mangiapanes, et Fossii, qui in suburbiis Sanctae Crucis, ubi habitabant, auxilium Sessiis promiserant. Re patefacta proditores, aedibus ab irata plebe incensis, promeritas perfidiae suae poenas dederunt. Hostes ubi detecta conspiratione optata ope se destitutos vident, indignabundi Sancti Petri, Castelli, Brennonis, et Sancti

Nazarii nobilia quatuor suburbia et ipsi incendio dirnerunt. Exinde Herberia et S. Martino Robertornm castello expugnato, quinque tantum diebus ibi snnt commorati. Extemplo literis ad Canem Verona allatis, quibus Goritiae Comitem in Veronenses venturum significabatur, Canis Scaliger Regiolum, Passerinus vero Mutinam se contulit; qui sociis abenntibns cum capiendae urbis spe excidisset, ad oppugnanda Regiensium castella conversus quarto nonas octobris Budrium ex tempore adortus cepit. Parmenses, qui tunc ob Rolandnm Roscium cum Gibellinae factionis hominibns sentiebant, in speciem avertendi belli cum ocultis mandatis quatuor legatos cum centum equitibus ad Passerinnm tecta fraude miserunt; quibns agrorum nostrornm populationem prohibere videri volebant: sed re vera hostibus contra vicinos socios auxilium tulerunt. Regienses tyrannornm opibus, et suornm seditionibus undique circumventi, alienam opem implorare coguntnr.

Jam anno ante Joannes XXII Pontifex, qui in Galliis degebat, Beltrandnm Pogetum Cardinalem legatum Pontificiae partis populos in officio retenturum in Italiam miserat; qui, cnm Joanne Rege Bohemiae foedere juncto, non modo plurium urbinm gentes sibi conciliavit, sed civitates etiam non paucas Pontifici subjecit. Ad eum Regienses Placentiam ubi residebat qninto idns novembris legatos mittunt, orantque ut urbi Pontificis partes secutae rectorem praeficiat. Gratum Beltrandus nuncium accepit, ac Regio in suam tutelam recepto et in libertate permanenti sub praefecti nomine sine imperio in sex menses defensorem constituit. Is fuit Vergusius Landus, qui quod Galleacius Vicecomes uxoris suae pudicitiam petulantius pertentasset, Actium ejus filium Placentia

ejecerat, et urbem legato Pontificio tradiderat: *sed alii Martinum a Castro Amardo Regii praefectum fuisse referunt.* Contra Regienses, ut suam erga Pontificem declararent benevolentiam, sequenti anno MCCCXXIII adversus Galleacium Vicecomitem, quo cum atrox bellum gerebat, centum equites sub Actio Manfredo, qui postea a Legato equestri dignitate donatus est, auxilio miserunt. Ille duorum millium equitum, et plurium peditum contracto undique ex foederatis exercitu ad Abduam hostem profligavit. Raymundo quoque Cardono Cremonam ingresso, plurimi ejus urbis cives Regium confluxere: qui a Regiensibus benigne accepti, cum ob multitudinem in aedes omnes recipi non possent, non pauci sub porticibus coacti sunt pernoctare. Ea civitas opibus et populo tantum excreverat, ut quadraginta millia hominum armare posset; tum vero ob domesticas seditiones et externos tumultus vix duorum millium delectum habuisset. Eo anno Gibertus Folleanus, dum Livicianum proficiscitur, a liberis Simonis agnati captus, et Baisium in carcerem deductus fuit. Gabriel quoque Sessius, cognomento Zanara, qui Catharinam agnatam ex Divae Catharinae coenobio extractam uxorem duxerat, in Genuensi agro oppressus interiit.

Interea Caesariani proscripti, inter quos erant Copriaci Domini, tunc in proximis urbi nostrae castellis se tuebantur: quod ubi Parmensibus, qui vacante imperio Pontificis Legato se commiserant, compertum fuit, sub Bertono Roberto Giberti cognomento Tripolitani filio urbis Praefecto et Marsilio Rubeo ad opprimendos adversarios Sabionem contendunt. Tantum erat harum factionum odium, ut nec exules etiam procul degentes ferre possent. Castello ergo capto et incenso quotcumque assequi po-

tuerunt Caesarianos trucidarunt. Hoc inhumano facinore, etsi plurimum Regienses doluerunt, palam tamen cum Parmensibus, ne cum hostibus sentire viderentur, conqueri non sunt ausi. Hae duae civitates cum Placentinis mediae inter Gibellinos constitutae assiduo bello terrebantur. Galleacius enim Vicecomes qui, defuncto patre Matthaeo, magnam Galliae Cisalpinae partem detinebat, propagandi imperii cupidus, ingenti collecto exercitu, undique agrum Parmensem depopulabatur: quibus Regienses quinquaginta equitum alam ad hostium vim propulsandam dederant. *Contra Parmenses Sablonum agri Regiensis castellum omnibus caesis expugnarunt, quod proscriptos Parmenses recipere diceretur. Joannes a Copriaco ibi inventus in vincula est conjectus.* Ab alia parte Franciscus Passerini filius, qui nuper Mutinam oppresserat, etiam Florianum et Saxolum occupavit. Postea vero Elisa Nicolai Atestini sorore uxore ducta, celebrandis nuptiis ludisque agendis intentus, Mantuae, generosis equis, et pannis aureis pro praemio propositis, celeberrimas equorum decursiones egit. Eam oppugnandi hostis occasionem nactus Vergusius Regii Praefectus, vir bello clarus, magnas militum copias contraxit; quae a Regiensibus in urbem non receptae ingens damnum suburbiis intulerunt. Ipse valido cum exercitu recta Saxolum petiit, magnoque impetu idibus martii oppidum expugnavit. Inde, Mutinensium villis direptis, Campi Gajani, et Carpi suburbia incendit. Inde ad Cortianum et Montem Veterem conversus, ea quoque castra et quidquid cis Padum Passerinus tenebat, praeter Regiolum, nomine Ecclesiae occupavit. Deinde Guastallam usque Castrum Gualterii et Suzariae insulam percurrit, ubi Vicecomitum exercitui, qui in nostros fines irruebat, obviam factus pari certamine cum eo conflixit.

Snzariam quoque insulam, quam Actius Galleacii Vicecomitis filius, et Atestinus, Passerinusque classe per Padum vecti crebris incursionibus per octo dies devastaverant, profligatis hostibus occupavit. Inde suburbiis Mutinae captis, omnia ejus castella, *praeter Carpum et Campum Gajanum,* in suam potestatem incredibili celeritate redegit. Mox turri Carettorum cnm defensoribus combusta etiam Carpum vicinum oppidum cepit, Regiensiumque suburbia solo aequavit. Ab alia parte Ugotus Baltius Pontificiis copiis, quae ex ter mille viris constabant, Praefectus, Varrano et Rivarano cum aliis quampluribus castellis dirutis, urbem etiam Parmae obtinuit. Defuncto enim Caesare, primo Parmenses, donec ejus sneccessor eligeretur, se Pontificis legato armis urbem repetenti commiserunt. Postea vero rebus imperii laborantibus, cum duo Caesares dissidentibus electoribus creati fnissent, Pontificius legatus quinto calendas octobris Parmae, cujus primo tutor vocabatur, liberum imperium accepit: idem quoque de nostra republica facturus quarto nonas octobris, Ugotii Baltii opera, totam Regii ditionem in se transtulit. Quo primum tempore post acquisitam libertatem in Pontificis potestatem urbs nostra venit. Cujus possessionem postea Beltrandus sexto calendas februarii, sequenti anno MCCCXXVII solemni pompa obtinuit, Praetoremque Heliam a Rocca cum Bartholomaeo Prevedmo Vicario constituit. Inde a Bononiensibus vocatus, ejus quoqne urbis imperio potitus est. Sub id tempus Petrus Suzarius Regii juris civilis professor defunctus in Divi Dominici coenobio, ubi etiam nunc jacet, publico luctu sepultus fuit. Interea Castrum Arianorum, quod octavo ab hinc anno a Jacobo Rodelio occupatum fuerat, jure haereditario Actio cesserat; Amicus a Baisio ab eo loco

Praefectus Passerino Bonacossio perfide castrnm prodidit. Nocte patrando facinori constituta, Passerini milites demisso ponte recepti, in primis Actinm quaerebant, clamore armorumque strepitn arcem implent. Ille ad tumultum excitus, ubi castrum ab hostibus teneri animadvertit, ut erat seminudus a lecto prosiliit; sed jam ad cubiculi ostium armatis instantibus, aliam saluti suae viam non inveniens aperta fenestra excelsa ex arce tenebris omnia occupantibus in fossam se praecipitem dedit; ac perfractis omnibus membris misere vitam finivit. Ita Passerinns Castro Arianorum potitus, illud Guidoni Rodelio commisit. Verum non multo post Gnido Savina Folleanus, corruptis quibnsdam incolis, per proditionem castrum obtinuit. Rei nnncio accepto Regienses, ut optatum locum reciperent, Praefecti Pontificii auctoritate habito militum delectn, eo proficiscuntur; primoque impetu moenibus dirutis, tandem castellum, quo annis octo caruerant, intra paucos dies habuerunt. Per eos dies Ludovicus Bavarus Imperator ad impngnandos Pontificios a Galleatio in Italiam vocatus calendis jnnii in Divi Ambrosii templo a Bartholomaeo Eporediensi Regiensium Episcopo, et alio Brixiano Pasquali, quod Mediolani Praesul exularet, hoc ritu ferream coronam accepit. Solemni precum recitatione Caesari noster Antistes bene precatus pretiosum annulum ejus dexterae manus digito minimo proximo indidit, mox nudo gladio porrecto ferream coronam capiti imposuit; demum, virga pro sceptro porrecta, auratum malum, quod orbis monarchiae argumentum erat, in sinistra manu locavit. Sed hanc laetitiam tristis exitus perturbavit. Siquidem paucis post diebus evenit, ut minor Galleacii Vicecomitis frater, qui apud Caesarem pincernae officio fungebatur, vinum prae-

gustare jussus statim decesserit. Quare veneficii reus factus Galleacius, Joannesque et Luchinus fratres cum Actio filio in carcerem conjecti et Modoetiam [1] munitissimum oppidum Caesar extorsit. Regii vero Angelus a Sancto Lupidio pro Pontifice urbis Rector Blasellum Pictum facinorosissimum hominem et nocturnis furtis infamem laqueo necari jusserat. Gibertus Folleanus, et Nicolaus Manfredus, qui eum asseclam habuerant, id factum aegerrime tulerunt; sed ut indignationem honestiore praetextu tegerent, urbem gravibus tributis a Pontificis onerari palam conquesti, eam in pristinam libertatem revocandam esse dictitabant. Communicato itaque inter se consilio alter Joannem filium, alter Joannem Riccium fratrem ad patrandum facinus impulerunt. Nec votis defuit occasio. Pontificis enim praesidio a Rosciis, qui Parmae dominatum affectabant, Parma ejecto, postridie et ipsi Caesarianorum auxilio rectorem trucidare, et urbem ad Gibellinos transferre decreverunt. Nono cal. julii dies Joanni Baptistae dicatus ad conficiendum hominem destinatus fuit; quo ut aestuante coelo fieri solet, summo mane simplici bombicina veste supra interulam humeris Rector injecerat, ac caetera nudus frigidiorem auram captans, horas vulgo canonicas dictas recitabat. Eam Manfredus et Folleanus conficiendi hominis occasionem nacti, se de rebus arduis cum eo colloqui velle simulant. In cubiculum admissi cum nihil mali suspicantem sevocassent, hominem confodiunt. Cadaver, nemine se movente, toto die jacuit, ac tandem in Divi Dominici aedem illatus in arca ad sinistram ingredientibus sepultus fuit. Homicidae, populi iram veriti, perpetrato facinore statim

(1) Vulgo *Monza*.

fugerunt. Sed cum Arnaldum in defuncti locum suffectum esse intellexissent, novis a Castruccio Lucae tyranno et Cane Scaligero copiis acceptis, cum Marsilio Roscio et Actio Corrigio Gibertus Folleanus, et Nicolaus Manfredus quarto nonas augusti per portam Castelli in urbem reversi, novum quoque pro Ecclesia rectorem occiderunt; Rainaldumque Vaccam et Robertos, qui Pontificis partes sequebantur, aedibus obsessis, cum Roscelliis fautoribus Aretio oriundis urbe exire compulerunt. Caeterum arx valido praesidio munita Pontificis nomine retenta fuit. Inde recta Castrum Arianorum profecti a praesidiariis militibus repulsi fuere.

Dum haec Regii aguntur, Mutinenses, quindecim millibus aureorum florenorum corrupti, a Passerino ad Pontificem defecernnt. Ille non multo post ob impotentem libidinem Mantnae a Loisio Gonzaga est trucidatus. Is Giberti Corradi Regiensis ex Gonzaga oppido, ut in quibusdam annalibus continetur, oriundi filius esse ferebatur, et a loco unde originem trahebat, cognomento Gonzaga vocabatur, qnod nomen ad posteros proprium familiae transmisit. Sanguine vero et opibus clarus, cum etiam Passerinnm propinquitate contingeret, Regio Mantuam concessit. Alii ex nobilissima gente Germaniae eum descendere trahunt. Ex tribus uxoribus novem filios habuit: ex prima Guidonem, qui postea Mantuam obtinuit, Feltrinum, Joannem, et Azonem mares suscepit; et ex secunda Jacobum, et Albertum; ex tertia Corradinum, et Philippinum, quem aliqui Corradini filium fuisse autumant. Sed cum Frauciscus Passerini filius cnm nuru Philippini filii uxore concubuisse diceretur, gravem injuriam ulcisci statuit. In primis re cum Cane Scaligero clam communicata, de oneroso impotentis tyranni jugo

et inexplebili libidine conqueritur, qui mixtum adulterio incestum soluto pudore turpiter committere non erubuerit: si opem sibi tulerit, a se omne Bonacossium nomen brevi extinctum iri promittit. Canis, qui rerum novandarum occasione imperium proferre sperabat, auxilium pollicitus, magnam militum manum Mantuam paulatim transmittit. Veniente die ad facinus praestituta, Philippinus cum Guidone et Feltrino fratribus ad arma populum vocant; primus ad tumultum accurrens Passerinus ante portam Palatii, quam clausam invenit, a Loisio consobrino misere trucidatur. Franciscus vero Abbas Sanctae Andreae ejus filius in lecto comprehensus, et alter ex Butrione fratre nepos in vincula conjecti intra paucos dies necati fuere. Franciscus Nicolao Mirandulae Principi infensissimo hosti traditus, diris tormentis subiectus crudeliter periit: morienti, ad notandam hominis libidinem, abscissa virilia ori infixa fuere. Alii ad Castellarium Frignani vicum, ubi Passerinus Franciscum Nicolai fratrem inedia confecerat, ducti misere decessere. Loisius, eluso Cane, Mantuae principatum, post quinquaginta quinque annos quam in Bonacossios venerat, ad se transtulit quamquam ipse nomine revera liberi dominabantur. Plebs, quae Passerinum diligebat, ejus nece graviter doluit: sed cum jam mortuum vidisset arma movere noluit. Alius interim Ecclesiae nomine Regii suffectus rector absentes Robertos revocavit. Sed Rolandus Roscius, qui, ut patriae principatum obtineret, paulo ante Passerinum Turrianum pro Pontifice Parmam tenentem ejecerat, eum quoque, qui urbem nostram regebat, armis expulit, cujus loco Bonacossium Rugerium Parmensem substituit; et ad confirmandum potentiorum affinitate imperium filiam Canis Scaligeri filio uxorem dedit. Cum vero Manfredi et Fol-

leani in urbem revocati valde timerent, ne opera Robertorum, qui cognomento Tripolitani vocabantur, iterum Pontifici subderentur, suspectos urbe expulerunt, et Bertonum Robertum Giberti filium, et familiae principem insidiis captum in carcerem conjecerunt. Deinde Pratum cum caeteris Robertorum castellis expugnatum Thomasino, et Joanni Robertis, qui Alexandro, aliisque Sanctum Martinum tenentibus Robertis adversabantur, commiserunt. Contra alios praeterea cives Pontificis fautores armis conversis, Vectiani et Canussii pagos incenderunt. Mox Gypsi suburbium, prodentibus Rolandini Canussii familiaribus, captum cum adjacentibus praediis igne ferroque vastarunt. Castelli obsidione ob instantem hyemem soluta, dum in urbem revertuntur, Robertos ad oppugnandum Portiolum euntes in fugam compulerunt, eosque usque ad Herberiae suburbia secuti, cum duobus Bartholomaei Roberti filiis viginti equites, et ferme omnes pedites captos Regium duxerunt, et sub custodia posuerunt. Erant in eo castro sub Gerardo Bojardo plures Pontificis partes secuti, qui Regienses magno damno afficiebant. Rebus prospere gestis anno MCCCXXIX idibus januarii Marsilius et Petrus Roscii, Trimberaque Imperatoris Vicarius cum Caesarianis Regiensibus burgum ejus loci occidentalem, in quo ducentorum militum praesidium erat, per multos dies oppugnarunt, ac demum omnibus profligatis et Gherardo capto in suam potestatem redegerunt. At Pontificii, ubi se praelio superatos vident, per proditionem Regium capere tentant, cum Joanneque Levalossio Juliani filio egerunt, ut certo die per Sancti Nazarii portam, quae ob suspicionem occlusa tenebatur, martio mense introducerentur. Conspirabant cum eo Albertinus divi Prosperi Abbas, cujus impulsu Gifredinus

Mntus monacus a subnrbii Praefecto claves obtinuerat, velnt ante lncem Bagnum ad propinquos profecturns, qnas intempesta nocte, apertis portis, in pnteum projecit. Dicta die sub auroram magno peditatu octingenti equites demisso ponte a Joanne sunt recepti: subsequebatur militum praefectns, qui orto sole serius a Sancto Martino, ubi pernoctaverat, discedens sernm suis auxilinm tulit. Excubabant non procnl milites, qui ad strepitnm armornm exciti eo celeriter currunt. Ex plebe qnoque nonnnlli privata officia forte obeuntes, portam, quae diu clausa steterat, apertam mirantnr. Cum vero etiam armatos ingredientes conspicinnt, proditam, ut erat, urbem suspicati opem civium arma auxiliumque militum implorant. Antonins Lupius inter Caesarianos conspicuus, qui non procul habitabat, armorum strepitnm sentiens cum vicinis ad tumultum advolat; hostes a pancis reipublicae militibus, nonnullisque civibus distentos invenit: ipse cum nova sociorum manu in medios irrumpens: Hem perfidos, clamat, trucidate, strenui commilitones, qui dolo civitatem nostram, libertatem, liberosque perdere conantur; imbellibus istis fortiter resistite, rempublicamque vestram viriliter conservate: ego hac dextera faciam, nt hos latrones hodie huc venisse poeniteat. Haec fatus in primum hostium agmen impetnm faciens non paucos vulnerat; alii eum cives, militesque secuti in adversos ordines irruunt. Jam fama proditionis totam urbem pervagata, crebraqne campanarum pnlsatione civibus convocatis, ex omnibus viis undique ad prohibendos urbe Pontificios armati confluebant. Quare nostrornm numero, et virtute inferiores Guelphi retrocedere coacti sunt. Zafredinns, majore nola Divi Prosperi pulsata, tardans auxilium vocabat; sed ubi rem deploratam conspexit, statim Bononiam

fugit. Eadem Albertinus intempesta nocte concesserat, ubi a Pontificis legato, in cujus gratiam tantum negotium tentaverat, Coronae episcopus factus non multis mensibus supervixit. Joannes Levalossius cum aliis conjunctis captus, et capite punitus, dignum audacia sua supplicium tulit. Julianus Levalossius, Abbatis Divi Prosperi frater, et ipse proditionis insimulatus in vincula conjectus fuit; sed postea octingentis aureis ex bonis coenobii Folleanis solutis est dimissus. Guercius vero Luvisinus, qui conspirationem initam non detexerat, dum nentis feminae habitu urbe exit captus supra Divi Nazarii portam laqueo suspensus fuit. Toties spe sua destituti Pontificii, cum aliter acceptam injuriam ulcisci non possent, ira, indignationeque accensi decimo quarto calendas junii Casalis Grandis villam sunt populati, pluresque rusticos captivos abduxerunt: deinde Regiensium agros depraedati, etiam Herberiam et Bagni Plebem, Prati Archiflamine Roberto duce, decimo calendas junii occuparunt. Mox Mutina potiti, etiam Alberghetto Manfredo Faventiam ademerunt. Tot acceptis detrimentis moesti Caesariani Actium Manfredum ad Pontificium legatum oratorem mittunt, qui liberam civitatem inique tot injurias pati conqueratur; nullo jure bellum urbi inferri, quae amplius centum sexaginta annis imperatoris auctoritate confirmatam libertatem tenuisset. Quibus auditis legatus eos perduellionis reos agere dira minari, ac perfidis justum bellum se inferre respondit; simulque publicas tabulas, quibus respublica Regiensis Pontifici subjecta probabatur, Actio ostendit: qui cum haec civibus renunciasset, ut a praesentibus malis liberarentur, rectorem a legato dandum recipi placuit. Missus itaque unus ex Piccolominum familia Senensis, qui quod imperium, detrectantibus Caesa-

rianis, plenam in urbe auctoritatem habere non posset, pridie nonas septembris est revocatus. Sunt qui iisdem diebus Actium et Rolandum Roscium sub ineundae pacis specie vocatos, et a legato Bononiae captos, pro obsidibusque detentos fuisse tradunt, ut ab altero Regium, ab altero Parmam extorqueret, quorum fraude eas urbes Ecclesiae ademptas esse dictabat. Eo facto indignati Regienses cum Parmensibus, et Mutinensibus simul a Pontifice defecerunt. Ob id legatus ira ardens cum duobus millibus equitum, et magna peditum manu Castro Recetto capto, ad diruendas Regiensium villas convertitur. Quocumque, fertur, igne ferroque omnia vastat ad Arginis villam, Castellum Sancti Stephani, et Portae Brennonis suburbia incendio demolitus, plurima etiam aedificia, agris undique et pagis direptis a Bortiano Saxolum usque igne consumpsit. Cum per octo dies in Regiensium praedia saeviisset, inexplebili perdendorum hostium rabie Regium reversus, alia Sancti Petri, et Sanctae Crucis suburbia incendit. Contra Vicarius Caesaris Parmam a Petro Roscio vocatus cum Germanorum auxilio Castellum Novum, Brixillum, et Castrum Gualterinum a Giberti Corrigii liberis, qui Pontificium nomen sequebantur, detenta diruit. Cum eo Folleani, caeterique Regienses Caesariani fuerunt, qui pluribus villis direptis, abactam praedam Parmam deportarunt. His ita patratis, Gibellini Regienses magna militum coacta manu Bagnum Mutorum castellum, ubi legati Pontificis copiae se continebant, infestis armis contendunt; sed valido praesidio ibi invento eam provinciam frustra attentarunt; propinquos vero vicos undique depopulati, re infeliciter gesta, domum redierunt. Postridie quam Regienses sunt profecti, Ludovicus Caesar Parmae imperio potitus Marsilium Roscium

ibi Vicarium constituit, et alium Regium legatum misit. Bononiam praeterea se per proditionem occupaturum speraverat; sed conjuratione detecta solum Mutinam a Manfredo Pio obtinuit. *Bononiae Alberghettus Manfredus Faventiae Princeps, et alii quatuor supplicio affecti perduellionis poenas dederunt.* Tridentum profectus Nicolaum Folleanum, et Guiduccinum Manfredum, quos in comitatu habuerat, benigne dimisit, in Germaniamque rediit. Ejus Praefectus omnia imperatoris esse dictitans Mutinensium bonis et mulieribus abutebatur: quare Manfredus Pius specie praedandi abductum civitate exclusit. Cum sexagenis equitibus stipatus Mutina reverteretur, ultra mille Pontificios prope Herberiam invenit, et cum terga dare pro summo dedecore duceret, irrumpens hostes profligavit. Caesi sunt in eo praelio Thomasinus Roscelius, Robertus et Joannes Melius. Germani insperata victoria potiti Regium contendunt, ac ex Divi Prosperi coenobio, ubi pernoctarunt, mille florenorum praedam abstulerunt. Folleani vero, urbe in Caesaris fide confirmata, cum aliis ejusdem factionis urbibus Mutina, Parma, Pontremulo, et Actio Vicecomite defuncti Galleacii filio de mutuo sibi contra communes hostes ferendo auxilio foedus junxerunt. Parmensesque, ad benevolentiam erga nostram rempublicam declarandam, Bonvicinum Oddofredum Regiensem ex assessore Praetorem creaverunt. Pro Pontifice vero, praeter liberas civitates, stabant Albertus, et Mastinus Scaligeri, ex Alboino fratre Canis nepotes, qui patruo Taurisii, quod nuper subegerat, defuncto, in Veronae principatu successerant. Eorum copiis adjutus Pontificis legatus in primis urbi nostrae sacris interdixit, mox ad Striuatorum villam quater mille pedites, et sexcentos cataphractos undique praedia devastaturos mittit, qui, opima praeda

facta, Herberiam se receperunt. Hostium adventum nunciantibus rusticis, cives arreptis armis ex tempore portis erumpunt. Illi Formigenam Mutinensium pagum per proditionem recipere sperantes fugam simulant: sed in itinere a Mutinensibus circumventi, paucis, qui se Herberiam receperunt, servatis, caeteri trucidati captique fuere. Inter alios Baucius a Baisio Florentinarum copiarum dux, et cum decem et octo principibus viris Magretus Roberti Apuliae regis naturalis frater vivus in Caesarianorum potestatem venit. Is cum Rolando Roscio, qui Bononiae in carceribus detinebatur, mille florenis prius a Bononiensibus, Parmensibus, et Regiensibus solutis, est permutatus. Hac illata clade viginti Pontificis milites Flegariae constitisse ab exploratoribus nunciatur: eo celeriter profecti Regienses, praeter duos qui fuga servati sunt, reliquos trucidarunt. *Duae Caesaris cohortes dum, Villanova direpta, Parmam contendunt, apud Mutilenae pontem cum oppidanis Castrinovi atrox praelium commiserunt, et duodecim captis hostes profligarunt.* Exinde Mutinensibus conjuncti Herberiae, quae ab hoste tenebatur, universum territorium igne ferroque devastarunt. At legatus Pontificis, CLX peditibus Corrigio eductis, Castellum novum in Parmensi agro per proditionem accepit: deinde Scaligeri auxilio ingentem a Parmensibus praedam abegit, atque inter Herberiam et Reginm castra posuit. Eam ob causam Parmenses Corrigiensibus graviter irati, quoscumque in urbe sua offenderunt, laqueo necaverunt. Mox Regiensibus et Mutinensibus conjuncti ferme DCCC equites et peditum tria millia Marzajum non longe ab Herberia castellum obsederunt. Pontificii quamquam viribus superiores pugnare non ausi, ut aliquid fecisse viderentur vallo fossaque Saxolum cinxerunt: sed instante

jam hieme cum nihil proficerent re infecta utrinque direptis vicinis praediis ad suas aedes sunt reversi. Inter redeundum Parmenses totum Corrigiensium agrum diripuerunt. *Regii vero antistite Guidone a Baisio a legato Pontificis Sirmiensi, vel ut alii scribunt Concordiensi episcopo facto, ei Guido Robertus suffectus fuit, qui, sequente anno Archiepiscopus Ravennae declaratus, Bartholomaeum Eporediensem successorem habuit.* Etsi libertatis nomen respublica teneret, impotenti tamen Folleanorum, et Manfredorum imperio omnia gubernabantur: et cum de ineunda cum exulibus pace Giliolus Taculus verba fecisset, velut crimen laesae majestatis commisisset, decimo sexto calendas novembris in custodiam deducitur. Insonti, quod cum hostibus conspirasset, objiciebatur; sed de his tantum revocandis agitasse deprehensus quater mille libris Regiensibus mulctatus dimittitur. Ejus propinqui, ne injuriam optimo civi illatam ulcisci possent, a Folleanis et Manfredis Mantuam sunt relegati. Quo die Giliolus captus est adversae factionis Folleani Gulielmus Simonisque defuncti liberi, plebe Toanis cum praesidio capta, castellum quoque Daldum a Guideto Folleano detentum occuparunt. Marchio quoque Malaspina Bonacursio, et Baccarino de Dallo caesis, quod Marcellum vi occidissent, Cumanum et Stardestarolum eorum castra invasit.

In hoc statu urbis nostrae rebus constitutis, Boemiae et Sarmatiae rex Joannes Henrici VII imperatoris filius, et Caroli IV pater Lucemburgensis, ut Longobardiae rex crearetur, Italiam cum valido exercitu venit, et quamplures Galliae Cisalpinae civitates ditioni suae subjecit. Eum velut inter Guelphos et Gibellinos medium primi Brixiani, deinde Bergomates receperunt; mox aliae cer-

tatim proximae urbes admiserunt. Actius quoque Manfredus, et Joannes Folleanus nostrae reipublicae nomine legati cum magnificis donis eidem occurrerunt, Regiique imperium obtulerunt. Idem Cremona, Ticinum, Luca, ac demum Parma mense martio fecerunt. Ipse ad legatum Pontificis Bononiam profecturus, cum Parmam obtinuisset, Regium venit, ubi habitis totius populi comitiis nostrae quoque reipublicae plenam ditionem accepit. Plebs, quae in Folleanos, Manfredosque tyrannice se agentes capitali odio affecta erat, geminatis in coelum vocibus eos morte plectendos esse clamabat: sed ab his splendide exceptus Boemus a sanguine civium urbis imperium auspicari noluit. Ut civibus autem satisfacere videretur, ad paucos dies ipsos urbe excedere jussit. Postridie Mutinam profectus, omnibus illi velut pacis studio felicem adventum acclamantibus, ejus quoque urbis imperio est potitus. At Folleani et Manfredi non multo post reversi ad castigandam civium, ut ferebant, petulantiam decem millium florenorum tributum, aliaque graviora onera patriae imposuerunt. Sed Carolus regem patrem subsecutus iniquam indictionem exigi non permisit. Eum ad XIIII calendas majas Regium venientem universus populus usque ad Divi Lazari nosocomium effusus laeta salutatione excepit. Juvenes, aereis crepitaculis ad crura alligatis, uxores, quae virgatis bombicinis vestibus exornatae erant, manu ad declarandum gaudium extra urbem perduxerunt. Id genus telae erat quod vulgo Cendadum appellant. Carolus duobus mensibus Regii commoratus Gaboadum Tridentinum urbis rectorem dixit, ac populum cum Folleanis et Manfredis dissidentem reliquit. Tandem Nicolaus Folleanae familiae caput, qui Boemo patriam tradiderat, Dinatiano castello, et Gabelli, Tricenariaeque novae juri-

bus donatus pro eo Regii Vicarius creatus fuit. Idem, praeter frumentarias molas, et ampla praedia, etiam trecentos salarii nomine ex bonis reipublicae menstruos florenos obtinuit, et tributum quod indictum fuerat, acerbius exegit. Tricenaria quoque vetus Sancti Quirini Praeposito, qui et ipse ex Folleanis erat, concessa fuit. Itaque sub Praefecti titulo patriae principatum adeptus Nicolaus in primis quinquaginta ex nobilioribus civibus, quos aegre tyrannidem suam pati sciebat, urbe ejecit. Caeterum Boemus, a rege Gallorum pecunia accepta, ad Scultennae fluminis ripam cum Beltrando Pontificis legato secretum colloquium habuit. Ferebatur Philippum Galliae regem cum Pontifice conspirasse, ut Joannes Galliam Cisalpinam subigeret, et captas urbes inter se dividerent. Quae fama adeo Guelphos simul et Gibellinos perterruit, ut amittendi principatus metu etiam veteres hostes contra Boemum simul conspirarint. In id foedus venerunt Florentini, Actius Vicecomes, Mastinus Scaliger, Gonzagus, et Obicius Atestinus: conventumque ut tria millia equitum communi pecunia scriberentur, et conjunctis viribus barbarus Italia pelleretur: ex civitatibus vero quae ab eo detinebantur, Mutina Atestino, Regium Gonzago, Parma Scaligero, Cremona Actio, et Luca Florentinis cederet. Calendis itaque octobris CCL equitum, et plurium peditum coactis copiis primum Mutinam obsederunt. Interea Bernardus Malapressius a Gypso, et Roberti regis frater naturalis cognomento Magrettus, qui in eo exercitu merebant, quadringentis peditibus, et totidem equitibus a ducibus acceptis pridie idus octobris Dinatianum, quod antea Nicolao Folleano a Boemo donatum fuerat, feliciter ceperunt. Exinde, relicta Mutina, universi in Regienses moventur. Folleanus ut domi tutus esset in primis

triginta nobiles, quos nova molituros suspicabatur, urbe ejecit; mox ad recipiendum amissum castellum quam primum copias educit: sed cum locus per se munitus etiam valido praesidio teneretur, et hostes instarent, nihil memoria dignum agere potuit. Manfredinus vero Gorzanum sibi ab Engeramo agnato areptum ipso exeunte recepit. At Carolus Joannis Boemi filius ingenti coacto Parmae exercitu, ut cives ab imminenti obsidione liberaret, Regium venit, ubi Nicolao Folleano, aliisque nobilibus conjunctus hostes ad Sanctum Felicem, dum castra ponunt, aggressus est. Cruento commisso praelio, praeter septingentos, qui vivi capti sunt, caeteros ad unum omnes trucidavit: a meridieque usque ad vesperam pugnatum, et septingentos equites hinc inde desideratos fuisse Sagatius Mutus cognomento Gazzadius sui temporis gestorum diligens scriptor attestatur. Hac nobili parta victoria Boemus Pontifici Regienses conciliavit: sed non diu hac victoria laetatus; dum Ferrariam oppugnare nititur ab hostibus profligatus mense junio, Regiensium Mutinensiumque auxilio, Cremonam se recepit. Denique ubi plurium, qui contra se conspiraverant, potentiam quotidie augeri, tenuesque Pontificis vires, et serum Galli auxilium esse cernit, deploratis rebus, in Boemiam, dum integer reditus erat, regredi constituit. Nobili igitur Germano, qui suo nomine jus diceret, cum valido praesidio Parmae, Regio, Mutinae, et Lucae praefecto, ac certo salario, quod ab his urbibus praestandum erat, illi praestituto, filium praemissum decimo quinto calendas novembris trans alpes est secutus.

Discedente Boemo, Rolandus Roscius hanc occasionem occupandae patriae nactus Parmae imperium arripuit. Ejus exemplo Nicolaus Folleanus et ipse Regium oppri-

mere decrevit. Decimo tertio igitur calendas novembris *cum Vannuccio a Dallo, Tilino a Mandria, Comitibus Gomelli,* et nonnullis Mutinensibus adversus patriam conjuravit, ac magna clientum et sociorum manu stipatus urbem in suam potestatem redacturus ingreditur. In primis ut potentium, quos sibi adversarios putabat, vim minueret, summo mane ad Manfredorum aedes contendit, ac quodam familiari, qui aditum prohibebat, crudeliter trucidato, contra jus societatis Actium cum liberis, Praepositum Divi Prosperi a Castello Guiduccium, Nicolaum et Bonifatium omnes in lecto deprehensos in vincula conjicit. Tum aliis, qui aperte tyrannidi obstabant, caesis, ac caeteris terrore incusso, cum armatis peditibus equitatuque perambulans urbem, quemque in aedibus se continere jubet. Postridie Jacobinus Paganus decurionum princeps populi comitia habuit; in quibus plebi eligendi principis necessitatem exponit; rempublicam variis factionibus teneri, hinc urbi excidium exules minari, illinc cum Atestinis Gonzagas urgere, satius esse noto civi, et id praesertim probante Boemo, quam extraneo vel barbaro se committere. Nondum ad orationis finem pervenerat, cum ex composito Folleanorum clientes Nicolaum principem clamant. Foro undique armis circumsepto, inermis populus libertatem prius sibi ereptam vidit, quam ipse dimitteret: quare ne minus tyranni studiosus videretur, quod adimere non poterat, urgenti necessitate concessit. Lege municipali cautum erat ut, nigris albisve fabis clam in pyxidem missis, de quacumque re curiae voluntas exploraretur; sed cum occultis suffragiis contrarium civium studium fore timeretur, abrogato vetusto civitatis jure, decretum est ut quod proponendum erat, vel stando improbaretur, vel sedendo confirmaretur. Plus

autem quadrigenti cives coacti cum rogarentur, an cum Guidone Riccio Nicolaum Folleanum Principem eligerent, ac nemo ob vitae timorem surgere auderet, silentibus votis eis patriae imperium detulerunt (1). Caeterum ut jure infirmus principatus majori auctoritate niteretur, ad regem Boemum missis oratoribus, est confirmatus (2). *In ea rerum perturbatione Paulus Fossius et alii sex cives electi, qui novos principes pro conservanda justitia rogarent.* Ita urbis imperio potitus Nicolaus, ut ab omni hostium vi se tutum redderet, munitiora quaeque castella in suam ditionem transferre cogitavit. In primis Borzanum a Praeposito Manfredo detentum occupaturus, eo Actium Manfredum, qui ab agnato loci possessionem, impetraret, deduci jubet; sed cum ille a sententia dimoveri non posset, indignabundus Nicolaus Actium cum liberis, aliisque omnibus Manfredis, quorum fida societate antea usus fuerat, amicitiae jure violato, in carcerem conjicit. Solum Praepositum a Castello, qui castrum petitum se traditurum promiserat, liberum dimisere. Sed cum nec ille pollicitis stetisset, irati Folleani collecta militum manu eo infestis armis contendunt, ac pluribus diebus quassatis ariete muris locum frustra oppugnarunt: et post paucos dies Quertiolam vetustum Folleanae familiae castrum deductos Manfredos munita turri incluserunt. Andriolus vero a Dallo, Simone agnato cum liberis caeso, Piolum occupavit. Interim Bononiae obiit Guido Robertus Ravennae Archipraesul. Etiam Bartholomaeo Eporediensi Regii episcopo defuncto, Nicolaus, ut ita sacris praeesset,

(1) Inst. auth.

(2) C. principatus 1. q. 1. c. neque enim. xiv. q. v. Bart. in tract. de tyran. n. xiv et xv. c. nisi pridem de renunt.

quemadmodum profana omnia civitatis jura vendicaverat, translato in Joannem Guidonem et Gibertum fratres cognomento Riccios principatu, a Pontificis legato obtinuit, ut urbis antistes crearetur. His ita gestis Folleani in Corrigienses hostium fautores, omnibus qui in Parmae Regii, et Mutinae praesidio erant Germanis contractis, infestis armis proficiscuntur. Oppidum quaedam Germanorum manus a Boemo relicta cum proscriptis Regiensibus, ac vicinarum urbium sociis tuebatur; qui Folleanorum adventu cognito ad conserendum praelium citato agmine exeunt. Sed ubi explicatis vexillis bicipites Caesaris aquilas adversa in acie viderunt, pro honore quem principi habebant, detractis galeis, projectisque armis se dederunt. Reliqui a sociis destituti circiter ccc, vel ut alii scribunt D, vivi capti Regium sunt deducti. At hostes foederati, ut initae conventioni maturum exitum invenirent, conjunctis viribus in urbes, quas inter se diviserant, arma expediunt. Mastinus Scaliger ut opportunum trahendo bello locum eligeret, et mature Corrigiensibus subveniret, cum trecentis equitibus ad Castellum novum venit, Brixillique se munivit; ubi ab Actio Vicecomite ducentis cataphractis centumque funditoribus acceptis, levioribus praeliis non sine sanguine contra Roscios saepius dimicavit. Demum universis viribus socii principes mense majo Cremonam aggressi, pulso Pontiono Boemi praefecto, eam urbem Actio Vicecomiti tradiderunt.

Prima expeditione feliciter tentata, statim ad opprimendos Regienses *Scaligeri milites Corrigii degentes* citato agmine convertuntur. Folleani armata plebe quam sibi variis blanditiarum lenociniis conciliaverant, et educto Germanorum, quod Boemus reliquerat, praesidio, hostes intercepturi exeunt; militibusque ad Mazzenzaticum, vel

ut alii malunt Gavassetum in insidiis inter densa nemora locatis, venientes expectant. Jam prima Scaligerorum acies transierat, cum, sublato clamore, utrinque hostes aggressi inopinantes intercludunt. Illi conversis armis se primo tueri conati, postea ubi nullum salutis locum inveniunt, abjectis armis, supplices se Folleanorum clementiae committunt. Impedimentis, vestibusque militari more exuti, omnes sunt dimissi, praeter Sessios, qui cum Hectore a Panico, et Joanne Manfredo, centumque aliis post terga revinctis manibus Regium ducti, et custodiae traditi fuere. Sed et hi non multo post ab Alberto Scaligero, qui cum magnam familiaritatem contraxerant, sex millibus sexcentis florenis liberaliter sunt redempti. In urbe vero Folleani omnibus locis munitis, turrim in Divi Stephani suburbiis apud Sanctum Geminianum oppugnandae civitati opportunam calendis aprilis sunt demoliti. Contra Vicecomes, Scaliger, Atestinus, Gonzagus, et Corrigii hostes reparato exercitu, qui triginta millibus peditum, ac sex millibus curruum et magno equitùm numero constabat, nonis maii cuncta igne ferroque vastantes usque ad Divi Stephani portam irruerunt. Quibuscum Folleani ex tempore erumpentes cruentam pugnam in suburbiis miscuerunt, ac, plurimis utrinque caesis, tandem in urbem compulsi sunt. Bartholomaeus Bozzachius, et Gutiolus Albrico strenui duces in eo conflictu periere. Victores urbe obsessa, Sessiis maxime ad id exhortantibus, etiam Regiensium, Parmensiumque agros incenderunt. Verum Joannis XXII Pontificis vigilantia obsidionem solvit, qui sexaginta millibus florenorum in hostium exercitu Germanorum praefectos corruperat, ut excitato tumultu Mastinum aliosque illi conjunctos Principes caperent. Sed conjurationis ordine ad Mastinum delato, valida

Italorum manu statim barbaris opposita, eorum conatus prudenter elusit. Aliquot proditionis auctores supplicio sunt affecti, et viginti octo Germanorum vexilla relictis castris Parmam se contulere. Itaque foederati sociorum auxilio destituti in suas se urbes receperunt. Regienses ubi hostium discessum viderunt ut talionem redderent, Gypsi et Bazzani (Canussiorum qui Obicio favebant haec erant castella) agros populantur. At Gonzaghii, ubi omni obtinendae urbis nostrae spe excidere, pacem cum Folleanis inire simulant. Ex pacto Actius Manfredus, quem tetro carcere jam tertium annum Quertiolae inclusum esse diximus, cum liberis est dimissus. Inter haec defuncto Joanne XXII Pontifice, qui biscenties centena millia aureorum florenorum Ecclesiae reliquit, Mastinus Scaliger Marsilio et Rolando fratribus Rosciis annua quinquaginta millia aureorum florenorum et plura castra pollicitus XI calendas julii Parmam obtinuit. Ea conventione etiam Luca a Petro Roscio fratre sibi promissa, in magnam occupandi quoque Regii spem venit. Violandae igitur pacis religione abjecta septimo calendas septembris usque ad Quatuor Castella Regiensium agrum depraedatus, Gabinianum, id Sancti Pauli nunc oppidum est, et Montem Janum cepit: inde urbem obsessurus ad Sancti Cosmi portam castra posuit. Folleani qui, Cremona et Parma amissa, se destitutos sociis civibus, atque adeo se hostium exercitu cinctos videbant, viribus suis diffisi, de cedenda Scaligeris urbe consilium ceperunt. Quibusdam itaque sibi servatis juribus quarto nonas julii patriam, cujus libertatem summa ambitione antea occupaverant, Scaligeris tradiderunt. Eo die sub meridiem crebra cadentia flumina, horrendaque tonitrua, et creberrima grando, quae universum Regiensium territorium insigni detrimento affecit,

futurae calamitatis prodigium praebuere. Folleani, qui Regii imperaverant, pacto convento, quinque cum mero imperio promissa sunt castella, et singulis mensibus floreni aurei quadrigenti, eo nomine triginta sex pagis ab omni civitatis ditione exemptis in triennium hypothecae obligatis, quae omnia fluxa fide postea irrita fuere. Sunt qui etiam Canussii coenobium a Mathilda conditum, vulgo Abbatiam vocant, illis concessum fuisse affirmant. Mastinus eo modo Regio potitus, prout tertio ante anno convenerat, quinto idus julias urbem Guidoni Gonzagae pro Loisio parente accipienti beneficiario jure ea lege concessit, ut sibi quotannis Veronae falco offeretur [1]. Guido cum Bernardino Carpineti ecclesiae Praeposito, aliisque Folleanis, qui proscripti fuerant, Regium ingressus, postridie hora tertia totius populi comitiis habitis, patris Loisii, et fratrum nomine, urbis imperium obtinuit, etsi rem gestam non ita Blondus recitat [2], et multi Loisium ipsum cum summa potestate Praetorem electum urbis principatum arripuisse autumant. Ugolinus Sessius cum Gottifredo, Palmerio, Nicolao, Frignano, et Philippino liberis, qui diu extorres fuerant, XVII calendas augusti ab exilio revocati, ejusque familiae primus Gottifredus pro Scaligero Praetor jus Parmae dixit. Sed cum primum urbem ingressi sunt innocentem sanguinem civium effundere coeperunt. Emerat eorum exulantium praedia Joannes Boccaccius, quae, Ugolino repetenti, se justo pretio emisse, et quandocumque in judicio sistiturum respondit; et cum uterque se quinque liberorum numero armatum obiecisset, Ugolinus filiis suis maledixit, nisi se Joannis

(1) Joan. Villan. lib. 2, c. XXX.
(2) Lib. X, dec. 2.

natis praestare ostendissent: quare Philippinus insontem, et probatae vitae hominem interfici curavit. Roberti quoque Folleanis conciliati, et Canussii Regium rediere. Loisius vero urbis nostrae princeps constitutus, Hectore comite Panico Bononiensi, qui Allobrogum cataphractorum alae praeerat, urbis Praetore creato, octavo calendas novembris Regium venit: ac Herberiae arce in primis aedificata, non solum intra urbem cives, sed et extra oppidanos misere afflixit. Nobilium enim factiones veritus, ut nulli in vicinis locis se tuendi locum relinqueret, primo Castellum novum mense novembri in Regiensium montibus diruit: deinde Mutiatella quoque solo aequata, etiam Albineae moenia evertit. Postremo in publico palatio, porticu ante fabricata, se muniit, et ut omnino a vi civium se tutum faceret, palatium vetus et eorum, qui in foro habitabant, aedes solo aequavit, ac muro obstructis quae in forum ducebant viis, et civibus qui ibi domos habebant ejectis, etiam conveniendi consuetudine populo interdixit. Tantae acerbitatis causa Venetorum timor fuisse dicitur, qui Florentinis conjuncti grave Scaligeris bellum intulerant. Mastinus enim et Albertus Veronae, Patavii, Vicentiae, et Taurisii imperio Brixiam, Feltriam, et Belluni civitatem adjecerant: nuper vero Parma, Luca, et Mutina potiti ad eam opulentiam pervenerant, ut ex decem urbibus subditis oppidisque septingenta aureorum florenorum millia quotannis perciperent; quem censum, praeter Gallorum regem, nullus tum in republica christiana habebat. His rerum successibus elati non modo Lucam Florentinis ex foederis conventione non restituerant, sed occupatis etiam Fossae Clodiae et Patavii salinis, inique Venetos vexaverant. Quare illi cum Turri Salinarum, Castrum Francum, Conianum,

Saravallum, Montem Bellunum, et alia Tarvisinorum castella invaserant. Quare Gonzagus veritus ne Regium usque progressi a civibus reciperentur, hac arte omnem eorum conatum dissolvere voluit. *In Venetia vero Italiae provincia cum Guido Riccius Regiensis Patavii Praetor esset,* porro Veneti, Petro Roscio duce, qui corporis proceritate gigas, et rei bellicae peritissimus a Scaligeris bonis denudatus fuerat, Patavium obtinuerunt; cujus proditor Albertus, vel ut alii scribunt Marsilius, Carrarius urbis postea princeps factus fuit. Ibi inventus Albertus Scaliger, et Guido Savina Folleanus, cum duobus filiis, captus, et Venetiis custodiae traditus fuit. Nec multo post reliquis Patavinorum finium castris jam in Venetorum ditionem translatis, et Gibertus Folleanus, qui cum Bartholino Quercula filio Scaligeri copiis Praefectus erat, dum Montagnanam per proditionem recipere tentat, profligatus et ipse capitur. Eandem cladem sequente anno apud Montagnanam proditi cum Guidone Riccio sensere. Simon vero Corrigius Abbatem Divi Joannis ex Maranorum familia et Felina oriundum, qui tunc in Parmae suburbiis habitabat, duorum monachorum opera nocte dormientem interfici curavit, et coenobii bona diripuit. Albertinus Levalossius, alterius defuncti ex fratre nepos, qui Divi Prosperi Abbas a Benedicto XII superiore anno declaratus fuerat, impios proditores perpetuis carceribus mancipavit; qui, illis effractis, demum in Gypsum fugierunt.

Inter haec Obicius Atestinus Mutinam Piorum opera occupavit; ad confirmandumque principatum Beatricem Guidoni Gonzagi filiam Nicolao fratri nuptui locavit. At Loisius Aquariam et Pizzigolum, quae Vaninus et Dadalli interceperant, intra septem dies in suam potestatem

redegit; ac Mosclosium, quo Vaninus fugerat, pacta hominum salnte, cepit. Rebusque ita domi forisque confirmatis, ut se undique tutum redderet, ad Sancti Nazarii Portam, ubi nunc latiore muro arx cingitur, se munire decrevit. In primis nobiliorum urbis civium, aliorumque ex plebe hominum, qui non pauci sedes ibi habebant, ad fabricandam commode munitionem aedificia solo aequavit. Non nobilibus tectis, non celsis turribus, quas in familiarum splendorem, aut tutelam ante proceres erexerant, non moletrinis, non sacris templis parcebatur. Praeter ignobiles domos centum viginti primatum civitatis cum magnifico coenobio palatia diruta fuerunt. Id anno MCCCXXXIX sub finem aprilis contigit. Sed cum nec tanta ruina ad extruendum arcem sufficeret, viginti novem aliorum civium aedes ad explanandam extra arcem viam decimo calendas novembris sunt dejectae. Inferioris is est urbis locus, unde civibus rebellantibus minus noceri poterat: sed quod inde Mantuam euntibus commodius iter videretnr, eo loci arcem a Gonzagis munitam fuisse ferunt. Alii maligno animo ad extinguendum nobiliorum familiarum nomen, quae eam urbis partem cum magnificentioribus aedificiis incolebant, eo in loco arcem conditam fuisse memorant. Haec latiore ambitu postea moenibus circnmductis urbicula est appellata. Tanto cives incommodo afflixisse non contentus Loisius, novo onere excogitato, vini emptoribus pendendum vectigal imposuit: et cum semel inventa tributa nunquam aut raro extingui soleant, id etiam hodie exigitur.

Urbem attritam paulo ante aliud malum invaserat. Decimo quinto enim calendas octobris cum cetera extra alveum in Regiensi agro flumina exiissent, etiam Crustumius intra Sancti Stephani portam irruperat, et usque

ad episcopi palatium tantam secum arenam traxerat, ut cubitali altitudine aliquibus in locis inveniretur. Idem in aliis plerisque Italiae urbibus evenisse relatum est, ut proprium hoc urbi nostrae accidisse detrimentum dici nequeat. Defunctus eo anno Ugolinus Sessius in Divi Dominici aede humatus fuit, vir, si ab ira se temperasset, praeclarus; qui in exilio per multos annos Veronae Praetor jus dixit. Mantuae vero propter multiplicatas nuptias laetissimi ludi sunt celebrati. Loisius enim Gonzaga Actii Marchionis Malespinae filiam, et aliam Corradus ejus filius ex Beccariorum familia uxorem accepit. Ugolinus quoque, Loisii ex Guidone filio nepos, Mastini sororem, et contra Actius Corrigius Giberti filius Loisii filiam conjugem duxit. Plures splendidissimo convivio nobiles viri excepti, ac singulis equus cum servo a pedibus, et coccinea veste, nova magnificentia est donatus. Bertonus Robertus, Baronus Canussius, Joannes Folleanus, et alii non pauci aureorum annulorum jure, (nostri equites vocant) exornati fuere. Convivae principes pretiosa et ipsi nuptialia munera sponsis dederunt. Luchinus enim Vicecomes, qui Actio fratri successerat, viginti quatuor argento intextas vestes; et Mediolanensium legati alias viginti duas versicolores; duas item legati Veneti ex bombice villosas, et variis pellibus suffultas obtulerunt. Atestinus duodecim et ipse vestes cum quatuor equis; Mastinus viginti quatuor clavis distinctas argenteis, totidem Jacobus Carrarius variis pellibus suffultas; Cavalcaboves et Beccarii senas; Landi tredecim; Albertinus Canussius ex villosa bombice unam, et alii alias vestes et equos tradiderunt. Eo die Baronus Canussius et Joannes Folleanus cum viginti duobus equitibus hastis specioso spectaculo decucurrerunt; quibus pro praemio Guido Gonzaga binos

equos, et totidem vestes, alteram coccineam, alteram ex examito variis pellibus suffultam liberaliter est elargitus. Regii vero aliud novum mense maii in speciem religiosum spectaculum contigit. Plures enim ad D. Michaelis a nemore templum pro celebri ejus die convenerant: ibi sacerdotis concubina, egregia forma mulier, ex tempore flagello se caedere coepit: uno atque altero ejus exemplum imitante paulatim ceteri, ut facile rudioris ingenii homines moventur, ad decem millia se flagris verberarunt, et usque in Corigisiardum Cremonensium pagum Regienses, Parmenses, Placentini, Cremonenses, et Brixiani simul coacti pervenerunt, qui velut ad expianda crimina vocati, vilibus induti vestibus, multa donaria eo attulerunt. Sed id sacerdotis technis factum fuisse Cremonae antistes deprehendit; et utrumque ad ignem damnatum carcere inclusit: sed postea Gonzagarum precibus dimisit.

At Scaliger Gonzagorum potentiae invidens, simulque Parma Veronam usque imperium proferre cupiens, *Gazalandum* Regii Praetorem *Boratium ejus agnatum* corrupit, ut urbem nostram, et Mantuam per proditionem sibi traderet. In fossam, quae per medium forum ad arcem excurrebat, recipiendi erant milites, et cum arce Mastino urbs tradenda. Sed re comperta Praetor securi est percussus, duo ejus filii innocentes reperti sunt dimissi; et aqua, ne quid simile imposterum committi posset, in aliam partem derivata, et fossa congesta terra complanata fuit. Folleani quoque jam severum Gonzagorum, quibus urbem tradiderant, aegre imperium ferre simulque perfidiae ipsos accusare, quod promissa non praestarent, clam apud cives velut crudeles tyrannos criminari. Demum per clientes, quorum magnum numerum habebant, populum ad libertatem vocant: quo tumultu perterritus Loisius in

arcem est compulsus; sed non multo post pacata civitate seditiosos expulit, ac Gonzagam castellum, in quod imminente periculo se reciperet, magna celeritate munivit. Contra Folleani, re minus prospere gesta, Dinatianum, Quertiolam, et Vectianum, atque in alia suae ditionis loca se receperunt. Gazzadii quoque Gazzatam castellum antea debili muro cinctum munierunt, ubi post paucos menses Lancea Joannis Gazzadii filius, et Nicolai frater, a Gratianis, qui Thomasini Flordebelli ecclesiae Prioris praedia colebant, ob quaedam convitia interfectus fuit. Id sub ulmo mirae magnitudinis actum fuit; quae in quadrivio ad tantam crassitudinem pervenit, ut vix quinis hominum ulnis comprehendi possit; simul fulmine tacta vetustam intus caveam contraxerat, in qua saepe mensae sterni et boves includi consueverant. Nicolaus et ipse post triennium, dum Thaddaeo fratri in capite lethaliter vulnerato opem ferre nititur, occisus fuit; vir manu strenuus et statura omnium maximus cum Grino fratre Regii humatus afflictam, et humilem familiam reliquit. Guido etiam Joannem Bebbium Jacobi jureconsulti filium, dum sacris interesset, castello Bebbio expulisse, et supellectilem impotenter diripuisse dicitur. Loisius qui Scaligerum harum turbarum auctorem credebat, clam Actium, et Guidonem Corrigios Giberti filios ad extrudendum Parma Mastini praesidium sollicitare, illisque omne ad occupandum ejus urbis principatum auxilium polliceri. Tandem ubi eos, quod Mastini avunculi essent, vix persuasit, ad condictam diem Philippinum cum magna Regiensium manu Parmam misit. Corrigii ex composito per clientes tumultu excitato per aliquot horas pugnaverunt; ac demum Petrum a Verme, et Gibertum Folleanum, qui urbem Scaligeri nomine tenebant, patria ejecerunt.

Mastinus Parma amissa, cum etiam Luca se cariturnm videret, quamprimum Obicio Atestino et Bononiensibus adversus Gonzagos se conjunxit, ac Mantuanorum agrum igne, ferroque vastavit. Contra Loisius cum Luchino Vicecomite Mediolani principe foedere percusso ad recipienda quae a Folleanis possidebantur castella animum intendit. In primis ad diripiendum Scandiani agrum conversns nonas junii Recettum est populatus, ac Matthaeum Folleanum locum, salvis rebus et hominibus, cedere compulit. Ab alia parte Bojardi et ipsi magno cum pauperum detrimento Bagni pagum cum animantibus incenderunt. Ceterum cum Albertus Scaliger non mediocrem ex Mantuano agro praedam abigeret, Philippinus et Feltrinus Loisii liberi ei illitam sanguine chirothecam miserunt (id futuri conflictus signum erat): eam laeto animo accipere Albertus simulavit, sed relictis impedimentis sequenti nocte tacitus discessit. Hostis versntia cognita, Gonzagi cum suis et Luchini copiis in Scaligeri fines populabundi incursionem faciunt. Mastinus ut erat ingenio ferox ad arcendam vim portis erupit, ac praelio prope Nngarolam Veronensium oppidum conserto, ingenti strage est profligatus, multique Mantuam captivi sunt deducti. Reliquum anni in diripiendis villis est consnmptum. Regienses Sabionem, Casalem magnum, Turicellam, Quertiolam, Carpinetum, Livizzanum, Sanctum Valentinum, et Rodelliam Folleanorum castella per octo dies devastarunt. Contra illi cum alia via Loisium ulcisci non possent, ad Quatuor Castella diripienda convertuntur. Philippinus Canussius, qui in Gypsi et Crustuli oppidis se continebat, ubi sua rapi cernit, cum Manfredis sociis hostes in fngam egit, ac quatuor tantum captis, quadraginta trucidavit.

Hac clade accepta, Joannes, et Guido Folleani Giberti fratris consilio Obicio Atestino et Scaligeris se conjungunt. Gibertus virtute belli clarus egregiam operam in pluribus praeliis ostenderat, Thaddaeumque Pepulum jureconsultum, qui Bononiam occuparat, adversus Florentinos copiarum imperator non solum strenue defenderat, sed ultro etiam hostes saepius afflixerat. Postea vero quindecim millium florenorum honorario oblato Florentinorum dux creatus Lucam, quam illi centum octuaginta millibus florenorum a Mastino emerant, adversus Pisanos cum Frignano Sessio, qui postea in praelio caesus est, diu defendit. Tandem cum promissum stipendium retardaretur Lucenses longae obsidionis pertaesi a Giberto impetrant, ut, debita accepta pecunia, discedat. Itaque florenos a Pisanis mutuati eum soluto promisso salario dimiserunt; Pisanos se dedentes obsidione liberarunt. Gibertus ergo jam apud omnes celebris factus facile obtinuit, ut fratres cum Atestinis, et Scaligeris adversus Gonzagos foedus percuterent. Hac re comperta Loisius ex Folleanis, et eorum clientibus quos capere potuit, necat, alios proscripsit. Caeterum illi exulum manu sibi adjuncta Regiensium agrum Parmam usque incenderunt. Horum princeps erat Joannes Ricciolus copiarum Mastini imperator, qui ea omnia ad concitandum in Gonzagos populum facere credebatur. Supervenientibus postea Bononiensibus et Scaligeris reversus triginta quinque dies in diripiendis, comburendisque villis, et capiendis vivis non sine plurium caede consumpsit. Frumenta quae ad alendos agricolas servabantur evecta, et cum supellectile jumenta, ac reliquum pecus abactum; nullum denique, quod a saevissimis barbaris committi posset, intactum facinus relictum fuit. Infelices rustici laboribus suis se fraudari frustra

lacrimari, suas quoque dirutas villas desolatosque agros cives conqueri. Praedam, ut omnis ejus recipiendae spes adimeretur, certatim Mutinenses emerunt. Verum non multo post Luchinus, et Gonzaghi cum hostibus in triennium, intercedente Pontificis legato, inducias pepigere. Vacabat eo tempore Imperium, Bavaro deposito; quare Benedictus XII Pontifex veritus, ne Italia ab aliquo externo hoste invaderetur, vel, ut alii malunt, accepta quinquaginta millium florenorum summa, Pontificia auctoritate Luchinum Vicecomitem Mediolani Vicarium, velut Ecclesiae vices gerentem creavit. Mastino quoque Scaligero in Veronenses et Vicentinos, Gonzagae in Mantuanos et Regienses, Albertinoque Carrario in Patavinos idem jus tribuit. Obicio item Atestino annuum decem millium aureorum Ecclesiae persolvendum tributum imposuit, ac Ferrariae, Mutinae et Argentae possessionem confirmavit. Itaque tum primum Regium a Loisio decreto Pontificis teneri coepit (1), qui ut jam afflictis Regiensibus novam calamitatem adderet, duplicatis vectigalibus, etiam monetam ad dimidium ejus pretii, quo ante permutabatur, adulteravit; deinde novam antiqua adeo deteriorem percussit, ut quartam pristinae aestimationis partem vix attingeret. Philippinus vero Canussius acceptae a Folleanis injuriae non immemor, Vectianum eorum castellum per quinque menses obsessum per deditionem accepit, et sequenti anno MCCCXLIII Loisio tradidit. In urbe vero nonnulli ex Manfredis, et Dadalli opibus et auctoritate apud populum plurimum potentes Gonzagis suspecti, bonis et ditionibus spoliati cum liberis in carcerem sunt conjecti. Sed Dadalli Luchino Vicecomite intercedente mox dimissi

(1) Plat. in Benedicto XII. Blond. lib. x, dec. II.

fuere. At Mastinus foedere cum Folleanis renovato usque ad moenia Regii agros depopulatus, Mantuae etiam praedia diripuit. Exinde cum non mediocri militum manu, et Folleanis in Regienses reversus maximum rusticis terrorem incussit; qui recentium rapinarum memores undique ex agris cum armentis, et paupere supellectili in urbem trepidanter confugerunt. Folleani seu nostrorum calamitatem miserati, seu populum aliqua arte sibi conciliaturi, capitali poena suis denunciata, nisi a Regiensium rebus abstinuissent, omnibus tutum in villas reditum proclamarunt: solisque Loisii agris direptis, Suzariam insulam, Regiolum, D. Benedicti paludes, et Sarminum, loca tamen Regii ditionis subjecta, sunt depraedati. Gonzagii vero D. Prosperi in suburbiis munitissimam turrim, quamplurimis eversis sepulcris, fossis cinxerunt; et Actium, Guidonemqne Corrigios, quibus paulo ante occupandae Parmae auctores fuerant, ex urbe cum Luchino Vicecomite infestis armis expellere conantur. Sed Actius cum potenti hosti resisti non posse videret, re cum Joanne fratre, et Cagnolo ex fratre Simone defuncto nepote clam communicata, eam urbem septuaginta millibus florenorum aureorum, contractu Mutinae celebrato, Obicio Atestino vendidit. Gibertus Folleanus cum trecentum cataphractorum turma vacuam ejus possessionem accepit. Soluta Actio est pecunia, quam cum, urbe tradita, cum Guidone fratre dividere deberet, discedens clam secum abstulit. Guido, re comperta, Brixillum, Gibertus vero et Actius ejus filii alter Guastallam alter Corrigium concessere, Cagnolus vero Castrum novum obtinuit. Philippinus, qui Parmam cum exercitu profectus, ejus dominatum se obtenturum sperabat, ubi id cognovit, collectis vasis ab obsidione discessit. Obicius, cui emptae

urbis imperium accepturo per Regiensium agros transenndum erat, tuto eundi fidem a Gonzagis impetravit illaesusque Parmam pervenit. Civitatis vero principatu accepto, et rebus ex sententia compositis, adversns Lnchinum, et Gonzagos, Scaligeris, Pepulisque Bononiae principibus se conjunxit. Ea re cognita Philippinus, ut Mutinam reversurum interciperet, ad Ripaltam villam, qnae tribus passuum millibus Regio abest, dnplici acie in insidiis se collocat. Obicius qui accepta fide nihil hostile metnebat, praemisso cum trecentis equitibus Giberto Folleano, ipse post terga inermibus domesticis, et paucis equitibus stipatus sequebatur. Vix prima latentium manus praeterierat, cnm ex tempore exiens Gonzagus hostes utrinque circumdat. Non paucis caesis, caeteri omnes capti, qui praeter centum Mutinenses ingenti pecunia sunt redempti. Inter eos Franciscus Atestinus, et Galassus Medices Ferrarienses, Gibertusque Folleanus cum Ludovico et Bartholino filiis, ac nepote ex fratre, Bonifatins Baroni Canussii filins, Joannes Corrigius, ac viginti tres tribuni militares, aliique nobiles viri fuere. Sed Gibertus Mantuam cum liberis ductus, et cnstodiae traditus, Ludovicnm filium, qui in praelio vulneratns fuerat, amisit; luctum auxit per biduum in carcere ante moestum patrem jacentis filii relictum cadaver. Sed is postea dimissus, et coenobii Divi Prosperi possessione in Fraxanensi agro donatus Budrianum castellum aedificavit, et gravi bello hostes afflixit. Obicius fuga elapsus Parmam se recepit: deinde cautius per colles Mutinam reversus de rupta fide postea cum Philippino conquestus est; sed ille subtili cavillatione se aditum, non reditum concessisse respondit (1).

(1) Contra Bar. in l. utimur de sepul. vio. abb. et alios in c. ult. de treg. et pac. Bar. in l. 1. ff. ad Jul. majest. in l. 1. de nauf. lib. x.

Ob haec Loisius auxilio Luchini ad diripiendas Parmensium, Ferrariensiumque villas est conversus. Contra Folleani Bononiensibus sociis sibi adscitis Suzariam, Regiolum et Sanctum Benedictum in agro Mantuano incenderunt.

Sed omnium miserrima erat Regiensium conditio, qui foris ab hostibus attriti, et Sancto Paulo, Quatuor Castellis, Copriaco, aliisque castellis direptis, et incensis, a suo etiam Principe affligebantur, qui Vanuccium a Dallo cnm Manfredo filio, ademptis castris, in vincula conjecit, quos tamen non multo post Luchini Vicecomitis precibus dimisit. Is proximo sequentis annis MCCCXLV mense januario civium, quos suspectos habebat, villas depopulatus, in Parmenses profectus est, quibus ad Castellum novum obviam factus, atroci praelio octoginta equites caecidit. Dum alii, qui cladi superfuere, fuginnt, terrificum terraemotum contigisse memorant. Hac victoria potitus Gonzagus mille ducentos equites in suburbiis, DCCXXV peditum cohortes in Divi Prosperi coenobio collocavit, qui omnia praedia undique vastarunt. Post haec Mutinensium agro diripiendo intentus usqne ad Ficarolnm Ferrariensium castrum tertio idus martii omnia igne ferroque vastat. Atestiuus vero primo Castellnm novum profligatis decem et octo cataphractis, qui illud tuebantur, occupavit: mox Quatuor Castella cum Sancto Paulo Giberto et Gulielmi Canussii liberis tradentibus invasit. Exinde Scaligero, Pepulo, et Carrario conjunctus plus trium millinm equitum, ac plurimorum peditum coacto exercitu adeo arcta obsidione Regium undique cinxit, ut nihil annonae eo inferri posset, et urbs brevi in hostium potestatem ventura esse crederetur. Luchinus et Gonzaga dubio praelio se committere non ausi ex Regiensium castris crebras eruptiones in Parmenses, vel in hostium

castra faciebant. Sed illi, plurimis morbo consumptis cum etiam Franciscus Atestinus, et Maffeus a Ponte copiarum imperator decessissent, ineunte octobri obsidionem solverunt. Atestinus tamen Gonzagos vexare non destitit, qui Gabianum et Quatuor Castella, quae a Canussiis tenebantur, proximo mense junio occupat. His malis afflicti Regienses et intolerabili tributorum, rapinarumque onere oppressi, Gonzagos etiam cum summo vitae discrimine expellere tentant. Animum addebant Folleani, qui clam amicos ad ejiciendum tyrannum frequentibus literis, nunciisque sollicitabant. Demum in eum duplici conjuratione separatim est conspiratum. Per cuniculum enim, qui alte effossus armatum hominem capiebat, et sub domibus ad Portam Brennonis pergebat, Folleani urbem invadere cogitabant. Ab alia parte Roberti, et Manfredi, quibuscum universus fere populus consenserat, connivente urbis Praefecto, praesidiarios milites expellere, Feltrinoque trucidato, libertatem recipere volebant. Tempus, quo in Fratrum Minorum viridario se oblectare consueverat, ad patrandum facinus idoneum delectum fuit. Sed re a Praefecto patefacta, dum conscii in omnibus latebris quaeruntur, alia quoque detecta est conjuratio. Itaque Roberti et Manfredi conjurationis principes capti, ac cives quamplurimi variis cruciatibus affecti fuere. Non pauci in carceribus necati, aliis novo supplicii genere facibus succensis venter est ambustus: quidam in tormentis expirasse, et aliqui, cum ob duras quaestiones ultra biduum supervivere non possent, semineces mille, et quingentis libris Regiensibus vitam redimere coacti, ubi domum pervenere periisse feruntur. Nonnulli vero animo ita obstinato obduraverunt, ut cum pecunia se liberare possent, nulla salutis ratione habita, quam obolum solvere laqueo sus-

pendi maluerint. Major populi pars suspecta in suburbia relegata per aliquot menses extra urbem habitavit. Ejusdem criminis Albertinus Levalossius Divi Prosperi Abbas, et ejus frater coenobii Prior insimulatus cum decem et octo monachis vinctus cavea in arce est inclusus, nec multo post, religiosis velut innocentibus dimissis, Mantuam ad supplicium est deductus; qui, solis familiaribus conjurationis reis repertis, insons dimissus, Parmae Vicarius fuit. Joannes ejus pater quod liberis fugam consuluisset, et ipse captus, in mille quingentis libris Regiensibus, quas coenobium solvit, mulctatus fuit. Sagacinus harum historiarum scriptor non indiligens, hujus filius fuit. Eo quoque universa coenobii supellex cum vasis sacris delata, LXXX florenis postea redempta fuit.

Joannes et Guido Folleani ubi conjurationes sibi male cessisse animadvertunt, patriam temere labefactatam repetere alia arte conantur. Cum Cabriotto enim Canussio conveniunt, ut Mastino urbem prodat. Is Comitem Aspri et Arnoldum Bacchi Germanos, Matthaeum Ponteracarium Brixianum, Carlorumque Placentinum cum magnis copiis eo mittit. Interea Giberto Folleano duce exules coguntur. Dies proditioni destinata aderat, cum Atestinique auxilio ad Portam Brennonis extemplo fossa ponte juncta sub auroram a Cabriotto Canussio in urbem recipiuntur. Jam quingenti ex moenibus in forum explicato vexillo descenderant; cum Manfredi et Sessii implacabiles Folleanorum hostes ad armorum strepitum exciti venientibus occurrunt: diu pugnatum est; tandem pluribus caesis, nec paucioribus captis, caeteri in fugam versi urbe sunt expulsi. Dum trepidi simul omnes exire cupiunt, prae onere fracto ponte, plurimi praecipites in foveas cadunt. Viginti duo, et in his Bernardus Folleanus

Giberti filins aqua obruti, reliqui natando evaserunt. Quidam etiam Gibertum ipsum, qui eo die ob egregia gesta equestri dignitate cohonestatus erat, et Actium Corrigium in eo conflictu periisse tradunt. Cabriottus proditionis auctor clam urbe elapsus cum Obicio postea vixisse dicitur. Postridie Philippinus, Corradus, Feltrinus, et Ugolinus Gonzagi metu hostium liberati cum tribus millibus equitum Cremonam Vicecomiti auxilio futuri proficiscuntur. Ibi nonnullis castellis captis prope Colurnum contra Atestinum castra locant, at ille pugnare non ausus Regiensium agrum depopulatur; postea calendis septembris ad Divum Marcum ex tempore ingenti impetu urbem invasit. Jam, moenibus superatis, prope erat ut civitate potiretur nisi excitati cum populo milites ad repellendum hostem celeriter contendissent; crudeli pro muris commissa pugna, plurimos caedendo et capiendo, hostem iterum repulerunt. Joannes Malatacchius, et Simon Manabarolus Regienses summae existimationis viri proditionis accusati in muris capti a Philippino postridie laqueo necandi sunt jussi; sed mature nocte egressi ad regem Apuliae confugerunt, a quo Joannes aureo baltheo pro equestri dignitate donatus et militibus praefectus fuit. Ob eam cladem Atestinus animo non deficiens rursus ad obsidendum Regium revertitur. Quod prope D. Barnabam munitionibus erectis profunda fossa, et vallo cinxit: sed cum abunde munitam urbem per transfugas cognovisset et fluminum eruptione castra corrumperentur, ferro et igne praediis vastatis, ad Herberiam, unde venerat, circumvallandam rediit. Ibi quoque oppidani fossam, quae hyberna pluvia excreverat, inciderunt, et intra hostium tentoria aquam miserunt: quare impedimentis omnibus relictis, discedere coacti, postea templi Mancasalis turrim

occuparunt. Contra Philippinus Loisii filins, ut paria referret, sub Parmae moenibns et ipse subsedit; reliquus vero exercitus usque ad locum, ubi nunc est Bagnolum, late se extendens a nullo rapinarum genere se temperavit. In primis ad Quatnor Castella, quae Obicius ceperat, agros incendit. Mox in Divi quoque Prosperi coenobio vasis vinariis cum viliore supellectile exustis, pistrina dejecit, atque alias plurimas villas diripuit. Verum cum annona laboranti Parmae Atestinus abunde comeatu subvenisset, Gonzagus non mediocri etiam, ut aliqui sentiunt, clade accepta discessit.

Sequente anno MCCCXLVI ingenti terraemotu per universum terrarum orbem facto cum universis aedificiis multae turres corruerunt. Regii vero Roberti, et Manfredi, quos Philippino in Fratrum Minorum viridario caedem machinatos fuisse memoravi, ex carceribus dimissi non quieverunt. Illi enim Sanctum Martinum, et hi Bortianum sui juris castella Obicio Atestino dederunt. Gonzagi eorum agros populati etiam in urbe ad centum et quinquaginta suspectos cives in vincula conjecerunt; quorum magna pars post terga revinctis manibus Mantuae custodiae tradita fuit. Alii ferme numero quinquaginta non modica pecunia se redemerunt. Atestinus nondum viribus attritus duorum millium Germanorum auxilio a Scaligero impetravit, ipse aliis Italorum amplius quatuor millibus equitum copiis ad Pratum Merli Regiensium pagum diripuit. Demum nulla memorabili re gesta, cum Philippinus, Corrigiensium agro incenso, Mantnam rediisset, cum hostibus usque ad calendas novembris inducias fecit. Inter haec Sancti Felicis et Gortiani Mutinensium castella a Leonardo Pio occupata, non multo post, prodentibus Mirandulensibus, Atestino reddita fuere. Urbs vero Parma

continuis Luchini Vicecomitis praeliis pene consumpta aegre retinebatur. Quare a Giberto Sanvitali persuasus, ut ea urbe Vicecomiti vendita a bello discederet, Veronam ad Scaligerum proficiscitur, ubi Joanni Mediolani Archipresuli et Luchino fratri Parmam sexaginta millibus florenorum, pace inita, vendidit: cujus rei etiamnum Francisci Pethrarcae tum Parmae Archiflaminis extat epistola. Civitate quae belli causa fuerat accepta, Vicecomites Obicio Atestino facile Gonzagos conciliarunt. Ex pacis legibus proscripti Regienses, praeter paucos nobiles, qui Mantuae habitare jussi sunt, ab exilio in patriam revocati, ademptaque castella sunt restituta: et Gonzagus in Bortiani, et Sancti Martini ubi etiam arcem extruxit, castellis receptis praesidia imposuit. Contra Atestinus Castellum Arianorum et Campum Gajanum munivit. Eo tempore pluviarum copia Crustumius erumpens usque ad Sanctum Michaelem a nemore omnia inundavit, quod futurae calamitatis prodigium fuisse plerique crediderunt. Ex Syria enim non multo post reversae Genuensium triremes pestem in Italiam attulerunt; quae latius serpens etiam in Galliam Cisalpinam, Hispaniam, Britanniam, et Germaniam usque pervenit. Sed in Italia praeter Mediolanum, et Parmam paucae civitates ab ea lue illaesae permanserunt, et Regii plurimi sunt consumpti: Bertonus quoque Robertus in Divi Martini castello decessit. Novo morbi genere sanguinem expuebant, ac triduo nullam sibi opem medicina ferente expirabant. Alii in sanguine vel sub ala nata glande pauci evadebant. Denique medici eodem morbo extincti auxilium aegrotantibus afferre desierunt. Sine sacerdotibus destituta cadavera relinquebantur, quae demum morientium numero superante passim inhumata jacuere. Amici, affines, cognati, et conjuges

se invicem destituebant. Foro deserto diu institium fuit. Nemo contrahere, vel testari, desolata templa, infrequentes viae publicae videri, domus inhospitae squallere. Duobus annis haec lues debaccata, postea saepius in Italia resurrexit, nec nisi anno MCCCC penitus extingui potuit. Tantae calamitati annonae caritas accesserat, quae continuum quadriennium perduravit: sextarius enim frumenti centum pondo solidis hodiernis XL quod magnum illis temporibus pretium fuit distrahebatur. Sequenti quoque mense aprili asperrima hyeme omnibus innhorrentibus campis vites periere, et vinum majore in amphoram pretio venditum pro re inaudita in annales relatum fuit.

Inter haec superioribus annis Carolus Apuliae rex, Andreasio ex Carolo Martello nepote ac Roberto et Ludovico Tarenti antistite liberis relictis, decesserat. Robertus Apuliae regnum obtinuerat, quod ut demum Andreasio honeste restitueret, illi Joannam ex praemortuo filio neptem in matrimonio conjunxit, et imperium, quod vi arripuisse videbatur, dotis nomine restituit. Sed flagitiosissimae femminae libidine marito necato, Ludovicus, qui patri in Pannoniae regno successerat, fratris injurias ulturus in Italiam venit: cui Philippinus Gonzaga cum ducentis cataphractis quos barbatos vocabaut, et trecentis peditibus opem laturus in Apuliam contendit, ubi re prospere gesta tertio nonas martii domum reversus, Scaligeros et Vicecomites commisso praelio superavit. Isabella cognomento Fusca, ex Fliscorum gente nobilissima, et Luchini Vicecomitis parum pudica uxor, belli causa fuisse dicebatur; quae ut celebritatem dierum Ascensus Christi spectaret, Venetias ornatissima classe per Padum devecta prostratae pudicitiae infamia apud Ugoliuum Gonzagum

Guidonis filium, et Dandulum Veneti Senatus Ducem deflagravit. Scaliger qui nullam evertendae Gonzagorum familiae occasionem praetermittebat, crimen ad maritum Luchinum detulit; qui hac insigni injuria graviter commotus cum Scaligero in adulteri, et ejus propinquorum perniciem conjuravit. Ac tum forte cum eos in Mantuanos conjunctis viribus irruentes Philippinus offendisset, acie profligavit. Praetor quoque Regii Acandriam praeter arcem viriliter defensam expugnavit, sed eo postea Folleanorum opera caeso, Ugolinus, et Georgius ejus nepotes castellum obtinuerunt. Demum et Georgius Ugolinum cum filio annorum quatuordecim trucidavit, et solus loci imperium adeptus adversus Gonzagos Folleanis adhaesit. Sub id tempus Actius Sessius Giberti Folleani filiam, quam postea adulteram inventam occidit, uxorem duxit; ac soceri auxilio Gazatam, quam ad se spectare asserebat, trecentorum militum manu frustra oppugnare conatus est. Tandem Joanne Coactio castri Praefecto prodente eam obtinuit. Thaddaeus Mutus loci dominus rusticorum, et familiarium armis se aliquamdiu defendit; demum hostes introductos sentiens tenebrarum beneficio conservatus est. Petrus Mutus cognomento Gazadius, et Divi Prosperi coenobita, harumque historiarum diligens scriptor, inde se puerum annorum quatuordecim a patre Francisco extractum fuisse scribit. Is Sagacini Levalossii nepos fuit. Alius Petrus ejus agnatus captus et in vincula est conjectus. Luchinus Vicecomes Mediolani Princeps ab adultera conjuge, cui mortem minatus fuerat, ut plures suspicati sunt, lento et tabifico veneno sublatus decessit. Huic praeter Mediolanum aliae sexdecim urbes cum magna Pedemontanorum regione, et Crema olim Diuguntorum oppidum paruerant; ad eam denique imperii magnitudi-

nem et opulentiam pervenerat ut nunquam minus tribus millibus equitum, et saepe quinque millia aluerit, quod nullus tum in orbe christiano rex, vel princeps fecit. Joannes Mediolani Archipresul ejus germanus frater, quod praeclara humanitatis laude civium gratiam promeruisset, omnium consensu Insubriae Princeps est declaratus. Ferocioris enim ingenii Luchinum supra alios principes Mediolanenses timuerant, et Joannem Barnabae, et Galleatio alterius fratris defuncti liberis tanquam clementiorem praetulerunt. Eos ob insidias sibi paratas in extremas Belgici oceani urbes patruus Luchinus, consciis suplicio afflictis, relegaverat tanta animi indignatione, ut epistolis ad principes christianos passim missis nepotum ex fratre scelus evulgaverit. Sed rerum potitus Joannes illos statim ab exilio revocavit, ac cum caeteris suo imperio finitimis, et Gonzagis pacem inivit, quibuscum se nunquam conciliatum iri durioris ingenii Luchinus juraverat, nisi suo omnes stipendio meruissent. Feltrinus rebus cum potenti hoste compositis ad recipienda Regiensium castella, pellendosque Folleanos convertitur. Ad eam expeditionem obeundam crebra latrocinia, et grave nuper ab illis commissum scelus maturavit. Comitis enim Flaminiae fratrem cum magna pecunia per Regienses iter habentem decem millibus aureorum spoliaverant. Enorme facinus ipsi etiam Regienses detestati impellentibus Gonzagis mense junio Piantium eorum castrum, quod Bartholino Gulielmus Folleanus ademerat, expugnarunt; exinde Gazatam obsederunt. Demum hostes fame domiti venia tantum vitae impetrata, cum bonis se dediderunt. Castellum, et alia numero sexdecim, quae Folleanorum fuerant, funditus eversa ingentem novandarum rerum occasionem ademerunt. Mox Bortianum, Sanctus Valen-

tinus, Batiolanum, Rodelia, Padulum, Piogna, et Sanctus Paulus ad universum urbis nostrae pacandum territorium a Gonzagis capta, et solo aequata fuere. Sed Sanctus Valentinus, et Castellum novum in Parmensibus sequente anno MCCCL mense januario a Bonifatio Folleano restauratum fuit: quo tempore inter Scaligeros et Gonzagos induciae promulgatae fuerunt.

Annus Jubilaeus vocatus centesimo quoque anno, quo Saeculares ludos, a tot annorum saeculo vocatos, faciebant veteres a Bonifacio VIII ad plenam delictorum veniam institutus fuerat; sed cum ejus curriculi terminos brevior humana vita attingere non posset, tum Clemens VI Pontifex quinquagesimo quoque anno Petri et Pauli Apostolorum limina visitantibus eandem gratiam concessit (1); et Regienses quibus ob parricidia quae in Ecclesiae rectores patraverant, jam vicenis duobus annis sacris interdictum fuerat, sexto calendas junii diris solvit, quos plurimi tot ruinas perpessos esse existimant, quod innocenti effuso sanguine inferorum poenis essent devoti. Inter haec ingenti conflato exercitu nobilis Germanus Flaminiae a Pontifice praefectus, quem comitem vocabant, Faventiam, et alias non paucas urbes Ecclesiae nomine invaserat. Ad eum Joannes Pepulus tum Bononiae Princeps mutui colloquii habendi gratia accessit, qui primo adventu honorifice exceptus, postridie ut ab eo Bononia extorqueretur cum liberis et Actio Corrigio seniore et aliis, qui mox dimissi sunt, in vincula conjectus est. Sed ille urbem quam Jacobo fratre commiserat, primo se in potestate habere negat, tandem triginta millium florenorum pacta summa, filiis donec solveretur pro pignore detentis,

(1) C. dudum de poenit. et remis. in extr. con.

dimittitur. Is statim ad Joannem Archipresulem Mediolani profectus de injuria sibi a Germano contra jus, fasque illata, longa oratione queritur. Clementis inexplebile regnandi desiderium in dies augeri, si per otium quandoqne liceat, etiam in Insubriam arma conversurum. Dum exiguum facile est extingui posse incendium, sibi, cui etiam liberi ex tyranni manibus sunt redimendi, ad resistendum vires deesse; ipsi Bononiae principatum concessurum pollicetur, modo ad liberandos natos praesentem pecuniam numeret, annuum, unde pro dignitate vivat stipendium, largiatur. Cum petita obtinuisset, et liberos redemisset, Galleacio Archipresulis ex fratre nepoti, qui magna militum manu cum Joanne Olegiano duce venerat, urbem Bononiam tradidit. Clemens qui se eam civitatem in potestate habiturum speraverat, ubi hac arte se delusum cognovit, sacris Mediolano, omnibusque Archipresuli subiectis locis interdixit: ac misso in Italiam Gulielmo Chrysanto legato, qui postea Pontifex factus Urbani V nomen tulit, Florentinos et Mastinum in Vicecomitem incitavit. Flaminiae Comes Scaligeri auxilio Bononiam oppugnare adortus, a Barnaba, altero Archipresulis ex fratre nepote, et Philippino Gonzaga est repulsus. Tandem post duos annos inita pace convenit, ut duodecim millibus florenorum aureorum quotannis Ecclesiae solutis Vicecomites beneficiario jure Mediolanum tenerent. Gonzagi quoque Scaligeris et Folleanis conciliati non diu pacem servaverunt. Sancti Petri enim castro Bononiensi per proditionem Comiti Flaminiae tradito, Bononiae Bonaventura Folleanus Joannis Andreae filius, qui ejus conspirationis auctor habebatur, securi est percussus. At Ugolinus Gonzagus, ut Barnabae subveniret, Bononiam cum pluribus copiis profectus amissum castellum recepit.

Contra Mastinus Frignanum naturalem filium Flaminiae Comiti subsidio mittens pristina inter Scaligeros, et Gonzagos dissidia suscitavit. Tandem rebus cum Comite compositis Barnabas domum revertens Regium magna exceptus pompa divertit: ubi civium censu facto septingenti tantum ad arma ferenda idonei sunt inventi; quod ingens urbis excidium patefecit, et magnam in Gonzagos, qui plurimos extinxerant, invidiam conflavit; cum paucis antea annis Crevariam octo millia civium obsedissent. His actis Feltrinus ad diruenda omnia Regiensium munitiora loca conversus primo Divi Prosperi in ulnas nonaginta excelsam, et munitissimam turrim, sola inferiori parte infra templum relicta, diruit. Ejus coenobii abbas aedificium ter millibus annuorum florenorum, quae magna illis temporibus pensio babebatur, redimere voluit, et duodecim armatorum, qui loci praesidio essent, stipendium obtulit. Cui Gonzagus non solum turrim, sed omnia etiam nobiliora urbis aedificia, ut postea executus est, solo se aequaturum respondit. Excelsa itaque turris, quae pluribus annis tot fabrorum laboribus, gravique impensa erecta fuerat una die cecidit; quod nonnulli anno MCCCLII contigisse arbitrantur. Philippinus quoque Feltrini frater Sanctum Martinum, duabus munitissimis turribus defensum, funditus evertit. Praeter clariora castella etiam arces quadraginta sex in Regiensi agro, et magnifica templa miseranda ruina diruta fuisse dicuntur. Quo tempore Sagatius Mutus cognomento Gazadius rerum sui temporis fidelissimus scriptor, cum nonagesimum primum annum ageret oculis captus inchoatam historiam deserere coactus est; sed eam postea Petrus ipsius ex Francisco filio nepos, qui etiam Divi Prosperi Abbas fuit, diligenter continuavit. Albertinus vero Divi Prosperi Abbas ejus agnatus in

Caroli Caesaris consilium adscitus, etiam Patriarchae Aqnilejensis Vicarius declaratus fuit, et totius Fori Julii Gubernator, quemadmodum in antiquis monumentis legi. Iisdem diebus Bonifatius Bojardus Bartholomaeo Gentili, qui Herberiam tenebat, occiso in Apuliam, ubi eques factus honorifice vixit, exul est profectus.

Inter haec Canis Signorius, et Paulus Alboinns, Mastino patre defuncto, in Veronae et Vicentiae imperio snccesserunt; ad promerendamque Gonzagorum gratiam Folleanos, qui a parente fovebantur, turpiter expulernnt. Illi externo auxilio destituti, ut aliqnem tantum dissidiis finem imponerent, omnium controversiarum, quas cum Loisio Gonzago habebant, Joannem Vicecomitem arbitrum fecerunt. Sed is non multo post a Gonzagis Veronae imperio deturbatus, litem indecisam reliquit. Cum enim Canis Signorius ad Marchionem Brandeburgensem socerum in Germaniam contenderet, ut contra Joannem Vicecomitem auxilium impetraret, eam urbem Actio Corrigio commiserat. Luvisius Gonzagus id Joannis Archipresulis sibi conciliandi tempus opportunum ratus, Frignannm fratrem Canis naturalem impellit, ut Veronam occnpet, opemqne ei ad perficiendum negotium pollicetur. Milites itaque in itinere collocantur, qui Canem interceptnm trucident: sed illo sicarios maturo cursu evadente insidiae irritae fuerunt. Interea Frignanus intempesta nocte Actium sub specie adamatae mulieris tradendae vocat, et armatis circumseptnm praesidiarios milites Barnabam Vicecomitem intercepturos Pescariam mittere compulit. Veniente die falsus rumor spargitur Canem occubuisse. Quare statim curia vocata Senatus princeps, ut praetextum fuerat, Canis mortem divulgat; ob vicinum, ac potentem hostem novo urbis tntore opus esse exponit;

videri sibi expedire nt civitatis imperium Frignano committatur. Ille alia curialium sententia non expectata statim se Principem declarat; ac conscenso equo magna clientum manu stipatus cum sceptro per urbem discurrit. Effractis carceribus reorum acta, et vectigalium libros comburi jubet; nec multo post Feltrinus, Fridericus, et Gulielmus Gonzagi parentis jussu cum Ugolino, ac ducentis equitibus Frignano affuere, qui Paulum Mirandulensem Veronae Praetorem declaravit. Portarum tamen Praefectos, quod Gonzagos Veronam, ut fama erat, occupaturos timeret, mutare non ausus est. Actius Corrigius qui pro Cane in Veronae praesidio erat non sine criminis suspicione sponte urbe egressus Ferrariam contendit. Atestinus Cani foedere junctus eo Deodatium cum ducentis equitibus ad sedandum tumultum misit, qui jam dominante Frignano retrocedere coactus est. Luvisinus Gonzagus majore militum manu submissa urbem invadere cogitavit; sed cum Mediolani Archipresul, qui praetextu auxilii Frignano ferendi, idem tentare credebatur, et Barnabam cum duobus millibus equitum eo miserat, ab incepto destitit. Frignanus utriusque fraude cognita, Ugolinum et Franciscum Gonzagos fratres, et Gulielmum Feltrini filium, Barnabae pro auxilio lato gratias acturos mittit, ac, re prospere transacta nullo amplius subsidio sibi opus esse nuntient. Barnabas ubi verba sibi dari sensit, Ugolinum cum sociis capi jubet, ejusque vexillo alte explicato, ut Frignanum deciperet, Veronam contendit, ac se velut revertentes Gonzagos intromitti postulat: sed a milite qui ante effugerat re detecta, iratus Divi Maximi portam frustra oppugnavit, ac demum recedere coactus est. Canis ubi haec audivit, accepto a socero auxilio continuatis itineribus regreditur; Vicentiam

in Carrarii, et Atestini fide permansisse comperit. Ejus urbis populo armato cum sexcentis cataphractis ante lucem Veronam pervenit. Antea in urbem Joannem ab Ænaria, nunc Isclam vocant, ad excitandos amicos praemiserat, qui ubi Canem adesse audierunt, correptis armis prope Campum Martium portam effringunt. Ingressus Canis Frignanum obviam habuit, quem equo deturbatum et ad naviculam Athesis ripae alligatam fugientem Joannes Semiscaliger obtruncavit. Cadaver cum viginti quatuor sectatoribus laqueo suspensum fuit. Alii Frignanum, dum pugnat, in flumine Athesi submersum fuisse dicunt. Plures alii nobiles viri eo die, qui baccanalium et quintus cal. martii fuit, sunt trucidati; civium qui capti sunt, plurimi misere laqueo necati (1), ceteri perpetuae custodiae traditi fuere. Paulus Praetor captus, et invito Cane jugulatus fuit. Feltrinus ubi urbe se inclusum videt, in Minoritarum coenobio se abscondit: sed proditus inde extrahitur, et Scaligero qui ante palatii fores cum sceptro in manu tremendus consistebat, exanimis affertur. Tum ad perterrefaciendum hominem ejus milite membratim conciso, cum agnatis, et aliis nobilibus in carceres detruditur. Actii Corrigii tres famuli, velut sceleris conscii laqueo suspensi; ejus bona sunt publicata, uxor et liberi capti, qui postea quatuordecim millibus aureorum florenorum redempti fuere. Omnium ditissimus habebatur Ugolinus jussu Archipresulis Vicecomitis libere dimissus. Feltrinus vero triginta millibus aureorum florenorum redemptus est. Ob haec gesta Canis Archipresuli conjunctus Mantuae bellum indixit, sed Venetorum opera triginta millibus florenorum Scaligero solutis pax redempta

(1) Matth. Vill. lib. III, cap. 93.

fuit. Cum vero pecuniam quam Veneti repraesentaverant, restituere non posset, mercibus Mediolanensium, quae Pado Venetias transmittebantur, retentis longe majus quam debebat aes coegit. Aliqui Barnabam ipsum, qui Reginam Canis sororem uxorem habebat affinem Veronae imperio privare noluisse ferunt, idque Archipresulem patruum, qui ad Italiae imperium aspirabat, aegerrime tulisse. Is ob auctum late dominium in plurium principnm invidiam venerat, ac novissimae etiam Genuae principatu accepto omnium in se odium adauxit. Cum enim ejus urbis cives a Venetis paulo ante XLI navium clade profligatos nova classe adiuvisset, recente victoria Venetos, captis eorum triginta navibus longis, et quinque onerariis, ad Peloponesum superaverat. Quare tanta rerum prosperitate perterriti Canis Scaliger, Veneti, Atestinus, Carrarii, Montisferrati Marchio, et Gonzagi simul juncto foedere Corradum Landum Lucii fratrem, qui octo millia cataphractorum, et decem millia peditnm Germanorum contraxerat, in Italiam acciverunt: validoque octo millium equitum, et viginti duorum millinm peditum contracto exercitu primo Bononiensium agrum sunt depopulati, deinde Guastallam ductis militibus, et ponte qui Padum jungebat, occupato, oppidum, quod forti praesidio tenebatur, adorti expugnare non potuerunt. Apud Regienses vero Gonzagi, ne quod hostibus gerendi belli commodum praeberent, Thebaldi, Sessii Ripaltam, Sanctum Silvestrnm, Mancasalem, et Taculorum quinque munitissimas turres cum Monte Siliceo, quod Canussiorum ditionis erat, everterunt; nec a templis est temperatum; siquidem Portiolae, et Sanctae Mastiolae nobilia templa diruerunt, et ex horum, et sacri Divi Prosperi turris cementis Bagnolum, cui ex frequentibus imbribus

nomen inditnm est, postea aedificatum fuit. Nec multo post novam belli contra se gerendi Joanni Archipresuli occasionem dederunt, cum boves quadraginta millibus florenorum aestimatos, aliasque merces per Padum Venetias transmissas Mediolanensi negotiatori eripuerunt. Hac recenti injuria commotus Vicecomes statim Mutinae Galleacium Pium in suas partes traxit, et Regii Folleanis et Bojardis, qui Recettnm tenebant, ad defectionem sollicitatis, etiam Sanctum Martinum per Robertos, et Bortianum per Manfredum Thaddaeum occupavit, qui paulo post ad Montem Vitrum occisus fuit; Joannemque Bosezorum Mediolanensem Mantuanos vexare, et Franciscum Castracanem cum magnis peditum copiis, et duobus millibus cataphractorum in Regienses proficisci jubet. Is ubi ad Ripaltam pervenit, dum Mutinam pergit, qnam per proditionem occnpare sperabat, omnia inter eundum civium praedia devastavit. Sed spe obtinendae urbis frustratus hostibus tantum profligatis ad Divnm Lazarnm in Regienses revertitur, apud quos castrametatus Divi Geminiani subnrbia, et nemoris villas igne, ferroque deformavit (1). Ad octavum deinde calendas julias Mutinam reversns in itinere a Sylvatico Bojardo Gerardi filio, quem pecunia magna corruperat, Herberiam accepit, et Campum Gajanum, et Florianum in Mutinensi agro castella per proditionem obtinuit. Ugolinus vero Folleanus ob occultas simultates Giberto patruo infensus Turricellam Philippino Gonzago tradidit, sed paulo post gentili conciliatus non tantum amissa recepit, sed etiam Cavacciolos invasit. Bartholomaeus item et Franciscus Folleani, Nicolaus de Quertiola, et Guido Manfredus per proditio-

(1) Matth. Vill. lib. iv, cap. 3.

nem Scandiannm, et alia, qnae majorum fuerant castella, per fraudem intercipiunt. Dum enim Gonzagos oppugnare simulant a Matthaeo Folleano introduci postulant, a quo velut amici recepti miserum cum infante filio, et fratre ac Gulielmo Nicolai Folleani filio, interceptis aliis ipsius castellis, crudeliter trucidant. Praeterea Dinatiano, Rocha et Glandeto Matthaei castellis potiuntur. Ab alia parte hostium exercitus sub Mantuae moenibus castrametatus ad devastandum nostrum agrum revertitur, sed repentina Joannis Archipresulis morte a coepta expeditione deturbatnr, qui mense octobri defunctns, amplum Insubrium imperium Matthaeo, Bernabovi, et Galleacio tribus ex defuncto Stephano fratre nepotibus reliquit. His divisis inter se opulentis, qnae patruo paruerant civitatibus, Matthaeus Modoetiam, Landem Pompejam, Bobbium, Placentiam, Parmam, cum Luco, et Massa, Bononiam et Pontremulum supra Macram amnem Lignrnm Apnanorum caput est sortitus. Barnabae cognomento magnifico Crema, Bergomum, Brixia, et Cremona contigit: Galleacius vero Novumcomum, Novariam, Vercellas, Dertonam, Astam, Alexandriam, Albam, Carascum, aliaque Pedemontium oppida obtinuit. At Mediolanum cum Liguria commune relictum ab uno Praetore, quem pari judicio delegissent, regi voluerunt. Verum intra paucos dies sublato Matthaeo mira concordia superstites duos et viginti annos concordi consilio, et mutuis opibus omnia feliciter gubernarunt. Matthaeus magna libidinis impotentia enervatus fractis lateribns deccssisse vulgo dicebatur, cum inter duas concnbinas saepe cubans peregrinis unguentis, insatiabili libidine deficiente, venerem excitaret. Sed Valentina mater eum in perna qua mirifice delectabatur veneno a fratribus necatum conquesta tanto dolore de-

flevit, ut Galleacio et Barnabae diras imprecaretur. *Matthaeum enim Scaligero Veronam prodere voluisse dicunt. Sub id tempus defuncto Albertino Levalossio Divi Prosperi Abbati Zaffredinus frater suffectus fuit.*

Interim Carolus IV Boemiae Rex Joannis filius Imperator declaratus magna militum manu, et eorum, qui in Vicecomites conspiraverant, auxilio fretus, ferream coronam Mediolani de more accepturus in Italiam descendit. Vicecomites novi etiam tum in regno in quatuor menses cum hostibus induciis pactis apud se capiendi diadematis Caesari potestatem fecerunt; qui, Galleacio et Barnaba in imperio confirmatis, posteriore anno mense martio Romam profectus aurea a Pontifice corona est decoratus. Is dum Pisis esset ab Ugolino Gonzaga, conjurante contra eum Guelphorum Gambacurtorum familia, a mortis periculo liberatus fuit. Joannes vero Olegianus, qui Joannis antistitis filius putabatur, ab Olegioque ad Verbanum lacum pago cognomentum ferebat, patris morte audita Bononiae cui praefectus erat imperium sibi retinuit (1). Sed cum sibi idoneas ad defendendum vires deesse intelligeret, cum Ægidio Hispano Pontificis legato, et Atestino, ac Gonzagis adversus communes hostes, quos hanc injuriam ultnros sciebat, foedus percussit. Et cum ea tempestate validae externarum gentium manus haberentur ex Anglia, et Armorico Oceano, Hispaniaque copiis accitis, formidandus conflatus est exercitus. Ceterum Vicecomites jam magnis militum copiis contractis ut primos Gonzagos ulciscerentur, Regiensibus bellum illaturi misso Beltramino ad Sanctum Paulum consederunt. Eos Feltrinus una cum Aldobrandino Atestino, et Bononiensibus

(1) Marius Æquicola in chron. Mant. lib. 2.

foederatis adortus atroci praelio profligavit, et usque ad Monticuli portam insecutus Parmensium montes plurimis captis passim diripuit. Ceterum proscripti Regienses amplius millibus equitibus, et duobus millibus peditum collectis, dum vesperae pulsantur octavo idus februarii Divi Prosperi coenobium, quod sub Manfredino Muto Abbate regebatur, invaserunt. Inter eos fuere Gibertus Folleanus cum Francisco filio, Sylvaticus Bojardus, duo Joannes, alter Corrigius, alter Canussius, Galasius Pius cum liberis, Gibertus Sanvitalis, duo Nicolai, hic Robertus, ille Pallavicinus, Paulus et Guido Manfredi, Vanutius et Manfredus a Dallo, duo Bertholini alter a Quertiola, alter a Piagna cum duobus filiis qui Vicecomitum ope eam expeditionem tentasse credebantur. Coenobitae ubi sibi vim inferri senserunt cum famulicio in turrim, quae reliqua permanserat, se receperunt, et cum se viriliter tuerentur in extremam vesperam certamen protractum fuit. Demum hostes ubi vi irrumpere non potuerunt ad summum templi tectum ex superiore loco obsessos expugnarunt. Gulielmus Desacius Prior, et alii Monachi pluresque profani capti, nec pauci trucidati fuere. Feltrinus Gonzagus ubi proscriptos prope esse sensit, magna jaculorum vi comparata eos expugnare conatur, ac decem continuis diebus, noctibusque ex machinis ingentia saxa in coenobium jaculatus, nec murum deiicere aut aliquem laedere potuit. Contra proscripti foveis, aggeribus, et vallis locum munire non desistebant. Gonzagus postquam se nihil proficere animadvertit, ab Atestino, Joanne Olegio Bononiae tyranno, Francisco Carraria, et Scaligero foederatis opem implorat, contractisque sub viginti quinque vexillis millibus quingentis equitibus, et tribus millibus peditum, decimoquarto calendas februarii coenobium ado-

ritur, ac tandem post varia certamina locum expugnavit. Plus mille capti, inter quos fuit Nicolans Robertus, et Franciscus Folleanus, reliqui fuga evaserunt. Hac nobili victoria potitus Feltrinus plurimo auro, argentoque, et variis monilibus, et gemmis, quas ibi cives, veluti in tuto locaverant, diversaque supellectile est locupletatus. Mox villas, et suburbia omnia ad rebellantinm audaciam comprimendam hostiliter incendit; deniqne ut ab imminente periculo arcem Regii liberaret, nobilissimum totius reipublicae christianae Divi Prosperi coenobium funditus evertit. Non civium precibus, non religiosorum lacrimis, non pecunia, qnae ingens offerebatur, nec religionis terrore a tanto facinore averti potuit. Cum lapidibus ad munitiones extruendas uti vellet, Segetino Albertello Monario et Cosmo Spadensacco Architectis imperat, ut aliqua arte integram materiam conservarent. Illi muro undique circumciso trabes ad sustinendam molem supposuerunt, quibus igne consumptis ingens ruina est subsecuta. Miserum erat videre nobile opus tanta impensa, tot laboribus, et annis fabricatnm una hora interire. Solnm templum cum paucis cellis, ubi pauci religiosi morarentur, relictum fuit. Ex sacris cementis alia aedificia et Nivolariam Bagnolumque condita fuisse plerique autumant. Alii non ex his, sed ex turris, et aliorum locorum reliquiis castra illa, quae antea coepta fuerunt, postea absoluta fuisse contendunt. Hanc coenobii ruinam ingens Gonzagae domus clades est subsecnta: Ex quinque enim Loisii liberis, Philippino mortuo, et Guidone fratre postea in furore converso, Feltrinus, Corradus, et Albertus, ut opportuniore loco dicetur, misere perierunt. Philippinus in re militari din versatus, et inter eximios sui temporis duces clarissimus Gulielmonem quendam Caferonianum,

sex ulnas humanae staturae excedentem, et mulierem Ricciam Mantuanam, paulo minorem pro naturae monstro secum adducere consueverat. Frambaldum quoque Pumilionem qui quatuor palmos magnitudine non excedebat, ante se equo praemissum in deliciis habuit. Riccia sex frumenti sextarios velut minimum cistulae onus capite facile gerebat, et duorum bajulorum pondus sustinebat. Talem, Justino imperante, Ceciliam gigantis instar Zonaras describit; quae vasto corpore proceros viros cubito superabat, pectore, et brachiis supra modum latis, quibus vox, facies, brachiorum firmitas, et crassitudo respondebant.

Eo tempore Joannes Manfredus Regiensis continuato quadriennio Patavii Praetor, Ugo vero Robertus ejus urbis Episcopus extitit. At Vicecomites cum de recipienda Bononia clam cum civibus agerent instructo exercitu ad eam occupandam accedunt. Sed proditione detecta, ut honestiore aliquo praetextu rem tegerent, quasi aliud acturi venissent, ad devastandum Regiensium agrum convertuntur. Inde Montis Sancti Prosperi summo colle occupato, ingens extructum vallum opportuno Parmensium relicto praesidio municrunt: quod postea Ugolinus Gonzagus copiarum imperator a foederatis creatus intra paucos dies expugnatum in suam potestatem redegit. Exinde Parmensium agrum praedabundus igne ferroque vastavit, et in Insubres conversus, Novaria capta, et obsessis Vercellis, ingens Vicecomitibus detrimentum intulit. Tandem multis illatis acceptisque plagis, omnes plane fessi, et pecunia exhausti, Aldobrandino Atestino intercedente, de pace agere coeperunt. Vicecomitibus Regium petentibus diu est disceptatum, demum Catharina Matthaei Vicecomitis filia Ugolino matrimonio conjuncta, Novaria est restituta, Mantuaque beneficiario jure Gonzagis concessa,

pro qua accipitrem quotannis promiserunt, et laeta pax est secuta. Ceterum veritus Feltrinus, ne ab Ugolino ex fratre nepote potenti affinitate confirmato omni imperio excluderetur, cum liberis Mantua discedens Suzariae, Regioli, Gonzagaeque, et aliis castellis valido praesidio imposito Regium solus occupavit. Quo audito Ugolinus et ipse patruo, omnibus familiae indultis privilegiis, gentilium consensu spoliato, Mantuae principatum uni Guidoni patri tradidit. Inter haec Loisium jam nonagesimum annum agentem naturae concessisse, Merulae placet; quem alii aliquot ante annis extinctum fuisse memorant. Is Gonzagorum principatus auctor, et Mantuae Caesaris Vicarius creatus, ac inter Patricios Venetos cooptatus, diversas a variis Imperatoribus immunitates et privilegia obtinuerat. Regiolo quoque, Luzaria, Revero cum adjacentibus pagis et utraque Eridani ripa donatus, etiam Carpinetum, Castellarum, Bibianellum, Rosemantum, et Piolum nobilibus Regiensibus adempta castella impetraverat. Feltrinus vero solus Regii principatu potitus ex nostrorum civium ac sociorum numero coacto exercitu ad vindicandam ab agnatis acceptam injuriam se vertit, quibus subita in Mantuanos incursione facta ingentem cladem intulit. Contra Guido non sine magna Ludovici, Franciscique ex fratre nepotibus invidia ad recipiendum Regium exercitum contrahit. Jamque Suzaria et Gonzaga occupata ultra progressurus erat, nisi Feltrinus cum Ægidio Hispano Urbani V Pontificis legato foedere mature conjunctus sociorum armis ingruentem hostem perterruisset. Cum vero Barnabas omni studio imperium ambitiosius proferre conaretur, Bononiamque anxius recipere tentaret, Ægidius legatus, conspirantibus secum vicinarum urbium Principibus, ejus vires contudit. In primis eum

diris damnatum saepius profligavit. Mox Herberia oppido a Sylvatico, et Guidone Bojardis vel, ut alii malunt, a Leonardo Rolando Herberiensi, quibus centum menstruos florenos promisit, accepta, Nicolaum Atestinum, Franciscum Carrarium, Feltrinum Gonzagum et Scaligeros in Vicecomitem communi pecunia copias ducere compulit; a quibus Barnabas dum in Bononienses incursionem facit, circumventus, amisso exercitu, saucius, et superatus vix effugit. Capti sunt in eo conflictu insignes duces Andreas Pepulus cum Bononiensibus exulibus, Ambrosiolus filius naturalis Barnabae, Paulus Mirandula, Guidus Folleanus, Actius Corrigius, et Gulielmus Cavalcabos, duces clarissimi (1). Hostium foedus initio Barnabas spreverat quibus per contumeliam vasa argentea donaverat; interea Scaliger scalas furcae appositas, Carrarius columbas volantes, Atestinus flagellum invenit (2). Mantuae autem Ludovicus et Franciscus Gonzagi Corrado in Eridano extincto, et Guidone Albertoque patruis in furorem actis, Ugolinum patruelem qui a Guidone patre principatum solus acceperat pridie idus octobris circiter horam noctis quartam apud se coenantem trucidarunt. Catharina ejus uxore Mediolanum remissa parricidae, Pontificis Urbani V auctoritate, crimine expiati, et a Carolo IV imperatore, non solum omnem delicti poenam, sed Mantuae etiam principatum novo privilegio obtinuere. Feltrinus vero a Caesare, omni immunitate, Mantuaeque ditione privatus cum liberis Regii se continebat, tametsi Platina (3) pro Feltrino Philippinum non obscuro errore nominat. Ceterum Barnabas

(1) Plat. in Urb. v.
(2) Matth. Vill. lib. x, c. 96.
(3) Plat. ub. sup.

ubi se in Bononiensibus parum proficere videt, novo exercitu comparato, quinque hominum millia, prodita porta, Regium immittit, qui omnes a Feltrino acriter se tuente, aut capti, aut trucidati fuere. Ille re infeliciter tentata copias auxit, et Mutinam obsedit, cujus Princeps Nicolaus Atestinus Viridi Canis sorore uxore ducta se contra Vicecomites novae affinitatis conjunctione corroboravit, et copiis, quas ex Pontificis foederatis propere contraxerat, Feltrinum Gonzagum praefecit, qui ad Stellatam secundum Eridanum, ubi Barnabas munitissimum vallum aedificaverat, prospero praelio commisso, hostes profligavit; omnibusque ferme totius Galliae Cisalpinae nobilioribus captis etiam Folleanos vivos in potestate habuit. Sed Barnabas incredibili celeritate intra octo dies reparato exercitu, iterum Mutinam obsedit. Magnum ad hoc ei adjumentnm praestitit Herberia oppidum, in quod Sylvaticus Bojardus loci dominus illius milites recipiebat, sed cum Barnabas arce extructa castrum occupare conatus esset, id Sylvaticus Atestino tradidit.

His malis supervenere locustae, quae tanto in Italiam numero advolarunt, ut solis lumen spectantibus adimerent; biennio in Regiensibus commoratae pabulis, segetibusque adhaesis terram atque arbores penitus denudarunt. Eo tempore Florentini adversus Pisanos, quibuscum bellum gerebant, inter alios Joannem Malatacchium Regiensem rei militaris peritissimum, et qui magna cum laude alias exercitibus imperaverat, militum copiis praefecerunt. Interea Urbanus Avinione comitiis habitis, ubi Atestini, Malatesta Arimini, et Carrarii Patavii principes, Ludovicus Gonzagus, et Legati Regiensium interfuerunt, Carolum Imperatorem belli contra Vicecomites gerendi ducem declaravit. Verum non multo post Barnaba variis

artibus hostibus conciliato, tanta Pontificis indignatio fuit, ut ruptis foederibus Carolum Boemum adversus Vicecomitum potentiam in Italiam vocaverit. Sed et is pecunia corruptus Mantuae fines egressus non est; ubi in clypeo rubenti leonem album cum aureo millo coronam in capite gerentem pro insignibus familiae Gonzagis donavit. Quo tempore Francisco mortuo ad Ludovicum fratrem Mantuae imperium est delatum. Ceterum Regii scaturientibus in Divi Prosperi coenobio aquis, ejus corpus Laurentii Pinotti cpiscopi jussu, intra urbem in Divi Matthiae templo, quod juris coenobitarum erat, depositnm jacuit; deinde post annos decem et octo in pristinum locum jam exsiccatum relatum fuisse dicitur. Sub id tempus Guido Ferrarius Philippini filius a Balneolo, quod nunc Bagnolum vocant, vir in arte medica eximius decessit. Is Petri Lusignani Hierusalem et Cypri Regis Archiatrus anno MCCCLXII Nicosiae in templo D. Sophiae condito testamento Venerium filium haeredem reliquit; sed ex bonis MD aureos ducatos extrahi jussit quibus praedia in agro Bononiensi emerentur commodo Alisiae naturali filiae, quam ex Franceschina serva susceperat. Cum vero illa decesisset, ex eorum redditibus inopes juvenes Regienses, qui Bononiae studiis operam darent, sustentari volnit. Emptis postea praediis cum ipsa ante annum aetatis undecimum defuncta esset, ibi institutum est Collegium, quod nunc Regiensium nuncupatur. Reparatis interim viribus Barnabas ad Sanctum Raphaelem vallo munito Regium obsessurus ad primum lapidem sub moenibus castra posuit. Ibi miles ad diripendas villas exiens magna damna civibus intulit. Feltrinus ubi ad resistendum tanto principi se viribus imparem esse animadvertit, foederatos Bononienses, et Atestinos in subsi-

dium vocat. Horum copiis ex tempore patefacta porta erumpens magno impetu vallum adoritur. Qui in praesidio erant inopinanter oppressi ad hostium clamorem trepidi tela capere, alii intra castrorum vacua pavidi excurrere, pauci confirmato animo pro aggeribus se opposuere. Contra urgens Feltrinus virtute bellica propugnatoribus dejectis, ceterisque male mulctatis, vallum facile obtinuit. Guido Folleanus magno stipendio Barnabae copiis Praefectus eo infortunio perculsus cum cataphractis, qui perpetuum stipendium capiebant, ad Florentinos transfugit. Hanc tamen cladem, hostibus ad Mirandulam paulo post fusis, Barnabas nova potitus victoria resarcivit. Nicolaus vero Atestinus proferendi imperii, veterisque injuriae, quam a Gonzagis acceperat, vindicandae cupidus cum Gabriele Cavasacco Regiensi pecunia corrupto, qui a secretis Feltrini erat, atque Sylvatico Bojardo Philippoque Roberto clam de intercipiendo per proditionem Regio tractavit. Saxolum eo forte tempore ab eo defecerat. Quare hanc tegendi consilii occasionem nactus, se ad oppugnandum oppidum, quas in Gonzagum instruebat copias, parare finxit, ac Lucium Landum a Lodello in Germania Comitem, qui a foederatis in Italiam accitus, Florentinorum copiis paulo ante praefuerat, pacto in vigenti dies decem millium florenorum stipendio, cum delectis quingentis equitibus ad Saxolum, quod defecerat, obsidendum, se conducere divulgat. Fuerat Lucius unus ex quatuor, qui a secretis Morialis steterant, ac demum ejus militum magister fuit. Morialis autem ex ordine Divi Joannis eques Rhodius sub Vicepraefecto militaverat; sed cum ob inopiam ab eo sustineri non posset, discedens, literis dimissis undique factiosissimos quosque collegerat, quibus alimenta et pecuniam promittebat.

Primo millibus quingentis cataphractis et plus duobus millibus peditibus militum contractis oppida vel diripiebat, vel gravi aere mulctabat: ita effectum est, ut facinorosissimis quibusque ad eum concurrentibus, ingentem exercitum brevi coegit, quo totam Italiam subigere cogitabat. Sed cum Venetis copias tradidisset, Romae a Tribuno Plebis velut praedo capite punitus fuit. Lucius ducis vestigia secutus magnam secum militum manum traxit, donec plus quatuor millibus cataphractorum, et plurimos pedites collegit.

Jam MCCCLXXI venerat annus, cum ex composito mense aprili multo mane Cavasaccus cui plurimum fidebat Feltrinus porta Divi Prosperi aperta trecentos armatos barbutos vocatos sub Balzino Marano merentes introduxit. Inopinata re perculsus Feltrinus, simulque populi quem afflixerat iram timens, vix cum Guidone et Gulielmo liberis, et Manfredis, se in arcem comeatu destitutam recipere potuit. Capta urbe cum aliunde praesens auxilium sperare non posset, hosti, quam infido, ut appellabat, socio civitatem tradere maluit. Itaque ad Barnabam Guidone et Gulielmo filiis celeriter missis, urbem ei se honestis conditionibus daturum pollicetur. Hac promissione laetus Barnabas magnum comeatum et quinquaginta electorum militum praesidium sub Gulielmo sequenti nocte clam in arcem Regiensem praemisit, clavesque dominii in se urbis translati argumentum a Gonzago accepit. Mox alios quingentos cataphractos urbem occupaturos sub Ambrosio naturali filio tum Parmae degente prioribus subsidio futuros ire jussit, qui postridie ex arce in urbem exeuntes hostes oppugnare incipiunt. Hac re cognita Lucius qui ad Saxoli moenia pugnando tempus terebat, tacito itinere Regium contendit: ibi in arcem hostibus

compulsis velut ad praedandum, non ad pugnandum venisset barbara feritate ad diripiendam civitatem se convertit. Non a divinis templis, aut piis hospitiis, non a sacris virginibus, est temperatum. Pluribus exustis aedificiis, promiscue viduis, virginibus, nuptisque vis est illata. Petrus Mutus ex Francisco Sagacii nepos, qui hanc historiam acurate explicuit, novem diebus se tum in arce magno cum incommodo, et animi anxietate fuisse scribit. Inde omnibus bonis denudatus clam effugit. Parmam profectus, ibi tamdiu se continuit, donec Barnabas Regium accepit: postea reversus, omnibus Divi Prosperi coenobitis fratribus dispersis, solus ad Divi Matthiae hospitium se contulit, ubi ablatis tectis super tegetibus et foeno cubare coactus est; et cum cibo careret a Virginibus Minoritis per aliquot dies educatus; tandem aliis paulatim redeuntibus, cum mensae deessent, super templi ara comedit. In ea direptione duo chronicorum volumina amisit, ad eorum exemplum conscripta, quae Guido a Bagnolo ipsius consobrinus composuerat. Is est Guido Medicus qui collegium studiosorum Regiensium Bononiae instituit. Per XXII dies hanc calamitatem urbs nostra pertulit, donec Gulielmus, vel ut alii malunt, Guido qui praeter arcem duas adhuc Regii portas tenebat, contra Feltrini patris voluntatem, qui adversus datam fidem, mutata voluntate, urbem Pontifici tradere cogitabat, quinquaginta millibus florenorum Barnabae urbem vendidit. Contractus tabulae Parmae conscriptae etiam nunc in nostro tabulario publica fide comprobatae visuntur. In eodem contractu Bagnolum, et Nivolariam, quae sibi postea a Caesare sunt confirmata, retinuerunt. Itaque practer alias clades acceptas, duo haec etiam castella velut membra a civitate sunt abscissa, cum ante actis

etiam temporibus Gonzagi Regiolum, Sarminum, Reverum, nunc Ripam Regii vocatum, Luzariam, quae episcopi ditionis erat, Gonzagam, et alia quamplurima nostri juris loca nobis adempta in Regiensium perniciem Mantuae applicuissent. Itaque civitas intus, forisque continuis malis attrita ad extremum fere excidium pervenit.

LIBER QUINTUS

Rebus ita gestis portam Sancti Petri Lucius adhuc tenebat; quam quater mille florenis, etsi alii sexaginta millia scribant, a Barnaba acceptis, post viginti dies, quibus Atestino servire tenebatur, ad XI calendas junias dimisit. Vacua civitate relicta, et quinquaginta millibus florenorum Guidoni Feltrini filio per Joannem Balduchinum praesente pecunia numeratis, Ambrosius Barnabae filius qui cum trecentis cataphractis in urbe erat Regii dominium accepit. Ob id in omnibus Vicecomitum civitatibus, sed Parmae praesertim, quanta unquam ab hominum memoria fuerit, laetitia publice est peracta. Tum nobiles Manfredi, qui antea cum Feltrino senserant, a Barnaba menstruum stipendium promeruerunt. Lucius vero ad Montisferrati Marchionem contra Galleacium Vicecomitem Barnabae fratrem bellum gesturus se contulit. Populus ea status mutatione laetus ad Gonzagorum, qui civitatem everterant, memoriam delendam decrevit, ne quis eos sub poena perduellionis nominaret. Feltrinus ex hujus tristis eventus moerore pridie calendas majas Bagnolum se cum familiaribus contulit, ubi difficili ob rerum adversitatem aegritudine contracta cum primum convaluit, ut stipendia Barnabae mereret, Parmam proficiscitur. Inter eundem in loco, quem Bastiam

ab Angulo vocant, velut in eum saeviente coelo maxima vi grandinis petitus, pluribus ex comitatu amissis, vix cum paucis evasit. Non multo post eadem via repetita, ut honorificentius vitam duceret, Barnabae militum imperator est declaratus: sed homo aliorum jussibus parere insuetus, id quoque vitae genus fastidire coepit. Quare commeatu post duos menses accepto, Taurisium concessit, unde a Venetis antiquis hostibus expulsus, partim Patavii, partim in Plebis Sacci castello aliquandiu est commoratus. Demum, pluribus Galliae Cisalpinae partibus peragratis, Ticinum profectus est, ubi a Galleacio stipendiò per paucos dies accepto, ad extremum Patavium sequenti anno est regressus; ubi transacto triennio ob effusos sumptus grandi aere alieno oppressus, concepto ex animi moerore morbo decessit, et in Eremitanorum templo humili tumulo conditus, nullam sepulcri hodie memoriam conservat. Guido et Gulielmus ejus filii, Nivolaria, et Bagnolo retentis, eos Gonzagos, qui nunc in iisdem castellis imperant, fecunda prole propagarunt. Cum vero Gibertus et Actius Corrigii cum Nicolao Atestino sentirent, Guido Actii filius Corrigium Barnabae prodidit, liberisque Giberti custodiae traditis oppido potitus, praesidium et menstruum stipendium a Vicecomite accepit. Ob id Actius pater, qui tum Ferrariae morabatur etsi facti ignarus, velut sceleris conscius in vincula conjectus est. At Barnabas, qui imperio prolato etiam occupandàe Mutinae inhiabat, apud Herberiam post leviora aliquot certamina cruento praelio Pontificios fudit. In eo Franciscus Folleanus Giberti filius mille equitum Praefectus cum Gulielmo nepote, et aliquot militibus captus Regium, ubi Joannes Balduchinus Parmensis se tunc Praetoris Vicarium fuisse scribit, est deductus, et paulo post ad

Divi Bernardi pinnam velut proditor laqueo suspensus foede vitam finivit: vir facinorosissimus et maxime omnium flagitiosissimus. Hac victoria potitus Barnabas ignes ad ingentem laetitiam significandam ubique accendit: mox Gabianum, postea Sanctum Paulum vocatum, quod Atestinus occupaverat, facile in suam potestatem redegit. Demum comeatus et multae materiae copia ad extruendas machinas cum fabris Regium missa, Mutinam duplici vallo, et fossa arcte obsedit. Interea incursione in Ferrarienses facta, pluribusque villis incensis, trecentos captos Regium deduxit, quo etiam Joannes, et Ambrosius ejus filii ad defendendam adversus Pontificios civitatem validum praesidium adduxerunt. Inter hos motus Gibertus Folleanus Francisci pater ob ignominiam filio illatam graviter commotus Scandianum Atestinis tradidit. In eo tumultu Guido ejus frater, qui tunc ibi erat, et clam cum Barnaba sentiebat, celeriter fugit. Ceteri quoque Folleani qui plurima in montibus munitissima castella, nec paucos tam civium, quam ceterorum sectatores habebant, foederatorum copiis adiuti contra Regienses bellum gerere coeperunt. Sed Giberto defuncto tandem Guido cognomento Savina solus ex Giberti liberis superstes viginti quatuor castella, quae in alpibus tenebat, et Scandianum Barnabae tradidit. Itaque post tricenum septimum annum quam Folleani bello patriam vexaverant ad Vicecomitum partes cum tota gente se contulit. Ad pacem confirmandam Carolo filio adhuc impuberi Isottam Barnabae filiam despondit. Extra urbem vero ad hostium impetum sustinendum Salvaterram castellum antea diruptum restituit. Verum non multo post dormiens a familiaribus in lecto occisus, et sine ulla funeris pompa eadem nocte clam sepultus est. Postridie vacua arca ad funeris

ostentationem pro cadavere honorifice elata fuit. Itaque omnes Giberti Folleani liberi tristem exitum habuerunt. Siquidem sex mares violenter extincti, et tres filiae pari morte occubuerunt. Primam enim ob stuprum pater interfecit, alteram Actius Sessius vir in adulterio deprehensam necavit, ultima jam in coenobio professa, quod et ipsa parum pudice viveret, a fratribus trucidata fuit.

Sequenti anno MCCCLXXIII Pinotus a Pinotis Bonvicini filius jurisconsultus, qui in Galleacii Ligurum Ducis, et Ticini domini consilio fuerat in Beatae Virginis memoriam templo erecto Carmelitas eo introduxit, hospitiumque recipiendis pauperibus peregrinis coenobio contigunm, et aliud extra Divi Stephani portam sub Divi Geminiani titulo peramplis dotatum opibus extruxit. Qua de re ad facti memoriam carmen fano inscriptum extat. Is post undecimum annum quam haec egit decedens, hospitium haeredem fecit. Rebus vero Barnabae prospere succedentibus Pontifex ut hostium potentiam externorum armis opprimeret, quod Italica virtus tum obscura esset, Joannem Aucutum ex Anglia evocatum copiis suis praefecerat. Is ex Britannia insula in continentem Galliae transvectus Belgas bello vexaverat. Ea vero expeditione confecta, cum stipendia, et praedam facturus in provinciam Narbonensem se effudisset, inde a Gregorio Pontifice in Galliam togatam opportune transmissus, aliquot expugnatis urbibus Guelphorum vires restituit. Quare Cotignola cum quatuor proximis oppidis donatus bello, et opibus clarus evaserat. Tum vero ut Barnabae impetum reprimeret Bononia movens per Regienses, et Parmenses in Placentinos delatus omnia igne ferroque crudeliter vastavit, et Sancti Joannis oppidum occupavit. Joannes a Cruce legatus Pontificis eo profecturus, et ipse per Regienses

transiens omnes villas diripuit. Per eam occasionem Bernardus Folleanus alter Francisci filius, qui parenti illatam injuriam in pectore conservabat, rursus ad hostes defecit, et captum per proditionem Scandianum Pontificiis tradidit. Ejus exemplum secuti Franciscus Joannis filius, et Guido et Feltrinus Manfredi, qui antea Feltrini familiares etiam dandae urbis Barnabae auctores fuerant, ac tunc quamvis amplo Vicecomitum stipendio honestati praesentium rerum statum fastidiebant, cum Montericcio, Mociatellis, et Bortiano castellis, et ipsi ad Pontificios transierunt. Pontifex Francisco quinquaginta menstruos florenos et Albineam castellum, si capi potuisset, se donaturum promisit. Id juris antistitis erat, quod postea beneficiario jure Manfredis a Joanne Pontifice cum onere LXXX libras Bononienses ecclesiae solvendi concessum fuit. Haec pensio CCC jugerum praediis in villa nemorum episcopo traditis postea extincta fuit. At Joannes Aucutus Donina Barnabae ex adamata concubina filia, uxore ducta soceri vires maxime adauxit. Is ob eam affinitatem a Pontifice dimissus cum ab aliis urbibus, tum a Regiensibus magnam pecuniae copiam, omnibus armorum metu perterritis, exegit, etiamsi alii non Regiensibus, sed Aretinis id accidisse falso existimant.

Crescentibus in dies Vicecomitum rebus populi, qui imposita onera sustinere non poterant, certatim a Gregorio X Pontifice ad Barnabam deficiebant, ad quem Bononia quoque reversa centum cataphractorum praesidium Regio missum accepit. Ceterum laetos successus tetra, quae mense julio et augusto secuta est pestis et importuna Galleacii Barnabae fratris mors perturbavit, qui praeter arcem quam Ticini nobilissimam condidit, lapideum etiam pontem supra Ticini flumen propugnaculis

ad utrumque caput munitis, columnisque perpetuam contignationem utrinque sustinentibus magnifico opere extruxerat. Praeterea gymnasium Ticini a Carolo Magno institutum, et postea bellorum calamitate destitutum, alterius Caroli IV Imperatoris auctoritate renovaverat, atque inter alios magni nominis viros eo etiam Philippinum Cassolum Regiensem eximium jurium professorem, qui clarissima fama ceteros tum anteibat, perampla pecunia Patavio evocatum conduxerat. Is memoria maxime excellens ad eam nominis celebritatem pervenerat, ut omnium sui temporis doctorum Doctor vulgo vocaretur. Demum nimium gloriae cupidus ingenii felicitate, et fiducia doctrinae se quibusvis ultimarum voluntatum dubiis responsurum ausus est profiteri. Inter alios nobiles jurisperitos, qui tum Ticini profitebantur, Baldus Ubaldus Perusinus, Christophorus Castellioneus ejus discipulus, Joannes et Signorolus Homodei Mediolanenses, uterque Raphael et Joannes Petrus Ferrarius Papiensis jurium professores clarissimi habebantur. Jam dies venerat, quo in magna audientium turba Philippino ingenii, et memoriae felicitas ostentanda erat; cum in medio prosiliens Baldus ejus antagonista: Ubi est, inquit, Philippe, jure decisum substitutum alteri in legato ita demum succedere, si ille relictum repudiasset, non casu, quo aliter defecisset? Ad inopinatam hanc interrogationem obmutescente Philippo, statim legem quae etiamsi id prima fronte velle id videbatur, tamen diversum continebat (1), Baldus aperuit. Repentino casu perculsus Philippus cum verum illius sensum ex tempore percipere non posset, pudore suffusus abiit. Ejus etiamnum de testamentis et

(1) L. Pater Severinam ubi Paul. Castr. ff. de cond. et demon.

successionibus non inelegans tractatus extat. Sed et praeter omnium disciplinarum interpretes amplo stipendio conductos Galleacius insignem etiam Bibliothecam omnium disciplinarum codicibus refertam in arce, suadente Francisco Petrarca, condiderat. Lateritiis deinde muris viginti millium passuum ambitu ad recti quadranguli normam, ingentia viridaria, ut principum animos venationibus et aucupiis oblectaret summa magnificentia cinxerat. Decedens Joannem Galleacium filium, cui Isabellam Caroli Galliae regis sororem, solutis quingentis millibus florenorum virtute oppido in dotem accepto, nuptui dederat, haeredem fecit. Ei postea cives Vercellenses et militum cohortes se fideles fore apud Bartholomaeum Regiensem jurejurando spoponderunt. Joannes Galleacius paterno imperio potitus ut Pictininam Barnabae patrui filiam Actio filio conjungeret, cum alios nobiles, tum Philippum Cassolum Regiensem, quem Ticini legum interpretem fuisse diximus, ad Pontificem misit, qui matrimonium, lege quae obstabat soluta, comprobaret. Ob eas nnptias Guido Corrigius post annum octavum et menses tres dies qnindecim, quam in Modoetiae carceribus inclusus erat, tandem tertio nonas aprilis, rogantibus amicis, demissus fuit. Isotta quoque Barnabae filia naturalis Carolino Folleano Guidonis Savinae filio desponsata, ab eodem, quod nimis tenerae adhuc aetatis esset, postea disjuncta fuit. At Regina Scaligera Barnabae uxor, pluribus oppidis in Regiensi et aliarum urbium territoriis a marito emptis, fatis concessit. Ambitiosa mulier quae liberos suopte ingenio elatos contra Joannem Galleacium patruelem quotidianis sermonibus stimulare non desistebat, ut, eo hoste potius quam propinquo sublato, opima haereditate potirentur; eadem verba in mariti aures instillaverat; quibus persuasus

Barnabas Joanni Galleacio insidiari coepit, qui etsi ad eam imperii magnitudinem ille pervenerat, ut non tantum Galliae Cisalpinae populis, sed etiam exteris timendus esset, suis tamen liberis numero pluribus homo ambitiosus nullum satis fore regnum existimabat. Fratris itaque filio opulentum principatum invidens, ut eum vita bonisque privaret, scelestum consilium capit. Id Joanni Galleacio cum per exploratores proditum esset, gravi, callidoque ingenio cognita dissimulare, fidissimis se veteranis sepire, ac velut res humanas despiceret, religioni intentus remissius incedere, pie templa invisere, concionibusque sacris studiosius coepit incumbere. Tum vero ut timidus, ac supini ingenii homo, a patruo et liberis non tantum irrideri, sed plane sperni videbatur, cum eum opimo potius sacerdotio, quam tanto imperio dignum esse dictitarent. In hoc vitae genere diu se Joannes Galleacius continuit, donec per religionis speciem Divae Virginis templum ad Burgum Varesium contra lacum Verbanum donariis et miraculis celebre se veneratum iturum divulgavit, ac quasi pietatis offitio functurus patruo se eum ex itinere salutaturum nunciat. Die dicta ubi nepotem discesisse Ticino et Mediolanum propius accedere Barnabas sensit, mula vectus, praemissis honoris gratia filiis, ipse ad Divi Ambrosii xenodochium extra portam Vercellinam obviam prodit. Ibi dum Joannem Galleacium nepotem amplectitur ab Othone Mandello et Bernardino Forrensi, mula freno detenta, a circumstantibus armatis cum Marco et Rodulpho liberis capitur. Tum agmina statim introducta in urbem, et patrui aedes ad praedam populo traditae, denique cum nemo auxilium ferret, aliique Barnabae liberi diffugissent, Joannes Galleacius Mediolani imperium obtinuit. Mox principatu per Imperatoris legatum confirmato, urbem

rursus nonis septembris ingredienti universi nobiles et plebei cum sacerdotibus obviam prodierunt. In arce sex plaustra argenti facti et sexies centena millia aureorum florenorum inventa fuisse dicuntur. Sequentibus diebus Joannes Galleacius per ludicra certamina variis propositis praemiis populum oblectavit et paulo post aliis gentibus in suam potestatem redactis octavo postquam patruum ceperat die, Parmam, Regiumque accepit, quibus Jacobum Vermium cum multis copiis praefecit. Mox novis legibus conditis et vetustis in melius mutatis satis benigne populis imperavit. In ejus consilio fuit Pinotus a Pinotis jurisconsultus, qui, ut supra diximus, nosocomium apud Carmelitas Regii, et xenodochium extra Portam Divi Stephani amplis ditata reditibus condidit. Barnabas in Tritianam arcem deductus post septimum carceris mensem infecta veneno faselorum pulte comesta anno imperii trigesimo, et aetatis sexagesimo sexto decimo tertio calendas decembris in manibus Doniniae adamatae concubinae expiravit. Moriens lacrymis et gemitibus errorum venia a Deo petita psalmi versiculum: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies,* saepius recitavit. In nostris annalibus eum Regium deductum, et ibi veneno necatum fuisse legi. Mediolani Conchano in templo statua equestri ex lunensi marmore, quae ejus os, habitumque exprimit, sepulchro imposita, est tumulatus; quinque filios Marcum, Ludovicum, Carolum, Rodulphum, et Mastinum, et decem filias legitimas ex Regina Scaligera susceptos, aliosque naturales post se infelices reliquit. Vir fuit subiectis omnibus invisus, quibus praeter solita tributa centum millia aureorum florenorum imperare consueverat. Sed praeter iniquas exactiones etiam venationibus quas prohibuerat intentos bonis publicatis, vel oculis, vel laqueo

crudeliter necavit. Eo poenae genere centum ferme extinxit, et eos qui vel feras tantum degustassent gravissime mulctavit. Duos sacerdotes, a quibus de atroci sententia reprehensus fuerat, pravae religionis prius accusatos, postea comburi jussit. Ipse venandi studio mirifice detentus quinque millia canum inter subditas gentes, quibus etiam domesticae custodiae causa omne caninum genus capitali poena interdixerat, alenda divisit. Magistri bis singulis mensibus canes non secus ac milites cognoscebant, et qui vel strigosos, vel pinguiores produxissent, illi tamquam inedia consumpsissent, hi quod inertes fecissent, pari poena plectebantur. Quorum vero inspecto indice mortuos inveniebant atroci juditio bona adimebantur. Itaque magis timendi erant ipsi canum praefecti, quam qui imperio urbibus praeessent. Carolus Barnabae filius qui tunc Cremae residebat, patris calamitate audita Cremonam contendit, inde Parmam, mox Regium et in Germaniam ad Norici, nunc Bavariam vocant, Ducem confugit. Ibi, exigua quam secum attulerat pecunia consumpta, rursus in Italiam nudus rediit. Alii eum ad Florentinos Galleacii hostes, ut paternum imperium quandoque repeteret, transfugisse memorant. Caeterum Joannes Galleacins fidei juramento a Regiensibus per Franciscum Montecatinum accepto adversus Scaligeros cum Carrariis hac conditione foedus percussit, ut ipse Veronam, illi Vicentiam tenerent: ad eamque expeditionem octingentos cataphractos cum quingentorum sociorum manu mittere promissit.

Interim Atestinus bello Regienses adortus Nicolaum Canussium pecunia corrupit, ut Bibianellum, caeso Gabrioto, captum sibi traderet. Quod ubi Regium nunciatum fuit, Jacobus Vermius qui urbi praeerat, eo cum exercitu profectus, castellum una cum Sancto Paulo, quod hostis

detinebat, vi recepit. Ibi captus Nicolaus et Regium deductus cum filio nondum decem et octo annos nato, miserando spectaculo, securi est percussus. Castella Joannes Galleacius rescripto civitati subjecit. Inter hos motus Seraphinus Tavanus Tridinensis Regii antistes ob malos mores, et praesule indignos, depositus, et in Sardiniam relegatus fuit; cui Ugolinus Sessius viginti trium annorum juvenis, sed qui septennio juri civili operam dederat, ab Urbano VI successor est declaratus. Patavii vero Ugo Robertus cognomento Tripolitanus antistes fuit, ubi Nicolaum Zanaccium a Sancto Martino scribam habuit. Eo anno armentis dira lue consumptis propter bovum inopiam equis et asinis terram colere necesse fuit. A brutis ad homines id malum transiens universam Italiam afflixit. Corrigium tunc Regiensibus subjectum in urbis nostrae verba juravit. Ceterum Joannes Galleacins proferendo late imperio intentus Antonium Scaligerum gravissimo bello cum Francisco Carrario implicitum est adortus, et praelio superatum Verona, Vicentiaque spoliavit. Inde intra paucos dies per arctam obsidionem capto Patavio Carrarium Modoetianum in carcerem conjecit. Ejus filius Franciscus de sua et patris vita sollicitus primum ad Florentinos transiit, sed quod se apud eos minus tutum crederet ad Stephanum Norici Ducem transfugit. Demum faventibus Venetis mutata veste Patavium ingressus praeter arcem paternum imperium recepit. Tandem Alberti Atestini, qui Nicolao Claudo fratri eo anno successerat, et Florentinorum auxilio, pulsis Vicecomitum copiis, liberam urbem habuit. Joannes vero Galleacius in primis Albertum Atestinum, oppido Ateste tradito, saevissimum hostem placavit, deinde Jacobum Vermium contra Bononienses pugnaturum misit, qui a Joanne Aucuto tunc

Florentinorum duce acriter impetitus Mutinam, et Regium se recipere coactus fuit. Ea arrepta occasione Pontificii Carrariensibus conjuncti cum trecentis cataphractis in agro nostro quidquid obviam invenerunt ex tempore sunt depraedati. Petrus quoque Corrigius, qui diu exul, ac demum restitutus pecunia a Florentinis accepta a Galleacio defecerat, magnum Regiensibus, et Parmensibus timorem incussit. Nec multo post evenit, ut Nicolaus Folleanus eques a Boccadoro agnato homine facinorosissimo et latrociniis assueto occideretur. Tertio enim nonas julii summo mane quinque filiis domi dormientibus relictis, Rondanaria cum sacerdote egressus, ut sacris interesset, ad fanum sub castelli moenibus situm se contulerat; ibi Boccadorus, vel ut alii scribunt Carolus ejus filius, qui cum viginti sicariis in templo latuerat, propinquum aggressus crudeliter trucidavit: liberos etiam cum castello opprimere cogitaverat, sed repente sublato ponte exclusus, spe frustratus fuit. Carolus et Gibertus, ut miserandam parentis necem ulciscerentur, valida sociorum manu collecta, Vianum Boccadori castellum adoriuntur, quo cum arce vi expugnato, captum Boccadorum Rondanariam ducunt, et in loco, ubi Nicolaus occubuerat, ejus manibus parentantes velut victimam jugularunt. Vianum Carolus, Gibertus vero Romanum aliud Boccadori castellum obtinuit.

At Joannes Galleacius extinguendi nominis Guelphi cupidus Albericum Balbianum Cunii Comitem ex carceribus liberatum centum cataphractorum alae praefecit, cui soli se plusquam ceteris omnibus ducibus debere Itali fatebantur. Primus enim nostros arma gerere, ordines, signaque servare, et pro scorteis, ferreis loricis uti docuit: quo factum est, ut cum antea sine externis auxiliis Itali bellum gerere non possent, ex eo tempore non solum se

adversus hostes tutari coeperint, sed etiam barbaros omnes fortiter ejecerint. Is ex schola Joannis Aucuti Angli prodierat, qui tanquam exactus militiae magister magnis stipendiis apud Galleacium II Vicecomitem socerum, et Gregorium Pontificem, Florentinos Pisanosque summa cum laude meruerat. Idem Sfortiam Braccium, Carolum Malatestam, Paulum Ursinum, et Mostardam alumnos habuit, magisterque equitum creatus, qui supremus militiae honos apud Neapolitanos habetur, et Comestabilis vocatur, quatuor millia cataphractorum, et totidem levis armaturae equitum, qui ad eum sponte confluebant, Divi Georgii auspiciis sub signis aluit. Hi sacramento adacti, se nunquam hosti terga daturos conjuraverant. Primus cassidi subductilem buculam addidit, ac transversa tantum rima ad prospiciendum relicta militum ora protexit, eam conclusam, duplicemque galeam Gothico vocabulo Helmettum vocamus. Ferreo praeterea gutturali jugulum muniens galeae loricam conjunxit, ac tegumentis ex recocto corio deauratis, et ad decorem pictura distinctis, quae bardas dicimus, equos usque ad genua armavit, prominente stylo frontalibus ferreis addito, quo in congressu hostes ferirentur. Is barbarorum licentiam ad praedandum per Italiam discurrentium frenavit, adeoque feliciter, et saepius profligavit, ut corruptam Italorum disciplinam insigni cum laude restitueret. Non uno in loco Gallos, Britannos, Germanosque superavit; Hispanos, Allobroges, Anglosque ea virtute delevit, ut clarissimam nominis famam summa cum laude promeruerit. Sub eo Sfortiani, et Bracciani milites educati in diversas factiones abierunt; quorum arma tantum nominis apud omnes habuerunt, ut exteras gentes nobili rerum gestarum fama perterruerint. Balbianus ab exiguo Galliae Cisalpinae oppido vo-

catus, qui cum sub Joanne Galleacio diu meruisset, postea pro Ludovico Andegavensi contra Ladislaum Regem in Apuliam est profectus: eo bello hostium insidiis captus, ac durissimo pervigilio tortus, in tetro carcere diu fuit; donec Joannis Galleacii pecunia, quod ejus opera, Joanne Bentivolo interfecto, Bononiam urbem cepisset, liberaliter est redemptus (1): ad promerendamque praestantis ducis benevolentiam eidem Monticulum cum proximis oppidulis, et Nugarolam in Veronensi agro, amplumque stipendium est elargitus, quamvis Corius id sequenti anno factum fuisse existimet.

Inter haec Albertus Ferrariae Princeps cum Bonifacii IX auctoritate Ferrariae gymnasium condidisset, sine alia legitima prole decedens Nicolaum ex Isotta Alberisana postea in uxorem ducta natum adhuc impuberem sub tutela Philippi Roberti Regiensis in paternam sedem sublatum successorem habuit (2). Joannes Galleacius Alberti morte comperta per Franciscum Saxolum, quem pecunia corruptum cum duobus oppidis ab Atestino sejunxit, sequentibus annis gravi bello Mutinenses afflixit. Guidonem quoque Polentensem Ravennae Regulum et Corrigienses, qui Castellum Arianorum occupaverant, in suas partes pertraxit. His conjunctus est Actius Nicolai patruus ex vetusto Atestinorum sanguine ortus, quem vivens Albertus Ferrariensium factione potens cum Francisco Florentiam relegaverat. Is imperium sibi legitime debitum a spurio teneri aegre ferebat: quare trecentis cataphractis a Joanne Galleacio acceptis, primum Castrum Arianorum contendit,

(1) Jovius in elogiis virorum bellica virtute illustrium.

(2) Ut apparet ex instrumento de quo est rogatus Nicolinus Bonaliolus qui erat Alberto a secretis.

ubi Saxolensibus conjunctus tribus continuis mensibus bello Mutinenses vexavit. Quo tempore Thebaldus Sessius, Ugolino antistiti defuncto, adhuc juvenis Regiensi ecclesiae praefectus fuit. Sed Actius de recipienda per proditionem Ferraria in spem ductus Nicolai Marchionis familiarem, ut urbem dolo interciperet, magnis pollicitationibus frustra sollicitavit. Demum Lucum cum proximo oppido, ubi Atestinorum opes conditae erant, ejus nomine Balbianus invasit; sed ei praesidio quod Ravennae habebat imposito, in potestate sua castella retinuit. Alii ferunt (1) ea loca Alberico promissa si Actium interficeret, sed ille fallaci arte, altero qui Actio persimilis erat occiso, Lucum et Consilicem obtinuit; productoque postea in publicum Actio Nicolaum elusit. His gestis Actius quingentis equitibus, et bis mille peditibus Padum transgressus in spem capiendae Argentae venit. Ferrarienses, hostis consilio cognito, magna militum manu egrediuntur: ubi Argentam ventum est, cruento commisso praelio captus Actius et Faventiam deductus Astorgii Manfredi qui per Bavarum ejus urbis principatum adeptus erat, custodiae commissus fuit.

Interea Joannes Galleacius Valentina filia Ludovico Aurelianorum Principi Gallorum Regis filio nuptui locata, Astam coloniam dotis nomine dedit, ac familiae suae insignia, quae viperam in quadrifido scuto ostendebant, pro omnibus imperii sui urbium foris cum regiis suspendi jussit. Haec spectatae virtutis stemmata Otho multis ante annis, caeso feroci barbaro, ad posteros transmiserat; qui Hierosolymas oppugnante Gothifredo a Voluci Saracenorum duce ad singulare certamen provocatus, confosso

(1) Plat. in Bonifacio IX.

hoste, opima spolia retulerat, auratamque viperam quam ille in cassidis cono complicatis spiris puerum devorantem gerebat, nobile gentis ornamentum habuit. Nec multo post Joannes Galleacius a Ladislao Caesare Caroli Neapolitani Regis filio aquilae nigrae insigni donatus, novo Ducis Mediolani titulo honestatus, id pro suarum urbium foris pingendum curavit. Denique convocatis ex universa Italia Principibus delatae dignitatis ornamenta per Benesium Caesaris legatum non sine plurium invidia nonis septembris solemni pompa accepit. Dies is fuit dominicus quo cum splendidissimo Principum, variarumque gentium legatorum comitatu, praecinentibus citharaedis ex arce in Divi Ambrosii forum est deductus. Ibi excelsum tribunal ex ligno in hemicycli formam fabricatum ad summum ascendentibus gradibus theatri instar erectum fuerat, et coccineis aulaeis undique exornatum splendente auro superne tegebatur. In eo sedens Benesius collegam, qui vexillum imperatoris tenebat, ad dexteram posuerat, Joannemque Galleacium benigne exceptum ad sinistram collocavit. Sacris peractis Benesius brevi oratione in pristino imperio confirmatum Mediolani Ducem declaravit. Deinde juramento de servanda fide Caesari ex more accepto, genua flectentem Ducem nobili paludamento, et specioso pileo, cinguloque pretiosis margaritis distincto cohonestavit, quod ducentis millibus aureorum florenorum aestimatum fuit. Exinde sub splendidissima umbella, quam octo equites regebant, in palatium mirifice exornatum equis sunt devecti. Abaci aureis, argenteisque vasis copiosissime instructi, et laqueare coenationis magno luxu aurea tela contectum ingentem magnificentiam ostendebant. Lautissimo carnium, pisciumque apparatu, et exquisitarum epularum genere plurimos convivio excepit. Mensis sub-

latis, aurea, argenteaque vasa, torques, annulos, bombicem, purpureosque et auro contextos pannos, atque alia id genus quae triginta millia aureorum florenorum summam aequare dicebantur, inter omnes convivas pro cujusque fortuna liberaliter divisit. Benesio quinquaginta ostrinis ex bombice stragulis instrati generosissimi equi sunt donati. Inde choreae actae, et per quatuor dies opima praemia variis certaminibus proposita fuere. Tanti successus felicitate Italiae Principes perculsi, qui potentissimi hominis formidandas opes suspectabant, Florentini, Bononienses, Pisani, cum Atestinis, Gonzagis, et Astorgio Manfredo Faventiae Principe in eum conjurant: Gallisque cis alpes, duce Armeniaco, accitis, per crebras legationes Ladislaum tamquam imperii majestatis deformatorem apud septem viros Imperii Electores criminantur; quos demum, ipso deposito, ad eligendum Robertum Bojarium Norici Principem, et Rheni Comitem impulerunt. Inter haec Franciscus Atestinus Saxolum, quod antea Astorgio Manfredo pro alimentis Actii traditum fuerat, cum Floriano et aliis castellis recepit. Ob hanc cladem Mutinae et Ferrariae non mediocriter est trepidatum. Timorem etiam auxit Joannes Balbianus, Joannis Galleacii copiarum sub Alberico ductor, qui a Pisanorum expeditione reversus, quam contra Florentinos habuerat, opimam praedam ex Mantuano agro fecit. Deinde dum ad Saxolum, Mirandulam, et interjecta oppida hibernat, Vineolum aliud castellum cepit. Sed is non multo post a Nicolao Atestino captus, et securi percussus illatae ad Lucum injuriae poenas dedit. Ceterum Joanni Galleacio Vicecomiti praeter superioris anni dignitatem novus honor accessit. A Summo enim Pontifice jus obtinuit, ut oppida urbium titulo honestare posset. Ladislaus quoque Imperator Ticini Comi-

tem creatum pileo Ducis insigni, et nobili humerali (vulgo Baverum vocant) exornavit. Quam ob causam, quae ei parebant civitates legatos, qui publico nomine fidem novo jurejurando obstringerent, miserunt. Tot speciosis titulis elatus Joannes Galleacius, ut eorum, qui contra se consilia inierant, audaciam contunderet, Mantuam quamprimum in suam potestatem redigere constituit. Ingenti itaque coacto exercitu (1) primum Luzariam, Suzariamque non ignobilia castella Jacobo Vermio copiarum duce octo dierum spatio expugnavit. Inde conversus ad Mellariam, quam in Padi ripa expositam Atestini Gonzagis oppignoraverant, brevi eam quoque, mox Marcariam, et Campitellum in suam potestatem redegit. His actis Jacobus Vermius quadraginta rostratis navibus per Eridanum ad Burgifortis pontem delatus atroci praelio hostes vicit. Qui cladi superfuerunt magno animo ad prohibendum victoribus transitum contenderunt: sed illi favente vento, et secundis Padi fluctibus magno impetu vecti, facibus in ligneam materiam injectis, pontem facile incenderunt. Carolus Malatesta velut alter Cocles eum constantissime defendit, donec superante flamma omnium ultimus cum Francisco Gonzaga se Mantuam recipere coactus est. Eos secutus Vermius urbem munitam ingredi non potuit, sed omnia igne ferroque absumens suburbia vastavit. Continnis bellis, immoderatique sumptibus attritus Galleacius mense julio vectigalia duplicavit, nec multo post aliud quoque duplex tributum imperavit; et cum tertium etiam post paucos dies indixisset, tantum onus non ferentibus civibus, quorum ad extremam inopiam plerique redacti fuerunt, dimidia tantum pars exacta reliquum ditiores

(1) MCCCXCVII die III aprilis.

mutui nomine persolverunt. Adeo vero ejus principis opes auctae erant, ut ex ordinariis vectigalibus menstrua centum millia, et extra ordinem octingenta millia florenorum singulo anno exigere consueverit. Inter haec Veneti, qui ad comprimendam crescentis in immensum principis potentiam cum Florentinis et Atestinis conspiraverunt, formidandas copias contraxerunt, exornatisque triremibus adverso Pado in hostes vecti prospere pugnaverunt. Universa enim fere navigia numero centumviginti, et duo millia equitum, et sex millia peditum cum aeneis tormentis majoribus quinquaginta ceperunt, Mellariamque castellum eripuerunt. In eo praelio Frignanus Sessius mille quingentorum equitum dux captus fuit. Tanta clade accepta Jacobus Vermius, Mantua quam obsidebat relicta, Brixillum se recipere coactus est. Guido quoque Corrigius, qui ob initam cum Antonio Scaligero societatem septem annis carcere inclusus, ac demum amicis exorantibus liberatus octoginta cataphractis in urbe Senarum a Joanne Galleacio praefectus fuerat, veteris injuriae magis quam novi beneficii memor ad Florentinos defecit, et equitatu cui praeerat cis alpes transmisso, Regiensem, Parmensemque agrum multis incommodis affecit. His aliud malum accessit, quod inaudito terraemotu (1) plerisque cadentibus aedificiis, universa Gallia Cisalpina foede est deformata. At Joannes Galleacius adversis casibus minime perterritus triginta sex rostratarum navium, quae Galleones vocantur, et aliorum minorum navigiorum classe renovata cruentum praelium ad Burgumfortem commisit, quo viginti quatuor rostratas Venetorum naves, et duas triremes cepit. Exinde ad obsidendam Mantuam reversus, tandem Venetorum

(1) Die XXVI decembris MCCCXCVIII.

opera in decennium pactis induciis Franciscum Gonzagam solemni instrumento beneficiarium clientem sibi fecit. Nec multo post Petro Gambacurta Pisarum tyranno paulo ante a Jacobo Applano publico scriba occiso, a Gerardo parricidae filio qui ob crebras seditiones aegre urbem retinebat, ducentis millibus florenorum Pisas emit: et ut in summa rerum felicitate evenire solet succedentibus pro voto rebus, etiam Senas, quas saepius Pontifices frustra occupare tentaverant, ultro dedentibus se civibus, ditionis suae adjecit. Ejectis quoque ex vetusta sede Malespinis cum omnibus adjacentibus oppidis sibi Lunam subjecit. In ea proferendi imperii prosperitate etiam Perusinos, qui Ugolini Trincii Fulginatis Pontificis Vicarii armis resistere non poterant, Othone cum quingentis velitibus praesidii causa misso, in deditionem accepit. Nuceriam praeterea et Spoletum in Umbria invasit, et Assisium corruptis defensoribus occupavit. Ab alia parte in Pedemonte Facinius Canis, qui ibi ejus copiis praeerat, Septinam, Rovarium, Caravinum, et postremo Eporediam non ignobilia oppida subegit. Continuis tamen bellorum exhaustus impensis pecuniam tertia verae aestimationis parte subtracta deteriorem cudere coactus est. Dum haec Joanni Galleatio feliciter succedunt ex alpibus ingens virorum, mulierumque multitudo linteis albis circumducta ac sacerdote, qui magnam vultu, et verbis religionem praeseferebat, cum Christi imagine praecedente, in Italiam descendit: praelatnm Crucifixum ob hominum peccata lacriymari dictitabant: ipsi veniam a Deo petentes, concinosque hymnos canentes ambulabant publice in vicis, et communi mensa epulati, ubi nox oppresserat, permixtae maribus feminae dormiebant. Cum Regium venissent, aucta religionis opinione non rudem modo, et credulam plebem, sed principes

etiam, et episcopos secum traxerunt. Demum cum Viterbium pervenissent, ut martyrum sepulchra Romae inviserent, Bonifacius fraudem suspicatus, praemissis militibus comprehensum sacerdotem multitudinis ducem combussit: caeteri grassante per Italiam pestilentia omnes fere morbo sunt consumpti. Eo tempore Chrisolorus Bysantius literas graecas, quae jam quingentos annos ab Italia exulaverant, Regium attulit, et ibi utriusque linguae scholas instituit.

Inter haec Joannes Bentivolus Bononiae civium factione potens, dum patriam se Joanni Galleacio proditurum simulat, ingenti pecuniae summa, quam eo nomine acceperat, plures militum copias conduxit et urbem per tyrannidem invasit. Trecenti expediti equites ob eam causam diu Regii detenti, detecta fraude, revocati fuere. Hujus injuriae ultione in opportunius tempus dilata, Joannes Galleacius memorabile opus aggressus est. A Pado enim ad Hostiliam per duo millia passuum usque ad Patavii paludes fossam excavavit, et inde aliam per septem millia passuum navigabilem in Veronensem agrum perduxit. Itaque Veronensibus latis aquarum emissariis munitis prohibuit, ne quis eo Patavio Ferrariave posset commeare. At Florentini et Veneti, qui principem in dies ad totius Italiae regnum aspirantem vehementer timebant, Robertum Bavariae ducem, quem septem viri, Ladislao ob ignaviam exauctorato, Caesarem creaverant magnis pollicitationibus illectum in Italiam vocant; sed non prius promissam pecuniam accepturus erat, quam Vicecomitis fines attigisset. Brixianum igitur agrum ad lacum Benacum ingressus, mercedis partem habuerat, cum a Facino Cane, primis Germanorum alis profligatis, Tridentum retruditur. Fugientem Florentini, quominus in Germaniam

reverteretur, nullis praemiis retinere potuerunt. Joannes vero Galleacius tot perpetuis bellis attritus, ut Joannem Bentivolum ulcisceretur per acerbissimas exactiones ingentem pecuniam collegit, Albericumque Balbianum cum formidando exercitu ad occupandam Bononiam misit. Florentini tanto apparatu fortunati principis perterriti Bardenonem Aquitanum exercitus imperatorem fortissimum in Bentivoli auxilium ire jubent; qui ad Casaleccium collata acie Balbiani virtute superatur. In eo praelio Joanne quoque Bentivolo obtruncato Vicecomes nemine resistente Bononia facile potitus est. Ob eam insignem victoriam non Regii tantum, sed in aliis Galliae urbibus indictae supplicationes, ignesque plurimi publicae laetitiae causa sunt accensi. Othobono Tertio, qui egregiam operam in eo certamine navaverat, Guardasonum, Scalogia, Colurnium, et alia adjacentia, quae olim Giberti Corrigii fuerant, castella donata fuere. Hoc felici rerum successu, dum ad totius Italiae regnum Joannes Galleacius aspirat, anno aetatis quinquagesimo quinto tabifica febre correptus quinto nonas septembris apud Maregnanum decessit; vir quo vel imperii magnitudine, vel rerum gestarum felicitate a Ghoticis temporibus nemo in Italia vel potentior vel clarior extitit. Ad obeundas bellorum expeditiones viginti millibus equitum, totidemque peditibus perpetuo usus, etiam fortissimum quemque amplioribus stipendiis invitatum alebat; qua arte cum maxima nominis fama opulentum regnum ad posteros transmisit. Sed praeclara ejus gesta non parum obscuravit, quod praeter ceteros principes superbo fastu ambitiosius elatus, etiam nobiles viros genibus flexis ante se procumbere patiebatur; gravissimos vero, et primae classis homines ad dexterae osculum, quod ante aliquot saecula in Italia nemo viderat,

gravi invidia venerabundus excipiebat. Duos legitimos filios et alinm naturalem, legitimum tamen factum, reliquit. Ex his Joannes Maria maximus natu patris testamento Mediolanum, Novum Comum, Laudem Pompejam, Placentiam, Parmam, Regium, Bononiam, Bergomum et Brixiam obtinuit. Philippus Maria alter ex legitimis Ticinum, Novariam, Vercellas, Dertonam, Alexandriam, Veronam, Vicentiam, Feltriam, Bellunum, Bassanum, ac cetera Tridentum usque habuit, quae omnia beneficiario jnre ex patris testamento a Mediolani principe agnoscere tenebatur. Gabrieli autem ex Agnete Mantegatia spurio, Pisis, Cremaque traditis, ad tanti imperii molem sustinendam decem et septem singulari virtute, et rerum experientia spectatissimorum virorum consilio filios regendos commisit. Ejus mortem prodigiosus cometes, qui tertio idus aprilis singulis reliquae quadragesimae diebus ab euro in chorum apparuerat, praedixisse creditus est. Luridam et funebrem caudam magnitudinis duarum, ut videbatur, ulnarnm primo die ingens sidus post se trahebat, qnod in dies majus factum, ad eam tandem longitudinem excrevit, ut primo vigintiquinque ulnarum crinem, postero die quinquaginta, demum ducentum ostenderit, postremo lucem cum nocte commutans per octo dies ante auroram lumine adeo claro visus est, ut solis orbem quandoqne obscnraverit. Defuncti Ducis cadaver quatuordecim horas solemni pompa elatum nobilissimum visentibus spectaculum praebuit, cui inter alios Regiensium legati interfuerunt.

Diviso Mediolani imperio statim antiquae Gibellinorum Guelphorumque factiones, quae superiorum principum prudentia extinctae videbantur, neglecto adolescente Duce repente emicuerunt. Veteribus enim civium odiis refrica-

tis, urbs tota caedibns, incendiisque repleri coepit. Cum idem morbus reliquas imperii civitates invaderet, praefecti qui orientes tumultus facile extinguere potuissent, impudenti perfidia tyrannidem arripuerunt. Gabrinus enim Fundulins oppressis Gibellinis Cremonam, Pandulphus Malatesta, qui sibi pecuniam deberi dictitabat, suadentibus Venetis, Brixiam, et Bergomum, Facinns Canis Ticinum atque Alexandriam occupavit. Laudem Pompejam Joannes Vineatus, quadrigentorum equitum ala sub Alberto Roberto a Francisco Carrario impetrata, subegit. Crema a Benzonibus, et Placentia ab Arcellis oppressa; Paulus Guinisins Lncam, Franciscus Rusca Comum, Brusati Vercellas, et Torricelli quondam exules Novariam invaserunt. Franciscus item Carrarius, Gulielmo Scaligero quem Veronam reduxerat veneno necato, ea urbe potitus etiam Carolum Vicecomitem, quod pecuniam mutuo acceptam non restitueret, pari fraude sustulit. Veneti qnoque ultro se dedentibus civibus, Vicentia in suam potestatem redacta, et Verona per Franciscum Gonzagam Ducem occupata; postea etiam Patavium, Alberti Roberti copiarum ducis opera, Carrariis extinctis, obtinnernnt. In ea expeditione Feltrinus Gonzaga strenue se gessit, qui dum intra Veronae moenia cum quadrigentis peditibus irrumpere tentat, a Jacobo Carrario captus et Patavium ductus ibi misere decessit: ceteri milites ant caesi aut capti fuere. Inter hos tumultus Albericus quoque Balbianus Joannis Galleacii equitum magister (Comestabilem vocabant) acceptorum beneficiorum immemor, qui Monticulum cum amplioribus villis, et Nugarolam in Veronensibus velnt cliens obtinuerat, ad Pontificem et Florentinos perfide defecit; ad eam denique rerum prosperitatem pervenit, ut urbe Bononia se potiturum speraret;

verum a Ladislao Neapolim accitus omnem conceptae tyrannidis spem abjecit. Ante alios Carolus Vicecomes Barnabae filius populos undique ad defectionem sollicitabat; ab alia parte Pontifex qui cum Florentiuis ad deprimendos novos principes conspiraverat, Nicolaum Atestinum, cui etiam Ferrariam beneficiario jure confirmavit, omnium copiarum imperatorem declaravit. In Parmensibus quoque rebellantibus Rosciis et Corrigiis, Aloysius a Palude Vinianum, quod Arduini pro Vicecomitibus detinebant, castellum invaserat: qua occasione arrepta Folleani legatum Pontificium Flaminiae rectorem et Atestinum cum Carolo Malatesta, et Alberico Balbiano qui Pontificis copiarum imperator nuper in Galliam Cisalpinam reversus fuerat, in Parmenses vocarunt. Hi castris ad Niceae pontem positis usque ad Parmae moenia praedia populati universam praedam Mutinam referebant. Sed Othoboni Tertii Parmensis armis viriliter urbe servata, etiam Vinianum expugnatum funditus eversum fuit. Aloysio fuga ex hostium manibus elapso, Phoebus ejus necessarius captus et laqueo strangulatus fuit. In ea perturbatione Paulus Folleanus Giberto Nicolai filio gentili Livianum, qno jure suum esse asserebat, nocte per fraudem intercepit. Nec multo post alter Folleanus agnati exemplum secutus Baisium diu obsedit, ac demum prodente Archiflamine castellnm obtinuit; inde ad Sanctum Romanum profectus id quoque Giberto jam tribus castellis spoliato ademit, cum ille in oppugnandis Manfredis tempus terreret.

Inter hos motus cum urbes numero vigintiquinque a Vicecomitibus defecissent, Jacobus Roscius Veronae antistes, et ipse cum Petro fratre Parmam occupaturus ingentem rusticorum turbam aliis post alios missis Tertii

consensu, qui ad tyrannidem aspirabat, quotidie in urbem introducebat. Cum vero idoneum praesidium induxissent conjunctis animis utrique patriam invaserunt. Sed cum satellitem suum occisum Othobonus esse sensisset, magnam civium Parmensium, et rusticorum Roscianae factionis multitudinem statim capi, et in conspectu suo trucidari jussit. In quibus puerum optimi civis filium sibi pueriliter blandientem de miserae matris sinu evelli, et ad lapidem crudeliter allidi praecepit. Interfectorum cadaveribus, qui trecenti et quatuordecim fuisse dicuntur, duodecim plaustra onusta ad hostium castra transmisisse dicitur, qua de re Antonii Lusci Vicentini ad Atestinum scripta epistola visitur. Itaque cum Parmam solus occupasset, quandiu arderet candela, quam pretii stipis minimae supra campanam in foro Parmensi collocaverat, poena capitis, et bonorum publicationis alios omnes Roscianae factionis cives cum rusticis urbe excedere jussit, eosque in decennium relegavit. Demum ad devorandas exulum facultates mille Joannis Galleacii veteranos equites, et magnam peditum manum Roscianis in aedibus mensis spatio aluit. Alios vero ejusdem factionis nobiliores custodiae traditos decem millibus florenorum ad stipendium militibus solvendum mulctavit. Vidua Vicecomitum mater omni subsidio destituta ut turbatum imperium pacaret, Carolum Malatestam, ejus filia Joanni Mariae uxore data, Mediolanum vocat; sed cum is non multo post velut Guelphorum partium fautor ejectus esset, Canem Facinium, mox eo quoque expulso, Bucialdum Gallum a Rege Galliae Genuae praefectum accivit, qui et ipse superbo et impotenti dominatu in affectati principatus suspicionem venit: quare tumultuantibus civibus et rebellantibus Liguribus a Facinio profligatus trans alpes re-

trusus fuit. Hic erat Bucialdus, qui Gabrielem, Joannis Galleacii filium spurinm, ut ducenta millia florenorum interciperet, quibus Pisas Florentino senatui vendiderat, immani scelere Genuae gladio percussit. Legatus vero Pontificius dum Bononiam obsidet a Cremonensibus aliisque proximis rebellantibus populis accersitus cum Petro Roscio diu ad Padum velut copias transmissurus non sine magno ejus regionis incommodo haesit. Demum difficili transitu invento classe ad Colurnnm vectus a sex rostratis Vicecomitum navibus, quas galeones vocant, debellatus est; multisque ex suis captis, aliisque submersis in Mutinensem retrocedere coactus fuit. Adversae pugnae clades Pontificem ad ineundem pacem faciliorem fecit, qui post viginti dies, quam de foedere tractari coeptum est, tandem Bononia, Perusio, et Assisio acceptis, Vicecomitibus est conciliatus.

Rebus ita compositis Othobonus Tertius Dinatianum profectus Caroli Folleani filiam uxorem duxit, et cum perfidum de invadendo imperio animum nondum patefecisset cum Jacobo Vermio principum nomine Brixiam paulo ante a Francisco Carrario obsessam recepit. Tandem cum Mediolani populus a tumultibus non cessaret, aliique quotidie a Vicecomitum dominatu deficerent, per eam occasionem anno MCCCCV, post quam Parmam occupavit, etiam Regii aperte se tyrannum declaravit. Adolescentibns enim principibus neglectis cum novae quotidie turbae, novaeque conjurationes orirentur, Nicolaus Atestinus facile se Regienses intercepturum speraverat, et cum nuper Nicolaus Robertus, et Gerardus Bojardus patriam se tradituros promisissent, Uguccionem Contrarium cum duobus millibus peditum, et octingentis equitibus ad eam urbem accipiendam miserat. Sed re detecta Otho-

bonus Vicecomitum nomine Regium ingressus cum ad omnem novandarum rerum occasionem adimendam viro principe opus esse dictitaret, Regii imperium sibi sumpsit. Ejus facti Veneti crediti sunt auctores qui omni arte Vicecomitum opes diminuere conabantur; ac tum inter Atestinum, et Tertium in annum inducias composuerunt. Contrarius obtinendae civitatis spe dejectus praeda aestimationis centum millium florenorum abacta, in Mutinenses se recepit. Inter haec in diversas factiones Mediolani proceribus divisis Othobonus a Vermio Guelphorum principe integrae legioni praefectus ad ejus urbis praesidium vocatur. Is septem millium peditum conscripto exercitu in itinere Placentiam invasit, ignobilibusque castellis expugnatis cum munitiones obtinere non potuisset, eam accepta pecunia Vicecomitibus restituit, nec multo post rupta fide diripuit. Laudem vero Pompejam capere cum posset auro corruptus discessit, et civitatem obsidione liberavit. Ubi prope Mediolanum factus est, Facinium Canem, qui eum transitu prohibiturus venerat, prospera pugna profligavit. Sed ne Vermio potentia aucto scelerum poenas daret hostium reliquias prosequi noluit. Denique celebri nominis fama clarus, patricii titulo, et viperae insignibus honestatus, Joannis Mariae ac fratris protector declaratur. In eo rerum successu viribus auctus omnes Gibellinae factionis homines sustulisset nisi Jacobi Vermii tantum facinus abhorrentis consilio revocatus fuisset: sicut humanum sanguinem sitiebat, ita etiam auro inexplebilis plus centum millia florenorum, et quadrigenta boum juga extorsit. Aliam insuper a Duce pecuniam inique postulaverat, et cum onerosum ob id civibus tributum imperaretur, omnes saevam tyrannidem detestari, Vermio maledicere, qui famelicum lupum opes paternas devora-

turum vocasset. Tandem concilio ob sedandum tumultum indicto Tertium dimitti placuit. Tertio itaque nonas junii excedens ira odioque plenus et opibus ditatus Parmam se contulit. Regii vero Joannem Lalatam sordidissimum hominem pro Praetore, et Praefecto reliquerat, qui integro quadriennio omni inhumanitate avaritiaque usus implacabile in se civium odium concitavit.

Porro tanta eo tempore inter Parmenses ac Regienses concordia fuit, ut ad mutuam benevolentiam declarandam invicem concesserint, ut in alterutrorum agro qnique, velut propriae urbis cives, res soli possent acquirere, et centum ferme Regienses cum posteris civitate Parmensi donati fuere. Ceterum Othobonus completo induciarum tempore, quae Venetorum anctoritate cnm Nicolao Atestino initae fuerant, quatuor millibus equitum veteranorum instrnctus Mutinae atque Ferrariae imminebat. Ei se conjunxit Obicius Montegarolus qui castella quaedam in Frignano Nicolao adempta retinere non potuerat, et tum Mutinensium, Joannisque Manfredi castellis direptis praedam centum quinquaginta millium florenorum abegerat. Nicolaus ad contundendam infesti hostis audaciam, Sfortiam, qui Florentinorum copiis praefuerat, septingentorum equitum stipendio promisso vocavit; et vexillo tradito, in quo turbinatus adamas aureo annulo inclusus invicti ducis animum infractum denotabat, imperatorem exercitus declaravit. Is ex Attendula familia Cotignolae agri Faventini oppido natus sub Alberico Balbiano prima militiae rudimenta posuerat; Mutius antea vocabatur, sed cum praedam velut sui juris factam vi tuentem Balbianus forte deprehendisset, Sfortiae nomen indidit, quae vox latine violentum significat. Apud Broliam Allobrogem in Umbris Assisiatum tyrannum primum turmae equitum

praefectus, mox apud Albertum Atestinum justae alae vexillum sustinuit. Deinde apud Perusinos et Galleacium Vicecomitem pugnacis ducis nomen consecutus Florentinis tanto famae splendore militavit, ut Nerii Caponii manu ob Angelum Pergulanum hostium ducem superatum cum liliato vexillo lauream annuumque donativum obtinuerit. Eam denique virtutis bellicae laudem promeruerat, ut inter clarissimos sui temporis duces haberetur, speciosisque familiae jactis fundamentis filio obtinendi principatus Mediolanensis viam aperuerit. Cum vero Florentini ob Pisanos domitos aquiescerent, ad Nicolaum Atestinum se contulit, ac Mutinam ingressus ab Othobono cum quinque millibus equitum, et quadrigentis peditibus est obsessus. Contra Nicolaus, Actio Rodellia, Guidone Paulo, et Thoma Folleanis in suas partes traductis, etiam Nicolaum Canussium, Galleottum Valisnerium, Petrum Robertum, cum Jacobo fratre Lunae Episcopo contra hostem concitavit. Deinde ad obsidendam Herberiam profectus opportuno auxilio Sfortiam liberatum ad diripiendos Regienses et Parmenses dimisit.

Interea Guido Folleanus Gypsum cum sexaginta equitibus contendit ut Scandianenses vindemiam facturos interciperet. Id Guido Torellus tum Regii Praefectus sensit, et clam nocte cum trecentis equitibus Scandianum profectus se in insidiis collocat. Mane exeuntes vinitores triginta equites praesidio futuri praecedebant, in quos irruens Folleanus aliquot cepit. Tum clamore irrumpens Torellus cruentum certamen commisit; tandem cum sexaginta hostibus captis victor evasit. Porro Sfortia abolendae ignominiae cupidus Actium Rodelliam cum Francisco a Saxolo, Corrigiensibus, et Mirandulensibus, ad Valestrum Caroli Folleani, qui Othoboni socer erat, oppidum evertendum

misit, et aliam ipse in Parmenses incursionem fecit. Mox Guastallam et Castellum Novum, ubi Regiensium pecora numero duodecim millia servabantur, spe alterius praedae obtinendae advolat. Ea forte omni praesidio deserta inveniens, ad vallum prope Regiolum ab hoste factum abducit. Id ubi Othobonus cognovit eo cum expedito exercitu contendit; cum ad manus ventum esset a Giberto Corrigio in primis est in fugam versus, deinde cum Sfortia ad obscuram noctem signis collatis in neutram partem inclinante victoria ipse Regium, et Sfortia sub Regiolum pernoctaturus se recepit. Eum Mantuani qui in oppidi praesidio excubabant, sagittis, aliisque missilibus exturbatum, relicta praeda novum Marci Pii Castellum longius ire coegerunt. Hac re comperta Regienses agricolas, qui hostes sequerentur, ad arma vocant. Sfortia vero dum Mutinam repetit ad diripiendas alias Regiensium Parmensiumque villas conversus, Caroli Folleani agris incensis etiam Dinatianum ejus castellum captum igne consumpsit. Contra Othobonus Gabello superato cum mille octingentis equitibus, et duobus millibus peditum pari clade Mutinenses afflixit. Mox Sfortiam, quem locatis inter densa nemora militibus per insidias delere cogitabat, ad praelium provocat; sed ille ut iniquum ancepsque certamen evitaret per ignotos tramites Mutinam reversus ab omni periculo se eripuit. Ab alia parte Jacobus Folleanus Bismantuae agris direptis castelli dominos, qui ad Atestinum defecerant, ad Othoboni partes redire compulit. Michael vero Atendulus Sfortiae necessarius, dum in Parmenses incautius discurrit cum quadragentis equitibus interceptus, et contra militiae morem duris compedibus Parmae constrictus fuit. Eos Tertius diris tormentis subiectos, novo credulitatis invento, media hyeme nudatos

quotidie aqua frigida perfundebat, sed post duos menses quam capti fuerant, eo absente effractis carceribus cum sola tunica interiore cetera nudi evaserunt: ad portamqne urbis vi cnstodibus illata, Felinam, ubi episcopus Rosciua cum Othobono bellum gerebat se contulerunt. Praesnl venientibus humaniter vestes exhibuit, et ipsis castellum alio profecturus commisit. Parmam reversus Othobonns captivorum fuga cognita, statim Felinam oppugnatnm contendit, ubi a Michaele in pede vulneratus retrocedere coactus est. Inde Florentiolam obsedit; sed cum Dinatianum Caroli Folleani castrum Atestino traditum andivisset, Regium retrocessit. Attendulus vero Mntinam ad Sfortiam de rebus bellicis consilium capturus profectus est. Non multo post inter Nicolaum Atestinum et Othobonum qui etiam sacri baptismatis jure conjuncti compatres vocabantur, de pace agi coepit, ac tandem placuit utrumque inermem binis stipatum equitibus ad pontem Valeselam inter Regium et Herberiam foederis pactiones firmaturos convenire. Fama erat Nicolaum, qui armis aperte opprimi non poterat ab Othobono clam insidiis, pacis specie, interceptum iri. Et Gibertus Sanvitalis Sfortiae per nuncium significaverat, non longe in Salvaterra oppido plures armatos, ut Atestinum interciperent, delitescere. Quare Nicolaus hostis insidias veritus, sub obscuram noctem in proximum nemus cum militibus plures armis plenos saccos clam misit. His imperat ut ante lucem expediti vigilent, e si quem audiant tumultum auxilium laturi exeant. Jam dies sexto calendas aprilis Tertio fatalis venerat, cum ille orto sole cum Jacobo fratre, Nicolao filio, Carolo socero, et centum equitibus stipatus, qui sub clamide occulto thorace armati erant, et brevi, ut solebat, cuculla caput tectus parvoque cauda terram verrente equo insi-

dens inter Guidonem Taurellum et Antonaccium Aquilanum medius venit. Atestinus et ipse ut convenerat utroque Attendulo comitante affuit. Michael qui acceptam antea Parmae injuriam ulcisci volebat, re prius cum cognato communicata Sfortiam nobili equo vectum ad captandam gerendae rei occasionem per transversos campos extra aliornm nnmerum non sine spectantium suspicione ire jubet. Illi forte sub tunica fulgens thorax apparnit, et conquerente Tertio, quod velut hostes venissent; id pro militari consuetudine factum fuisse Nicolaus excusavit. Jam pacis conditiones dicebantur, cnm Sfortia veritus, ne Michael a patrando facinore timore perterritus retardaretur, stricto gladio, calcaribusque stimulato quadrupede, tanto impetu in Tertium irruit, ut transfossum cum equo ad terram prostraverit. Tum Michael vasto vulnere illato jacenti caput divisit: qui in insidiis latebant ad tumultum exeuntes Jacobum Othoboni fratrem, Guidonem Taurellum (is Mantna oriundus Guardastalli Montisque Clariculi dominus erat) Franciscum a Saxolo, et Antonaccium, aliosque Tertiornm comites vivos ceperunt. Taurellus postea hac lege dimissus ut Atestino militaret, et Marsilium patrem, et filium, et uxorem pro fide servanda obsides dedit. Uxor Ursina vocabatnr, quae absente viro Guardastallum oppugnari coeptum armis induta, virili animo, multis hostium manu sua occisis, egregie defendit (1). Rustici Mutinenses ob incommoda in eo bello accepta implacabili odio accensi Othoboni caesi intestinis extractis jecur in sartagine frixum famelica rabie comederunt. Cadavere discerpto et in frusta conciso, alii carnes inhumaniter devorasse dicuntur; caput lanceae praefixum

(1) Jo. Bapt. Fulgosius tit. de fortitudine l. 3, c. 2.

in triumphi speciem Roscii Felinam suae ditionis oppidum tulerunt. Pridie ciconia ejus necem praenunciasse fertur, quae in summo turris horologii culmine nidificare solita pullos discerpsit: ob memoriam Regienses ibidem ciconiae effigiem postea posuere. Atestinus cum Gerardo Bojardo, et Bonifacio Canussio, Recettum, Casalemgrandem, Dinatianum, et Salvaterram Caroli Folleani castella expugnavit. Jacobus et Beltramus Caroli fratres, qui cum Nicolao Othoboni filio Parmae degebant, ubi haec audierunt, filiis obsidibus traditis statim Nicolao Atestino se conciliarunt. At Jacobus Othoboni frater cum mille equitibus egressus Malvicinum cum trecentis expeditis equitibus Guardasoni reliquit, et alios centum in Pariana villa collocat; ipse cum Carolo Folleano Monticuli constitit. Malvicinus Nicolaum, qui hostes secutus Niceam flumen superaverat, primo impetu fudit. Sed cum Sfortia cum sexcentis equitibus supervenisset per duas horas acri certamine conflixit: demum amissis ducentis equitibus profligatus Parmam reverti coactus fuit. Id conspicati Simon, Guido et Albertus Canussii cum Quatuor Castellis, Canussio et Gypso Atestini fidei se commiserunt.

Inter haec Venetorum legati superveniunt nunciantes se Tertios in suam tutelam suscepisse, hortantur ut ab injuria amicis inferenda abstineat. Ipse nuncium de hac re se Venetias missurum respondit, ac statim ad Sanctum Mauritium castrametatus, legatis Regium missis urbem sibi tradi postulat. Cives jam multis annis gravi bello attriti, cum Vicecomitum vires infirmas, et eorum divisum imperium esse animadverterent, Nicolao se committere decreverunt. Pridie itaque calendas julii operam dante Ugutione Contrario Atestini Quaestore (quem collateralem vocabant) dedendae urbis conditiones, quae in nostro

adhuc tabulario conservantur, conscriptae fuerant. Inter cetera convenit, ut Nicolaus navigabilem fossam, per quam in urbem a vectigalibus immunes merces veherentur, effodi curaret, et ut omnia civitatis negotia in duodecim ut vocant Antianorum et quadraginta Decurionum arbitrio essent. Civium bona immunia conservarentur, et urbis moenia ipsius Principis Atestini aere munirentur. Ad conventiones confirmandas Simon Zachetta Jurisconsultus, et Giroldus Flordebellus legati Ferrariam missi, pacta ex sententia comprobata retulerunt, Arx quoque in quam Tertii milites confugerant intra paucos dies a Contrario recepta fuit. Regium praemissus Sfortia, non multo post Parmam quoque Giberti, Joannis, et Martini Sanvitalium consilio civibus se dedentibus, in Atestini potestatem redegit. Erat ibi Nicolaus cognomento Guerrerius, quae vox latine bellicosum exprimit, Othoboni Tertii filius naturalis, qui captam urbem sentiens in arcem se recepit, quam ab hostibus magna vi oppugnatam paulo post deseruit. Cetera Parmensium castella, praeter tria cum Jacobo Tertio Florentiolae ab Alberto Scoto capto, brevi in Nicolai Atestini ditionem pervenere. Casalem Majorem, Brixillum, et Colurnum, quae sibi reliqua erant, Tertii, ne in hostium potestatem pervenirent, Venetis tradiderunt, quae postea Philippus Mediolani Dux occupavit. Joannes Tertius Othoboni frater clam per sicarios Franciscum et Joannem Scotos sibi infensissimos interficere tentavit: sed ipse ab illis proditus et captus, veneno sublatus est. Jacobus alter ejus frater a Nicolao dimissus Florentiolam se receperat, quem Albertus Scotus castro potitus vivum cepit. Hortatur ut munitam arcem sibi traderet, quod cum nullis precibus a praefecto impetrare potuisset ab oppidanis est trucidatus. Burgo quoque Sancti Donini ab Orlandino

Palavicino capto, Nicolaus, Ambrosius, Antonius et Gibertus Tertii arcem Cabrino Cremonae tyranno obtulerunt, quam ille receptam Palavicino tradidit. Tertii sub custodia positi nunquam amplius visi fuere. Oppidum in Atestini potestatem postea pervenit. Repugnabat adhuc Gregorius Alemanus, qui Colurnum tenebat. Is ducentos pedites Parmam euntes cepit, sed superveniente Petro a Sancto Felice omnes recepti, et ipse cum castro captus est. Tertiorum rebus fractis, Joannes Malvicinus, Matthaeus Puteus, et Galleacius Parmensis, qui sub illis meruerant dolose ad Nicolaum transierunt ut eum fraude occiderent, sed detecto scelere de sicariis sumptum supplicium fuit.

Regiensi bello fine imposito Atestinus Nicolaum Robertum ad synodum Pisis ob tollendum schisma coactum misit, et Sfortiae ob egregiam decem et octo mensibus sibi praestitam fidem et operam Monticolum, quod ab eo non diu postea est detentum, donavit: et ad Balthasarem Cossam legatum Pontificis cum cataphractis octingentis et peditibus quadringentis hac lege ire permisit, ne contra se unquam pugnare cogerentur; sed ille, cum pecuniae angustia Pontifex premeretur, intra paucos dies ad Ladislaum Neapolis regem profectus effecit, ut omnium ejus copiarum imperator Nicolaus Atestinus crearetur. Anno itaque MCCCCXIII Ladislaus cum triginta millia ducatorum honorario sceptrum, quo exercitus praefectura mandata significabatur, Ferrariam ad eum fidejubente Sfortia misit. Sed Nicolaus ne contra Pontificem staret, accepta pecunia, sceptrum recusavit. Jam vero ab omni belli cura liber ad venerandum Domini sepulchrum, Feltrino Bojardo comitante, quem ibi equitem creavit, ex voto in Palestinam transfretavit. Exinde Beatae Virgini Laureti argenti op-

pidi effigiem obtulit. Mox Flavium Brigantium Divi Jacobi sepulchrum veneraturus alterius voti solvendi gratia contendit. In itinere Gallorum rex tria lilia Atestinae familiae insignibus inserenda dedit. Dum revertitur in Galliis a Sancti Michaelis praefecto captus diu in custodia fuit, nec antea dimissus, quam rex vico solo aequato praefectum capite mulctavit. Libertati restitutus octobri mense Regium venit, ubi magno populi applausu exceptus Bonifacio Canussio, quod factiosus esset, Castellum novum in Regiensibus, et Felinam ademit. Uguccioni vero Contrario Viniolas Montem Festinum cum aliis viginti vicis donavit, summatim bona elargitus quae centum millibus aureorum aestimabantur. His actis ut liberis operam daret Parisinam Caroli Malatestae filiam uxorem ducit, qua postea ob incestum cum Ugone naturali filio Nicolai commissum cum adultero ad ultimum supplicium damnata, Ricciardam Marchionis Salutiarum filiam tertiam uxorem sumpsit. At Leonellus alter ejus filius naturalis Margharitae Ducis Mantuae filiae matrimonio junctus est.

Interea Joanne Maria Mediolani Duce a conjuratis civibus ob inhumanam saevitiam trucidato, Philippus Maria frater, dum paternum regnum armis repetit, in biennium inducias cum Nicolao Atestino et Pandulpho Malatesta fecit: Gabrino vero et Pandulpho extinctis, cum non paucas paternae ditionis civitates, quas omnes fere amiserat, Carmagnolae praestantissimi sua aetate Ducis opera recuperasset, Parmae quoque et Regio recipiendis animum adjecit. Tandem Martino V Pontifice se interponente transactum est ut Parma Philippo restituta Regium Nicolaus beneficiario jure ab eo retineret (1). Monticolum quoque

(1) Blond. lib. III.

Sfortiae antea traditum, quod ad Parmenses pertineret, Vicecomiti est restitutum. Rebus ita compositis Nicolaus conventionibus quas cum Regiensibus pepigerat confirmatis omnia civium bona a quocumque tributorum genere immunia esse declaravit (1), quae sequente anno pridie nonas maii rursus confirmavit, et id praeterea addidit, ut ex agris collectos fructus citra vectigalium onus in urbem libere inferre cives possent, neve alicujus Castelli censui eorum bona ascriberentur. Constitutum quoque fuit, ut quo die Assumptio Virginis celebratur, omnes Regiensium pagi majori templo quotannis munus offerrent. Feltrino vero Bojardo, quem fidum longi itineris comitem habuerat, clientelae nomine Scandianum, Gypsum, Recettum, et Turricellam, quae Carolo Folleano eripuerat, liberaliter concessit. Ceterum Albertum Robertum Gabrini filium cum Margarita matre fratribus in exilium actis occidit, quod malis artibus Albertnm Nicolai patrem in Margaritae amorem pertraxisset.

Inter haec Philippi Mediolanensium Ducis, qui maximam partem paterni imperii recuperaverat, in immensum vires excreverant, usque adeo ut, Genua in suam potestatem redacta, et bello Florentinis illato, Hetruriam suo imperio se adiecturum minaretur. Illi tanti hostis potentiam veriti Laurentium Rodulphum celeberrimum jureconsultum legatum Venetias mittunt, qui senatui suadeat, ut secum contra Vicecomitem propediem totam Italiam invasurum belli socius esse velit. Is ut erat praeclaris animi ornamentis, et naturali etiam eloquentia instructus longa oratione senatores in patriae suae partes trahere conatus est. Sed cum nullis rationibus nullave arte Ve-

(1) In arca jur. cavae fol. 4. MCCCCXXII, MCCCCXXIII.

netos pacis amicos a proposito dimovere posset, tandem magna dicendi libertate, vestra, inquit, Veneti, negligentia Genuenses, quibus proximis annis succurrere noluistis, Philippum suum principem acceperunt, nos vero eum regem, et vos summum imperatorem creabitis. Senatus quem non longae orationes, non saepius repetitae legationes flexerant, trium verborum acumine motus Florentinis se conjunxit. In eam societatem Amideus Allobrogum Dux, Helvetii, Joannes Jacobus Montisferrati Marchio, Joannes Franciscus Mantuae Princeps, et Nicolaus Atestinus omnium copiarum imperator declaratus his conditionibus sunt perducti ut prospera belli succedente fortuna Amideus Mediolanum, Nicolaus Parmam, Florentini eam Æmiliae partem quae nunc Romandiola dicitur, cetera Veneti obtinerent. Id ubi Philippus sensit clam plura hostium castra per proditionem occupare tentavit. In primisque Joannem Folleanum cognomento Italianum, qui plura in Regiensibus castella tenebat, in suas partes traxit. Nicolaus Atestinus ut mature factioso homini occurreret, contracto exercitu ei Carpinetum, Minocium, Cavolam, Toanum, Solognum, Sarglanam, et Quertiolam ademit. Joannes Italianus cum Lodovica uxore Aguignam se recepit, ubi explicatis Vicecomitum vexillis, Atestinum, qui eum secutus fuerat, recedere compulit; sed ille magna militum manu in Parmenses deducta opimam praedam Nicolaus abduxit (1), et milites ex Æmilia et Hetruria Genuam a Philippo vocatos in itinere afflixit. Demum precibus Philippi victus materia ad construendum pontem super Scultenna fluvio clam nocte concessa liberam abeundi hostibus potestatem permisit (2). Joanne vero Italiano postea de-

(1) Blond. in III. decad. lib. II in fin. et lib. III in princ.

(2) Corius in V parte.

funoto, Ludovica Aguignani Bebiis tradidit, quibus castellum a Borsio confirmatum fuit. Eo tempore Soragi, Gazanique fines sunt declarati, de quibus incolae cum civibus contendebant (1). Albericus quoque Malettus jurisconsultus Ticinensis inter Herberiam et Regium terminos posuit, pronuntiavitque ut a vico, qui ad Sanctae Mariae hospitium jacet, omnia Regium versus urbis esse intelligerentur.

Post triennium quam haec acta sunt Nicolaus a Sigismundo Caesare, quem cum mille equitibus regio apparatu Ferrariam venientem exceperat, aquila nigra pro familiae insignibus donatus, etiam Adriam, quam dotis nomine possidebat, Regium, et Mutinam cum omnibus oppidis Caesareo diplomate confirmatas urbes obtinuit. Postea cum velut pacis cultor a Venetorum foedere discessisset ad dirimendas suorum populorum controversias est conversus, siquidem gravi de Gabelli fluminis aqua inter Mutinenses, et Regienses orta contentione, commune earum urbium esse flumen judicavit, Regiensibusque licere a Castello Arianorum dimidium fluentis ad se deducere, et aliud dimidium Mutinensibus a Saxolo Mutinam derivare (2). At Veneti in Florentinorum societate adversus Vicecomitem permanentes Franciscum Sfortiae filium, ut in Parmenses contra Nicolaum Picininum transiret, Regium cum exercitu miserunt. Id sentiens Philippus per legatum Nicolaum orare ut beneficiorum civitatisque Regii quam a se acceperat non immemor, magis secum quam cum Venetis antiquis hostibus sentire velit. Illi contra per Andream Maurocenum eundem sollicitare, ut immortalis Reipubli-

(1) In arcula duarum clavium MCCCCXXX.

(2) Die XV junii MCCCCXXXVII.

cae quam cito sine liberis perituri principis amicitiam sequi malit. Post longam deliberationem tandem Nicolaus ne ingrati erga Philippum animi notam subire videretur, Francisco Sfortiae nuntiat, nisi pro hoste baberi velit ac fines suos ingrediatur. Ille qui Blanca Philippi filia uxore ducta contra socerum invitus bellum movebat, frustra reclamante Mauroceno, velut ab omni conditione liber in Hetruriam discessit. Itaque Veneti a copiarum Duce destituti, Martini V Pontificis opera Brixia, et Bergomo acceptis, Vicecomiti sunt conciliati; Nicolao vero Atestino acceptis decem millibus aureorum Rhodigii peninsulam restituerant.

Sequenti anno MCCCCXXXVIII cum a Latinis Graeci de religione disentirent, Ferrariam ubi concilium indixerat Eugenius Pontifex cum romanae curiae praesulibus, et Joannes Paleologus Caesar Orientis cum Patriarcha Constantinapolitano, ejusque Antistitibus ad synodum convenere. Guarinum Veronensem inter Graecos Latinosque interpretem fuisse ferunt, sed pestilentia suborta, omnes inde Florentiam migrantes ambiguas de religione controversias terminarunt. Quo tempore Thebaldus Sessius, qui quadraginta quinque annis Regii antistes fuerat, in fata concessit, et cum hoc epitaphio in majore templo conditus fuit.

Sessia stirps tumba jaceo Thebaldus in ista,
Marmoreumque habeo mortuus hunc tumulum.
At quondam vivus teneris electus ab annis
Hujus Reginae Praesul eram patriae.

Et Jacobus Antonius Turrianus successit.

Post haec Nicolaus Atestinus ab Eugenio Pontifice Massam et Bagnacavallum in Flaminia emit, et a Philippo Vicecomite obtinuit ut Borsius ejus filius naturalis

quingentis cataphractis, et ducentis peditibus cum viginti millium aureorum stipendio praeesset. Ipse non multo post Mediolanum accitus universo Insubrum imperio praefectus est. Ibi jam sexagenario major non sine veneni suspicione lethali febre correptus anno MCCCCXLI et sui imperii quinquagesimo secundo sexto calendas januarias post meridiem vita excessit. Cadaver calendis januarii Ferrariam delatum in Divae Mariae aede, quam vivens condiderat, ante aram majorem sepultum fuit. Moriens duos filios ex Ricciarda Salassiorum Principis filia Herculem et Sigismundum adhuc impuberes, Leonellum praeterea, et Borsium ex Stella Assasinia, seu Ptolomaea, procreatos spurios reliquit; *ac Leonellum quem mirifice diligebat, ac vivens negotiorum socium assumpserat imperii sui successorem fecit, cui sine liberis masculis deficienti Herculem et Sigismundum, Borsio praeterito, substitutit, quemadmodum ex ejus testamento apparet, quod in publico chartophylacio asservatur.* Leonellus natu grandior impuberes tutelae suae a patre commissos, arrepta tyrannide, non solum imperio spoliavit, sed Neapolim etiam apud Alphonsum regem, cujus filiam Mariam uxorem duxit, sub specie discendae militaris disciplinae relegavit. Borsio vero, qui a consiliis Philippi Vicecomitis erat, Herberiam, Sanctum Martinum et Campumgajanum elargitus, Castellum novum in Dertonensi agro obtinuit. Ricciarda mater ejectorum liberorum iniuriam frustra deplorans eo animo Ferraria discessit, ut non nisi restitutis in integrum statum filiis reverteretur. Leonellus paterna ditione potitus pactiones inter Regienses et Nicolaum patrem initas renovavit (1), et Scandiani urbisque nostrae confinia di-

(1) In libro provisionum fol. VII.

stinxit (1). In plures principatus divisa tum Italia, dum inter se altercantur tyranni, alter alterius populos variis injuriis afficere consueverat. Id cum inveterato usu jam pro lege observaretur paulatim iniqua extorsione novatum est, ut per alterius principis territorium iter habentes aliquid solverent. Id pignorationis genus inter Regienses et Bononienses diu usurpatum tandem ultro citroque remitti placuit, et anno MCCCCXLIV nonis januarii, ut ab omni pensione immunes Bononiam ab eodem tributo liberatam Regienses proficisci possent, publico decreto concessum fuit (2). Nicolaus quoque Strocius Regii gubernator, et Gerardus Madius Praetor inter Regium et Quatuor Castella, de quibus cum nostris civibus Albertus Canussius contendebat, fines posuerunt. Feltrino praeterea Bojardo, et ipso de finibus nobiscum contendente transactum est, ut praeter quatuor domunculas Sabuloni pagus Regiensium permaneret, quotannisque Scandiani juridicus cum duodecim oppidanis funale quatuor pondo Divo Prospero extra urbem septimo calendas julias Decuriones honoris gratia comitatus offerret. Inter haec Jacobo Antonio Turriano Regiensis Ecclesiae antistiti mortuo Joannes Baptista Pallavicinus successit, quo tempore Andreas Burgus Comachii episcopus etiam Canussii Abatiam obtinuit.

Post haec Philippo Vicecomite vita functo, nullo legitimae prolis filio ex se relicto, Franciscus Sfortia de hae re a Leonello certior factus, ut Mediolani imperio potiretur cum Blanca uxore Philippi filia et magno exercitu Regium venit, ad pontemque Niciae castris positis, qui rerum motus fierent tacitus expectabat. Cum vero

(1) In lib. provis. c. 171.
(2) In arcula jurium cavae.

subiectae civitates diversas partes sequerentur, Franciscum Sfortiam Mediolanenses appellant, ut iisdem propositis conditionibus, quae a Philippo oblatae fuerant, urbis libertatem tueri velit. Is etsi durum videbatur eis parere, quibus, ut dicebat, imperare debuisset, pro temporum tandem conditione ipsorum stipendium secutus Cremonam hac spe contendit, ut si fortuna sibi arrideret, rebus compositis, socero in imperio succederet. Nec expectatione sua frustratus est: siquidem Ticinum intra paucos dies, civibus se dedentibus, adeptus, rerum tandem Mediolanensium potitus est, quamvis Ludovicus Aureliensis Dux, sorore Philippi Vicecomitis, ex qua Carolum procreavit, uxore ducta, jus se in eo imperio habere contenderet, et hodie quoque id Galli pertinaciter asseverent; nam etsi Blancam filiam Philippus Francisco Sfortiae conjunxit, illa ut naturalis ex Agnete Maina procreata nullum succedendi jus habebat.

Inter hos motus Nicolaus Manfredus, et Gibertus Corrigius Brixillum cepit: Leonellus vero Atestinus spe Parmae factione Sanvitalium obtinendae ductus Castellum Novum in Parmensi et Copriacum occupavit. Contra Franciscus Sfortia et ipse Placentia capta per Alexandrum fratrem Parmenses armis subigere tentavit, qui omni subsidio destituti Leonello se dedere decreverunt. Erat is eo tempore Forte Venetiis, cum per Borsium fratrem voluntatis Parmensium certior factus rem cum senatu communicat, orat ut se eam urbem velut haereditariam habere velint, aut ipsi saltem in suam fidem accipiant. Veneti, quibus paulo ante cum Francisco Sfortia de defendendo ei Mediolani imperio, et Crema sibi cum adiacentibus oppidis retinenda convenerat, re diligenter examinata, se datam fidem servaturos respondent, nec se eam civitatem

recepturos, nec ut ipse occupet passuros. Eam ob causam ab Atestino repudiati Parmenses Francisco Sfortiae se dediderunt. Post haec Albertus Pius Carpensis a Leonello cum octingentis cataphractis et trecentis peditibus pro Sfortia contra Allobroges cum copiis Venetorum missus, quod promissum stipendium non reciperet, ad hostes transfugit. Nicolaus quoque Guerrerius aegre ferens Parmam Francisco Sfortiae traditam, Alphonsum Aragonium Neapolis regem sollicitat, ut octingentos pedites Guardasonum et Colurnum, inter quae castella ea urbs sita est, res Sfortiae turbaturos mittat. Ipse Astorgium Manfredum Faventiae Principem cum mille quingentis equitibus, et quingentis peditibus ad vim hosti inferendam vocat; sed eum Franciscus Sfortia precibus et pecunia exoratum a negotio suscipiendo avocavit. Ab Alphonso vero Raimundus Anichinus egregius dux cum quingentis equitibus ad Nicolaum accedere jussus per Mutinenses et Regienses Colurnum pervenit, ubi ab Alexandro Francisci fratre victus, et castris exutus fuit. Sfortia postea cum Leonello, quod contra amicitiae jura transitum hostibus concessisset, graviter conquestus, tandem Guardasono et Colurno in suam potestatem redactis, Parmensi bello finem imposuit.

Eo tempore magna de Bagnoli et Nuvolariae finibus inter Regienses, et Franciscum, Georgiumque Gonzagos Feltrini nepotes exorta est controversia, quam Caprianus Mantuae episcopus et Jacobus Antonius Turrianus Mutinae antistes arbitri electi calendis octobris terminis positis finierunt. Ab iisdem etiam omnia Regiensium praedia, quae finibus eorum castellorum essent inclusa, immunitatem sunt consecuta, statutumque ne civium nostrorum coloni ad aliquas operas cogi possent, navigabilem quoque fossam ab omnibus tributis liberam in sua ditione Gon-

zagos excavare placuit. Sequenti anno obiit Giroldus Flordebellus vir pietate insignis bonorumque suorum majorem ecclesiam haeredem reliquit. At Leonellus cum ad libidinem proclivior impensius veneri operam daret, immaturam mortem sibi accersivit, qui sequente anno pridie calendas octobris post meridiem aetatis suae anno quadragesimo primo et imperii nono contracto morbo extinctus est. Moriens Nicolaum filium duodecim annorum puerum Borsio fratri ex iisdem parentibus genito commendavit. Sed quam fidem ipse patri non servaverat, a fratre non promeruit. Borsius enim in divi Georgii insula Ferrariae Princeps salutatus, etsi aliquamdiu imperium respuit, tandem hortantibus amicis suscepit. Cum vero Herculem Nicolai filium legitimum a Leonello paterna ditione injuria privatum videret, rursusque promissam fidem frangere durum esse arbitraretur, ipse coelibem vitam ducens, ei qui virtute praestantior evasisset, regnum relinquere constituit. Herculem igitur cum Sigismundo fratre domum revocatum, velut generosioris indolis juvenem Nicolao praetulit. Sui principatus initio Casae Dei pagum, qui urbi nostrae parere nolebat, Regiensibus subjectum esse censuit; splendidioribus deinde titulis principatum suum illustrare studuit. A Friderico enim III Caesare quem Romam aureae coronae accipiendae gratia iturum lautissime hospitio Ferrariae acceperat anno MCCCCLII decimoquinto calendas junii in possessione dominatus augusto diplomate confirmatus est, ac Regii et Mutinae ex Marchione Dux appellatus, quo primum tempore urbs nostra Ducatus nomen meruit. Die quo Ascensus Domini memoria colitur Fridericus regio paludamento perlucidis gemmis distincto, quae centum quinquaginta millium florenorum summam aequabant, conspicuus, Ladislao rege Austriaco comitante

ad Rigobelli turrim venit. Ibi in celso tribunali ostro in-strato sub aurea umbella Borsium auro gemmisque ornatum praecedentibus quadringentis hastatis equitibus ad se venientem excepit. Eunti tria vexilla ex cicindelae filis contexta, duo prasini, tertium punicei coloris cum gladio praeferebantur: ubi ad Caesarem pervenit Borsius ex equo descedens genibus flexis, purpurea tunica talarique palio variis pellibus suffulto a Friderico est indutus. Tum purpureo pileo iisdem pellibus in ima parte circumdato ejus capiti decenter imposito, primum vexillum pro Rhodigii comitatu, secundum pro Mutinae et Regii ducatus titulo, tertium pro imperii potestate concessa tradidit. Postremo stricto gladio tradito Rhodigii Comitem, et Regii Mutinaeque Ducem appellatum apud se in sede collocavit. Exinde Borsius ad maximum templum pergens in Francisci Lagnani Patavini Ferrariensis episcopi manibus perpetuam Imperatori fidem juravit, et septem gemmis, quae quadraginta millibus aureornm floridorum extimatae sunt, Caesarem remuneravit.

A vetustis Imperatorum temporibus ducum comitumque tituli provenire videntur. Cum enim ad defendendos imperii limites varios praefectos in proxima oppida et urbes ad tempus Principes Romani mitterent, ut ad praestandam Reipublicae operam alacriores facerent, donec vixissent, praefecturas ipsis concesserunt; deinde, ut ad eorum etiam liberos militaturos transmittere possent, indulsere. Id primus Alexander Severus, traditis agris, instituisse creditur, qui capta de hostibus limitaneis praedia ducibus et militibus ita donavit, ut eorum essent si haeredes ipsorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent; attentius enim omnes militaturos dicebat si etiam suos agros defenderent. Postea vero a Constantino etiam

praefecturis donatis, qui vexillo militum, vel oppido praeerant, comites dicebantur, ut ex quibusdam Constantii et Justiniani constitutionibus deprehendimus (1). Sed qui universae provinciae militibus imperabat, Dux vocabatur, quem in publicum euntem, sex antecessisse apparitores Lampridius memorat (2). Hinc etiam nostri temporis Marchiones ortum habere videntur, cum Marca limitis regionem lingua Germanica significet; ùnde et in Italia duae Marchae altera in Venetia, altera in Piceno, quae Graecorum et Longobardorum fines dirimebant, appellatae fuerunt, etsi alii a mari Marchae nomen infirmo argumento derivare conantur: qui ergo vel oppidum, seu civitatem, vel regionem Imperatoris beneficio obtinere potuerunt, Comites, Marchiones et Duces pro amplitudine praefecturae vocari coeperunt. Primus in Italia, Justino Justiniani filio imperante, Longinus Ravennae Exarchus non provinciarum praesides, ut antea, sed singularium urbium magistratus duces vocatos creavit. Postea cum Longobardi Italiam invasissent, Cephe rege caeso, jam regum tyrannidem exosi et ipsi triginta sex duces singulis civitatibus jus dicturos Longini exemplo creaverunt. Hi Tiberio Constantinopoli imperante circiter annum DLXXVII a Samnitibus ad Alpes praeter urbem Romam et portum omnia sub suo imperio tenuerunt. Anno postea DCCXXXVII cum Leo Imperator Sanctorum imagines abradi jussisset, Stephanus vel ut alii malunt Gregorius Pontifex prope mille episcoporum Romae coacta synodo id fieri prohibuit. Sed cum in pristina opinione durus Imperator permaneret, primi Ravennates, mox Venetiae populi ejus imperium

(1) L. 2. c. de baer. decur. l. 11. §. pro limitandis c. de vet. in enu.
(2) In Alexandro.

abnuerunt, et alias Italiae gentes impulerunt, ut ejectis Exarchis proprios principes, aut magistratus duces vocatos sibi crearent [1]. Postremo Galli, Carolo Magno imperante, Italiam ingressi, Comites et Marchiones induxerunt, a quibus Italicorum Principum tituli, et nomina fluxisse videntur. Ducum insigne pileus crinitus est, qualis apud Romanos rostrata corona esse consueverat.

Ceterum Borsius Friderico in Germaniam reverso, civitates, in quibus honorem splendidissimum promeruerat, invisendas esse censuit. Primo igitur Mutinam cum Julio Bojardo, Alberto Pio, et Francisco Pico profectus est. In canalis ripa ubique arbores ut sub earum umbra jucundius veheretur dispositas invenit; Mutinenses duobus curribus triumphalibus, in quorum altero Divi Geminiani antistitis effigies, in altero quatuor virtutum simulacra ducebantur, sub purpureo panno magnifice exceperunt. Regienses vero cum equitatu qui olivarum ramos praeferebat occurrentes aurea argenteaque vasa venienti Duci obtulerunt. Feltrinus Bojardus, Guido Bebbius, et Fridericus Pallavicinus eum pedites comitati singuli in suis castellis splendidissime acceperunt. Borsius ut gratum erga Regienses animum ostenderet, Sanctum Martinum ipsis antea a Nicolao cum Campogajano ademptum restituit. Mox arce Regii instaurata antiquas deditionis pactiones cum Regiensibus initas confirmavit, et ut erat vir praeter alios munificus Feltrino Bojardo Salvaterram, Casalemgrandem, Dinatianum, et Montem Babulum liberaliter donata confirmavit. Monachae vero ex familia Divi Augustini, quae prope porticum Sancti Laurentii ob numerum anguste habitabant, cum virginibus Divi Petri

(1) Blond. l. x, dec. 1.

Martiris, quae paucae erant, coenobium permutarunt. Quo tempore Copriaci dominis de finibus cum Regiensibus contendentibus, Baptista a Caligis praefectus, et Georgius Spinola Praetor, Rainaldusque Mediaprillus, jussu Borsii lata sententia, controversiam dirimerunt. Verum non multo post castellum illud cum latifundiis in Calcagninos translatum fuit. Post haec nova molientibus finitimis ceptum bellum felicem exitum habuit. Quaedam enim castella, quae in Carfignana ab Atestinis defecerant, Mutinensium Regiensiumque armis intra paucos dies recepta fuere. Corrigii quoque capto Popilio castro acceptaque ab Alfonso Aragonio pecunia per biennium Parmam bello vexarunt. Sed pace in quam etiam Borsius est receptus inter Venetos, et Franciscum Sfortiam composita, quidquid in Parmensi occupaverant restituerunt. His actis Ugutio ab Abatia, qui in Borsii consilio erat, arbiter electus canali quod ad Herba vocant pro termino posito Mutinae, Carpi, adiacentiumque oppidorum, et Regiensium fines declaravit; ac nostrorum civium praedia cum agricolis in Corrigii territorio immunia esse pronuntiavit. Sequente quoque anno Regiensibus ad pubblica gymnasia disciplinarum gratia proficiscentibus pro libris, et vestibus in agro Mantuano immunitas concessa fuit (1).

Sub id tempus Alfonso Neapolis rege mortuo, cum adversus Ferdinandum ejus filium Tarenti Princeps et Dux Suessae ad Joannem Andegavensem Gallum illud regnum vindicantem defecissent, Borsius Neapolim Herculem fratrem ex legitimo thoro natum ad Alfonsum regem stipendio militaturum miserat. Sexcentis cataphractis praefectus in summa apud eum auctoritate fuerat; verum

(1) In arcula jurium cavae MCCCCLVII.

Alfonso defuncto, Ferdinandus regni successor non magni eum facere coepit. Invidia enim procerum perfidiae accusatus, quod Ferdinando minus carus erat, Borsio fratri regem animo a se alieno esse per litteras nunciat. Indignatus Borsius eum cum equitum ala ad Joannem Andegavensem ire praecipit; nec multo post conserto praelio Hercules conspecto inter cataphractos rege in eum citato equo currit, fugientisque posteriorem aureae clamidis partem non penetrante ultra ense ab humeris abscissam pro tropheo ad socios retulit. Inde a Borsio cum Sigismundo fratre revocatus, ipse regendae Mutinae, Sigismundus vero Regio praefectns fuit.

Eo tempore Galleatius Sfortia Dux Mediolani Brixillum a Manfredo Corrigio detentum occupavit. Biennio post inter Regienses, et Ludovicnm Mantuae Principem inita est conventio, ut ab omni portorio solvendo utrinque cives essent immnnes (1). Caeterum de morte Francisci Sfortiae qui in hydropisim inciderat, falso rumore perlato, rustici Placentini, ut ab omni onere vectigalium immunes essent, tumultuari coeperunt. Ad eos missus Corradus Folleanus, qui sub Jacobo Picinino clara fama militaverat, magna prudentia omnem seditionem compescuit, moxque universam oram Ligusticam, tradente Ludovico Gallorum rege, pro Francisco Sfortia recepit; qui universo fere soceri recepto imperio non diu superstes anno MCCCCLXVI mense februario occubuit. Cum Galleacio filio et imperii successore patris casu Borsius per Herculem fratrem condoluit. Regii quoque Joannes Baptista Pallavicinus antistes pridie idus maii repentina morte sublatus occubuit, vir eloquentia, et condendis carminibus insignis,

(1) In arcam duarum clavium.

sed praeter dignitatem nimium arti magicae traditus, qui saepius daemonibus colloqui dicebatur, et eos quandoque sub senis uauclerii specie cymbam regentis in piscina quam ad Divum Claudium iu suburbiis praeclaram habebat familiaribus ostendisse fertur. Demum maue mortuus iuventus ab immuudo spiritu uecatus fuisse creditus est. In aede majori sub Divi Chrysanti chrypta cum hoc epitaphio tumulatus fuit.

Hic Baptista jaces Regii dignissime praesul
Marchio, quem genuit Pallavicina domus.
Floruerit quamvis ingentibus illa triumphis,
Laude tamen proavos te superasse ferunt.
Rarus in orbe fuit qui te vel carmine posset
Vincere, vel calamo se aequiparare tuo.
Sedis Apostolicae meruisti clarus honores,
At tua nunc virtus clarior astra colit.

MCCCCLXVI XII maii huic Antonius Trombetta Ferrariensis snffectus fuit. Hercules vero cum egregiam ubique fratri operam praestaret, magnamque animi virtutem ostenderet a Seuatu Veneto millibus quadriugentis cataphractis praefectus coutra Floreutinos apud Ricciardinam strenue pugnavit, ubi ferreae glandis aeueo tormento emissae in extrema dexteri pedis parte gravissimo vulnere accepto vitae discrimen subiit. Sed Borsius controversiae arbiter factus Venetos Florentinis conciliavit, et Herculem, cujus nomen in praeliis prospere gestis inclaruerat, imperii successorem elegit: nec multo post magno apparatu Romam Paulum II Pontificem Maximum salutatum profectus ab eodem ex Vicario, quo nomiue ad eum diem vocatus fuerat, gladio acciuctns, calcaribusque et purpureo praealtoque pileo variis pellibus suffulto acceptis, Ferrariensium Dux spleudidiore titulo est declaratus. Sed his honoribus non

diu gavisus: dum revertitur in itinere lethali febre correptus, cum annis viginti duobus imperasset xv calendas septembris mortem obiit. Nobili pompa elatus in coenobio, quod vivens magnificum et amplissimis praediis dotatum maximis sumptibus extruxerat, conditus fuit. Borsii morbo ita incrudescente, ut de eo actum esse inter medicos convenisset, Hercules clam paterno imperio capiendo studebat: id ubi Nicolaus Leonelli filius sensit, plorans Borsium orat, ut debitum principatum sibi redderet; sed ille jam viribus deficiens suasit, ut fuga imminens periculum evitaret. Nicolaus cum Mantuae principis opem imploraret, graviter est reprehensus, quod difficilem per fenestras aditum quaereret, qui per portas imprudenter fugisset. Borsio defuncto Hercules paternae ditionis possessionem jam annis triginta a duobus notis fratribus interceptam tandem recepit. Eo Ferraria forte absente Nicolaus tumultuario exercitu Mantuae instructo patriam invasit, quem Sigismundus Herculis frater felici praelio profligavit.

His rerum successibus laetus Hercules Eleonoram Ferdinandi regis filiam uxorem duxit, quam ut Neapoli Ferrariam traduceret, die quinta junii, qui tum Pentecostem praecessit, Romam pervenit. Ibi in Divi Joannis Laterani Palatio sponsa splendidissime excepta a prandio omnes in contiguo templo conditas Martirum reliquias est venerata: tum duo a Sixto Pontifice missi Cardinales humaniter salutatam ad sanctos Apostolos, ubi Sixtus residebat, deducunt. Villosa veste ex nigro bombice induta, et undique lucentibus ante pectus gemmis puella tota splendebat, quam baccatum pretiosissimis margharitis monile collo circumdatum, et niger albis plumis infixus galerus pulchre decorabant. Equo imposita inter duos purpuratos Senatores praecedentibus tubicinibus, et equitibus

circiter sex mille subsequentibns ad Pontificis atrium pervenit, ubi spaciosa area peripetasmate undique tecta jucundum visu spectaculum praebebat. Palatium tres aulas nobilissimis aulaeis obtentas, et antiquorum more Corinthiis columnis ornatisque epistiliis suffultas habebat, in interiore parte, ubi coenatio ludique celebrandi erant, sublime tribunal erectum tela rasa ex coccineo bombice contexta magnifice tegebatur, quam alba crux in medio distinguebat; ibi tres folles vicissim ventum concipientes latenter auram ad refrigerandum locum emittebant: ab alia parte supra columnam ex inaurata nudi pueri statua variantibus fistulis aqua saliebat. Primam vero palatii aulam ingredientibus superbum illud peristroma non sine omnium admiratione visebatnr, ubi mundi molitio a Nicolao Pontifice mira arte contexi jussa fnerat, quo Christianus orbis nullum aliud aeque nobile habere credebatur. Lecti stragulas Atalica magnificentia auro intextas habebant: in aula auro argentoque mirifice caelato instructum abacum et mensa ex solida (1) cupresso laborata tribus cannis longa, et nna lata apposita erat. Inde in sacellum aditus patebat, ubi dives ara auro vestiebatur, in quo ex bombice puerperae Virginis natique inter jumenta Christi effigies acu depicta erat. Supra dno angeli et quatuor ex obryzo auro fusa candelabra splendidissime locum illustrabant. Contra aram ut genibus commodius niterentur, leoninis pellibus suffultum lectisterninm stabat, tabulis quibus orantis pectus incumberet argenteis ante surgentibus; totum ex pustulato argento superinaurato conflatum opus erat. In tertia aula quatuordecim cubicula regio luxu instructa et pictnrata, versicolorique textura

(1) *D' un pezzo.*

spectanda aulaea ac plures auro signisque rigentes vestes non sine omnium admiratione visebantur. Instrumenta omnia quibus ligna igni imposita vel sustinentur, vel moventur, familiares sellae cum aureis vasis, quae intus excrementa excipiebant, ex solido argento conflatae conspiciebantur. Solum ubique pictis tapetis stratum conopea ex bombice coccinea peristromata, et pretiosa ubique supellex Pontificiae dignitatis majestatem venerabiliorem faciebant. Postridie ejus diei, quo Pentecostes solemnia celebranda erant, aurea veste gemmisque et superbis monilibus conspicua inter duos viros Cardinales pluribus comitantibus sponsa ad Divi Petri templum mane est devecta. Ibi sublime tribunal ad id paratum ascendens sacra celebrantem Pontificem audivit, et sub meridiem Susannae historiae ad commendandam castitatem recitatae interfuit. Deinde a Sixto Pontifice in majore aula splendidissimo prandio accepta fuit, ubi ingens abacus auro argentoque caelato et lucentibus gemmis dives non sine magna gentium admiratione spectabatur. Ante omnia ex saccaro varie conditum et ad decorem auro exornatum jentaculum cum vino Cretico exhibitum fuit; postea odora limpha manibus infusa, ubi ad mensam sedere in aureis argenteisque vasis, his quae abaco imposita erant intactis relictis, universae dapes allatae fuere. Diversae inauratae cereris formae appositae, ac nuclei pinei aliaque saccaro condita et auro illita dulciaria praemissa fuere; nullum denique epularum genus defuit quod tanto convivio exhibendum fuit. Prandium quod plus viginti millibus aureorum constitit ludis interpositis in septem horas pertractum fuit. Ministri saepius vestes mutasse, et escas quae abunde snperfuerunt populo dedisse feruntur. Illud in secundis mensis spectandum fuit, quod statuae hominum instar

ex saccaro effictae Herculis labores in mensa repraesentaverunt. Tanti luxus Petrus Riarius Sixti nepos auctor esse dicebatur, qui duobus annis, quibus Cardinali dignitate functus est, plus trecenta millia aureorum luxuriose consumpsisse creditus est. Varii postea per aliquot dies in scena editi ludi, et morionum dicteria, joci, musicique cantus mirifice audientes oblectaverunt. Paucis diebus Romae morata Eleonora a Sixto venia petita magna pompa Ferrariam concessit.

Interim Nicolaus Leonelli filius die noctuque recipiendo paterno imperio invigilans, magnis etiam Galleacii Mediolanensium Ducis pollicitationibus impulsus coacta rusticorum Mantuanorum manu navibus foeno onustis secundo Pado Ferrariam devehitur, ubi ex tempore portam ingressus forum ac majus templum occupavit. Eleonora tumultu audito cum infante filio in arcem se recepit. Sigismundus vero Herculis frater ad Ravennates profugiens cogendarum copiarum tempus habuit. Reversus ex suburbiis quoscumque potuit hominibus collectis urbem ingreditur, ac cum Rainaldo, qui in arce Castrinovi se continebat, in forum egressus hostes fusos Bondenum usque est prosecutus: ibi Nicolaus in palustri aqua mento tenus latitans inventus extrahitur, Ferrariamque ductus post octo dies securi percussus, et principis more aureis vestibus indutus in majorum sepulcro conditus fuit. Hoste formidabili extincto Hercules ad propagationem stirpis suae spectans Annam Galleacii filiam Alphonso primogenito despondit. Nec multo post novo exorto bello Florentinorum copiis Hercules praefectus magnam ostendendae virtutis occasionem habuit. Tunc enim primum inter omnes Florentiae cives locum Laurentius Medices, et Julianus frater obtinebant, quorum potentiae invidentes

Pactii, conscio Sixto Pontifice et Ferdinando rege Neapolis qui Florentinos opprimere stndebant, contra eos novas res moliuntur. Petrus Riarius Pontificis nepos Cardinalis religionis gratia se Florentiam ire simulat, ac in divae Liberatae templo, quo venturi esse Medicei credebantur, impuris manibus sacra erat celebraturus. Id tempus ad patrandum scelus expectabatur, quo consacraretur Encaristia. Tum Julianus, qui aliquanto tardins ingressus in diversa parte templi cum conjuratis nihil sinistri suspicatus familiariter loquebatur, signo dato est confossus. Laurentius vero leviter vulneratus in sacrario vitam servavit. Ferdinandus et Pontifex foedere conjuncti contra omnes Italiae principes, quorum imperia inter se diviserant, ut rem minus prospere successisse vident, aperte Florentinis bellnm inferunt. Hercules itaque Atestinus omnibus copiis magna cum laude ab illis praefectus fractis hostibus snperveniente hyeme Ferrariam est reversus. Sequenti vere revocatus ad Trasimenum lacum in Perusinis ubi memorandam cladem Romanis Annibal intulit, prospera pugna hostes profligavit: sed cum ingentem praedam ex Senensibus abegisset, gravis inter ipsum, et Fridericum Mantuae Prineipem Mediolanensis exercitus ducem ob dividenda spolia orta rixa maximam hostibus respirandi facultatem attulit. Propter eam discensionem Hercules dimissus magnam exercitus partem secum abduxit. Quare reliquo Florentinorum exercitn, qui etiam ducis providentia carebat, paulo post disperso magnum illi reipublicae incommodum accidit. Hercules ob ejus belli expeditionem plures in sua ditione equites alere cogebatur, quorum partem inter Regienses divisit, ac ipsis imperavit, ut quadringentis cataphractis in pagis hospitia exiberentur, et paleae quae equis sufficerent, ac ligna ad usum hyber-

nantium traderentur, quod exactionis genus Salgamum olim vocabatur [1]. Id onus rusticis, qui in villis ad eam impensam aptiores videbantur, injunctum fuit. Zeam quae ad alendos equos opus erat, quanti tunc vendebatur, quinque assibus monetae veteris in singulos saccos ab agricolis fiscus emebat. Sed cum ipsis durum esset apud se exosos milites habere, tandem obtinuerunt ut infaustae hospitalitatis incommodum pecunia permutarent. Decretum itaque ut pro singulis equis quatuor ejus monetae menstruae librae solverentur, quae tota summa sexdecim millium librarum postea a rusticis quotannis exacta fuit: nam Hercule a Florentinis discedente, etsi equites, quorum opera amplins opus non erat, sunt dimmissi, solvendae tamen peouniae functio perpetua mansit. Id genus tributi, quia in equum quatuor illius temporis librarum aestimatione taxatum erat, taxae sunt appellatae, quorum quadrans postea benigni principis liberalitate civitati est donatus, nec nisi duodecim millia librarum hodie solvuntur. Hic census pro modo soli rusticorum agris impositus distractis praediis cum suo incommodo ad emptorem etiam civem transit, et pro zea exigenda perinde ac si equi alerentur, fiscus in singulos saccos non plus quinque asses monetae antiquae solvit, quo etiam pretio olim emi consueverat. Verum hujus quoque tributi pars tertia postea ab Alphonso remissa fuit. Id pabuli genus quod equis olim praebebatur caput seu capitatio, ut auctor est Marcellinus [2], vocabatur, quorum frequens in jure civili mentio est [3]. Eo anno Antonio Trombetto mortuo Bon-

(1) L. 1, c. de salga. mil. non praest.

(2) Lib. XXII.

(3) In l. ult. c. de oro. mili. an. lib. XII, et in eo t. c. de an. et cap. in §. illud in auct. ut indi. sine quoq. suffra. fiant. et alibi.

franciscus Arlottus Regiensis, qui apud Sixtum Pontificem pro Hercule Atestino Romae legatione fungebatur, patriae antistes est declaratus.

Hercules vero vix Florentinos reliquerat, cum ad aliud bellum evocatus fuit. Caeso enim Galleacio Mediolani Principe, Ludovicus, qui in Gallias relegatus fuerat, ut fratris necem audivit, Mediolanum reversus cum Sfortia fratre naturali, et Bariae Duce, aliisque consciis nova moliri coepit. Urbe ejectus, et Pisas relegatus, postea impellente Ferdinando Neapolis rege, aliisque ex sua factione sibi adscitis, Joanni Galleacio mortui fratris filio adhuc impuberi bellum intulit. Cecus Simonetta, qui a secretis Galleacii fuerat et magna singularique fide et opera pupillo principi imperium conservabat, summam rerum Mediolani tenebat. Is cum Bona pueri matre ex Allobrogum gente, aliisque praestantibus viris re collata, resistendum esse turbulentis hominibus decernit. Perduellionis itaque crimine Ludovico et Sfortia condemnatis, Herculem Atestinum, et Fridericum Gonzagam cum amplo stipendio copiis Ducis praefectum Florentinis, quibuscum Ferdinandus, et Pontifex bellum gerebant, auxilio esse jubet. Sed illi qui vetustam simultatem adhuc alebant, intermissa belli cura, novam rixam excitarunt. Gonzagus enim recrudescente odio in Herculis tentorium impetu facto, magnum in castris tumultum commovit. Tandem Venetorum et Florentinorum legatis intervenientibus abductus quievit, et pacem cum Ferdinando, et Pontifice, cujus arbitrio commissa fuerat, Florentini inierunt. Hercules vero Mediolanum revocatus in Dertonenses, qui se Ludovico dediderant, exercitum duxit. Interim Tassini cujusdam Ferrariensis ignobilis viri opera, qui in mensa discerptoris offitio fungebatur, et plusquam honestas pa-

teretur apud Bonam poterat, Ludovicus, inscio Simonetta, est restitutus. Is apud eam graviter conquestus est, se brevi quidem vitam, sed illam cum filio misere imperium amissuram. At Hercules, quo amplius opus non erat, dimisso exercitu, post biduum Ferrariam contendit. Ibi ad conciliandum sibi Ludovicum conversus, Brixillo et Castello novo Parmensium oppidis acceptis, ei Castellum novum, quod in Dertonensibus habebat, tradidit, et Beatricem filiam, quam ex Eleonora susceperat, vix annos septem natam despondit. Ferdinandus quoque, ut Hydruntum nuper a Maomete in Apulia expugnatum reciperet, cum Aloysio Gallorum Rege, Joanne Galleatio, Hercule Atestino, et Friderico Gonzaga foedus percussit. Petrus vero Maria Roscius, qui Turremclaram, nunc Torclariam vocatam, Felinam, Sanctum Secundum, aliaque numero viginti duo oppida in Parmensibus antiquitus a majoribus per munus tradita possidebat, novo bello causam praebuit. Is ut a Ludovici Sfortiae, quem infensissimum habebat, injuria se tueretur, a Venetis exercitum impetrat; quem in Parmenses missum Hercules in Ludovici generi gratiam per suas regiones transire non permisit, ac statim Vicedominum tunc Ferrariae Venetis jus dicentem ejecit. Ad delendam eam contumeliam Veneti Robertum Sanseverinum militum imperatorem declarant, ac cum quinque millibus equitum, et duodecim millibus peditum in Ferrarienses impetum facere jubent. Is quarto idus maii Melaria et Castro novo captis, Ficarolum amoenissimum ad Padum castellum quinque aeneis tormentis die noctuque per mensem quassare non destitit, donec in suam potestatem redegit. Contra Ludovicus Sfortia magna militum manu Atestino opem tulit, cui Reglo et Mutina abunde commeatus quotidie submittebatur. Veneti Ficarolo potiti

complures naves per adversum Padum agentes, aliaque terrestri exercitu Ferrariam petentes ultra Padum omnia in Rhodiginis occuparunt. Ad extremum triginta navibus amissis ab Hercule sunt profligati. Verum non multo post reparato exercitu, novaque classe ex Apulia celeriter accita ad Argentam bellum renovarunt: terrestri quoque itinere forte nonnulli cataphracti supervenerant, qui vel ex itinere fessi oppidum irrumpere tentarunt. Atestini extempore patefacta porta cum mille peditibus et octingentis equitibus egressi, hostes in fugam vertunt, inde castris direptis, dum sine ordine praeda onusti Argentam revertuntur Venetorum duces conversis armis palantes tanto animi ardore impetierunt, ut non modo sibi ereptam praedam receperint, sed etiam eos turpiter fuderint. Nicolaus Corrigius Herculis ex sorore nepos, aliique tres insignes viri cum trecentis capti, Venetiasque perducti in custodia positi fuere. Robertus vero Sanseverinus cum Fracasso filio, qui a multis hastis, quas decurrendo frangebat, lingua italica id cognomentum tulit, sub Ferrariae moenibus castra locavit. Hercules adverso casu consternatus adeo mente coepit labescere, ut pene delirans nihil ageret, et e vita decessisse crederetur. Belli igitur curam Eleonora conjux suscepit, ac vallo fossaque urbe munita hostibus coepit resistere. Sfortia quoque Ludovici naturalis frater ad Bondenum praesidio relicto, ne Veneta classis per alterum Padi alveum ducta ab alia parte urbem obsideret, exercitum Roberto opposuit. Interim Hercules, qui expiravisse ferebatur, ex podio palatii vivus ostentatus ita civium animos confirmavit, ut ad viginti quinque hominum millia arreptis armis nonis junii in hostes eruperint. Cruento praelio commisso quingenti ex Venetorum exercitu caesi, plurimique cum duobus eorum nobilibus,

et tribuno militari capti fuere. Exinde in classem conversi biremem captam curru Ferrariam deduxerunt. Robertus hac repentina clade perterritus collectis vasis ad Ficarolum, ubi priora castra habuerat, se recepit. Alibi vero Veneti totam Rhodigii peninsulam per deditionem intra paucos dies in suam potestatem redegerunt, navalique certamine ad qnartum lapidem prope Argentam inito plurimos ex Atestinorum copiis quatuordecim tantum captis trucidarunt. Caesornm capita hastis praefixa ad victoriae ostentationem circnmtulere, et postridie idns novembris ad obsidendam Ferrariam sunt reversi. Quo die pugnatnm est sub lucem coelum ardere visum, et circa horam vigesimam primam crnentnm apparuit.

Non parum eo anno ob perpetnam pluviam et grandinem, quae quibusdam in locis unciarum quatuordecim cecidisse fertur, mense majo in Regiensibns maxime annona est laboratum, adeo ut in montanis regionibus omne frugum genus perierit. Crustumius quoque ab hora vigesima tertia usque ad dimidiam noctem per agros ad Mutilenam se effundens magna vi cum hominibus jumenta, et segetes rapuit, ubi nullum frugum genus colligi potuit. Regii vero Andreas Zobolus, qni praeter alios cives immensas opes cumulaverat, proditionis a Rosciis insimulatus Besganovi custodiae traditus fuit. At Guido Torellus Protonotarius, qui caeso Tertio humaniter dimissus fuerat, cum Jacobo Roscio Venetorum auxilio Monticulum captum diruit. Inopinata clade perculsi Regienses Copriaco, cni maxime timebant, auxilium mittere festinant. Postridie igitur delectu civium habito dum sub mediam noctem scripti milites egrediuntur, Jacobum Zobolum Andreae fratrem ab ignoto vnlnerari contigit. Quare ingenti tumultu exorto sero exeuntibus copiis in armis ignava cun-

ctatione est pernoctatum. Per eam occasionem Copriaci rustici, ubi praesidium Regiensium ad se venturnm intelligunt, quamprimum Torellum accersunt, qui calendis decembris, occupato castro, magnam nostrorum civium frumenti copiam ibi inventam ultra Niceam fluvium transportavit. Borsius Corrigius ob eos tumultus cum LXXX equitibus Regium ab hostibus defensurus venit; aliaeque Bononia, et Pistorio equitum, peditumque copiae missae adversus Roscios Regiensibus opem tulerunt. Illi magnis copiis usque ad Turrim Episcopi et Cellam pagos Regiensium praedabundi venerunt, a quibus cives tumultuariis agminibus exenntes profligati fuere. In eo praelio Galleacius Corrigius Borsii frater et Hieronymus Dasius copiarum Bononiensium praefectus capti, ceteri ut plurimum sagittis vulnerati magno cum dedecore Regium rediere. Adversa pugna consternatis civibus, et de urbis salute sollicitis pavorem auxit, quod calendis jannarii (1) campanis ex tempore pulsatis hostes ad Sancti Stephani portam venisse nuntiatum fuit. Omnes arma corripuere; cohors ad fori tutelam posita, et equitum turma ad portae praesidinm relicta fuit. Alii ad Sanctam Catharinam, et ripam Crustumii nullo veniente toto die frustra certamen expectarunt. Postridie ad Sessum villam Borsii Corrigii equites profecti ex Roscianis, qui Venetorum nomen acclamaverant, impressione facta duos occiderunt, nec paucos vnlneraverunt. Pridie quoque nonas ejusdem mensis nocte venturos hostes nunciatum est. Quare Borsius hora noctis quinta auxilio a populo impetrato armatos cives per opportuna nrbis loca disposuit. Nicolaus vero Rangonus turmarnm praefectus a decurionibus instanter efflagitavit,

(1) MCCCCLXXXIII.

ut in urbe cum exercitu esse posset, sed prohibente juventute extra moenia castrametari coactus amoeniora suburbia cum villis devastavit. His aliam calamitatem quinque Campicajani oppidani addiderunt; qui frumenta undique populati, etiam illud oppidum prodituri erant; sed re detecta comprehensi laqueo vitam finierunt. Ab alia parte Roscii, et Torelli ad Sanctum Paulum frumentarias molas diruunt; sed incolis ad sua conservanda venientibus octo sagittarios equites amiserunt, et quos fecerant captivos dimittere coacti sunt. Contra Sfortia ingenti hostium strage facta, Argenta Regium cum copiis, deinde Parmam profectus est. Hercules qui vulgo obiisse aut insaniisse credebatur, ut injectam omnium animis opinionem discuteret, lectica Regium delatus Antonium Bebium equitem creavit, et Ferrariam rediit.

Inter haec conspirantibus contra Venetos ceteris Italiae Principibus, Pontifex quoque, ut Atestinum a bello liberaret, in eam societatem venit. Comitiis Cremonam indictis eo Cardinalis Mantuanus pro Pontifice, Alphonsus Calabriae Dux, Ludovicus Sfortia, Laurentius Medices Cosmi filius, Hercules Atestinus, Joannes Bentivolus, Fridericus Gonzagus, et Bonifacius Gulielmi Marchionis Montisferrati frater convenerunt. Aragonii cum quinquaginta triremibus, et quinque onerariis navibus se Atestino auxilio futuros esse promiserunt, ac statuto tempore in Regiensibus, aut Mutinensibus quatuor millia et quadringentos equites, et novem millia peditum habituros. Hercules quatuor millia equitum et ter mille pedites calendis maii se instructurum pollicitus est. Ad belli impensam plus decies centena millia aureorum praesente pecunia collata fuisse feruntur. Soluto conventu Laurentius Medices, et Joannes Bentivolus Cremona Regium venientes

statim Bononiam contenderunt. At Veneti circiter bis mille ducentis cataphractis, et plus septem millibus levioris armaturae equitibus conductis, rursus ad oppugnandam Ferrariam proficiscuntur, quos Hercules per Comitem Petiliani ad turrim Athenae classe applicantes aggressus perdidit: plus mille quingenti caesi, et quadringenti cum Aloysio Marcello classis praefecto, et Ducis Veneti nepote capti fuere. Ceteros per silvas et paludes fugientes rustici trucidarunt. Id ubi Hercules per literas Regiensibus significavit, in urbe pulsatis campanis ingens laetitiae signum datum fuit. Nec multo post etiam nunciatum est tredecim Venetorum naves cum duabus frumento onustis, et una bireme captas, et Ferrariam ductas fuisse. Hac opima victoria potitus Hercules, ut cum Ludovico Sfortia de re bellica loqueretur Mutina Regium vectus recta Parmam contendit. Venienti Sfortia minor cum mille satellitibus et L sagittariis et totidem peditibus occurrit. Obsidebat tum Ludovicus cum mille equitibus, et totidem peditibus Felinam, Besganovum, et Sanctum Secundum, quae Ambrosina Guidonis Roscii mater virili animo tuebatur: nec, minante per nuntium Sfortia nisi Felinam traderet se ejus filium occisurum, ingentis spiritus mulier ad deditionem compelli potuit. Ubi eo Hercules pervenit, multa remotis arbitris cum Ludovico contulit. Mox Regium reversus alium Venetorum imperatorem cum classe in Eridano captum, et ejus nepotem caesum audivit. Alphousus enim cum terrestribus copiis Argentam profectus commisso praelio mille quingentos et Aloysium Marcellum Quaestorem ceperat, ac reliquum Venetorum exercitum feliciter fuderat. Ceterum illi hac clade accepta animum non dimittentes Lotoringiae Ducem copiis praefectum cum valida militum manu rursus in Ferrarienses miserunt. Alphonsus ubi res

sibi prospere succedere videt, in hostilem classem ad Bondenum victore cum exercitu impetum facit, cruentaque pugna ducentis navigiis cum Justiniano praefecto captis aliam victoriam reportavit. Nec multo post onerarias naves quinquaginta sub finem novembris intercepit, ac velut bello jam confecto Cremonam se contulit. Ibi trecentorum equitum ala et quingentorum peditum manu accepta in Bergomates conversus tria oppida Venetis eripuit. Sixtus Pontifex ad eam expeditionem obeundam tria millia equitum misit, qui sub Joanne Tolentino Regio transierunt. Decem currus pulvere tormentario onusti copiis Ariminensibus comitantibus Regium ducti in Brixianos deducti fuere. Hercules prosperam fortunam secutus cum eorum, quae amiserat, magnam partem recepisset, septem quoque naves Venetorum onerarias, quibus arma Brixiam ad Robertum Sanseverinum Ravenna transmittebantur, cum ducentis peditibus cepit. Nec multo post Thomam ab Imola, qui Stellatam cum bis mille et sexcentis equitibus occupaverat, pari fortuna trucidavit. Tantam vero de hac insigni victoria laetitiam concepit, ut octo exemplis literas ad Paulum Antonium Trottum Regii praefectum incredibili celeritate dederit. Ceterum cum Ambrosina ad Turrem claram confugisset, Ludovicus Sfortia Felinam captam munire cepit, ibique inventam filiam nubilem humaniter matri remisit, et intra paucos dies cum ceteris Rosciorum oppidis etiam Turrimclaram et Besganovum expugnavit. Contra Guido Taurellus Protonotarius Pratoneriam villam multis captis depopulatus incendit, ac domum reversus viginti Monticulanos, qui hominis crudelitatem exosi in eum conjuraverant, in vincula conjecit. Ceteri qui id factum aegre ferebant, auctore oppidi Archiflamine cum fratre, rursus in Taurellum conspirant. Re per in-

dicem cognita omnes facinoris conscios custodiae tradidit, quos gentis impetum veritus paulo post omnes dimisit. At montanis in regionibus non levis momenti res contigit; siquidem Baisii Baptista filius Tartaleae (ob haesitantiam linguae, tumultumque oris, id ei nomen impositum erat) montanos a solvendis antiquis vectigalibus avertit. Id ubi Regiensibus nunciatum est tertio idus augusti sub vesperam jussu Pauli Antonii Trotti urbis praefecti ducenti pedites cum praetoris satellitibus eo perducti, oriente sole, domo obsessa, Baptistam cum duobus filiis trucidarunt. Tertius vulneratus, amisso oculo, Regiumque deductus misere vitam finivit. Tanta eo tempore fames urbem nostram invaserat, nt baccis ruborum plures vescerentur, et sextarius putaminum jnglandium solidis Regiensibus decem venderetur, quae cum glandibus ad conficiendum panem pauperum molebantur. Sextarius quoque frumenti, quod nunquam antea auditum fuerat, libris Regiensibus quatuor vendebatur. In ea penuria Hercules Regium venit, Mediolanum ob renovanda contra Venetos foedera ad comitia profecturus. Eum Joannes Bentivolus est secutus; ibi ex communi omnium consilio placuit Fridericum Gonzagum cum tredecim millibus et quadringentis equitibus, et sex millibus et sexcentis peditibus in Brixianos, qui Venetis parebant, cum Alphonso Duce Calabriae impetum facere. Ad eos missae a Duce Urbini copiae in Regiensibus magnum agricolis damnum intulerunt. Ceterum, Sixto Pontifice augusto mense mortuo, cum Innocentius octavus pacis amicus successisset, omnis belli cura est remissa; et primus Ludovicus, qui Mediolani imperium affectabat, a foederatis recessit. Veneti quoque multis cladibus attriti his conditionibus Herculi, et Sfortiae se conciliarunt, ut, Vicedomino Ferrariam misso, et

Rhodigio cum adjacentibus paludibus retento, a Ferrariensi bello discederent; alia vero hinc inde capta restituerentur. Ob eam conventionem Hercules Adriam, Adrianum, Comaclium, Melariam, Castellumnovum, Ficarolum, Castellum Gulielmum, Zanioli Bastiam, cum tota Fili ora, quam Veneti occupaverant, recepit. Eidem palatium, quod Venetiis possidebat, cum omni pristina dignitate est restitutum. Regienses quoque continuis bellis attritos miseratus Pontifex eis decimarum, quas flagitaverat, exactionem remisit. Solutam pecuniam apud Bonfranciscum antistitem sequestrum deponi sacrati viri postulabant, quam cum avarus quaestor restituere recusasset, religiosi in majus templum convocati, magno tumultu excitato, illum bonis omnibus denudatum in celerem fugam compulerunt. Eo anno Christophorus, Jacobus, et Leonellus Zoboli, millibus aureorum pro donario constitutis, Sixti Summi Pontificis auctoritate Divi Nicolai templum suum juspatronatus futurum condiderunt; sed suum, quod in eligendo praesule habebat, calculum Leonellus Regiensi antistiti, et ille rursus Carolo Zobolo donavit. Hi autem ex Franconia, ubi adhuc Zoboli in magna dignitate habentur, venire creduntur, a zobolisque pellibus, quas vulgo gebellinas vocamus, familiae nomen inditum fuisse aliqui autumant. Siquidem hae vestes, quae summis tantum viris in Germania tribuuntur, pro summo honore ipsis concessae fuisse dicuntur. Post haec, ingenti terraemotu urbe concussa, etiam pestilentia est laboratum; et cum ab initio mensis martii usque ad finem anni nunquam pluisset, extrema etiam penuria timebatur: quae enim terrae mandata erant semina adhuc sub humo conservata nondum se ostenderant, ut de frugibus futuris desperaretur: demum tanta nivis copia de-

lapsa, quanta post hominum memoriam nunquam antea visa fuit. Postridie calendas januarii segetes pullularunt, ac magna annonae copia fuit. Ineunte vero aestate cum late in campos Crustumius erupisset, etiam inaudita grando, quae quinque unciarum pondo ad duorum digitorum altitudinem cecidit, homines vulneravit, et, arboribus dejectis, plurima etiam bruta oppressit. Eam calamitatem, propter aeris intemperiem cum ultima aestas et autumnus frigidiores fuissent, saeva pestis secuta Regii grassari coepit.

At Hercules, ne Vicedominum Venetorum Ferrariam venturum videret, Regium se contulit, ubi in jocosis oblectationibus versatus sinuosi labyrinthi descriptioni ac luporum venationibus operam dedit. Caeterum ut omnem ex gesto bello livorem abstergeret Venetias, ubi magno honore exceptus est, senatores salutaturus se contulit (1). Inde reversus ad Monticolum, quod Taurellus, quamquam, Ludovico Sfortia jubente, obstinate restituere recusabat, oppugnandum se accinxit. Pluribus ad eam expeditionem obeundam tormentis bellicis Regium missis, ipse mox subsecutus dum Parmam ad Ludovicum Sfortiam contendit, omnem reliquum apparatum expediri jussit. At Taurellus Monticuli expugnationem veritus, non expectato hoste discessit. Quare ejus praesidiarii milites facta deditione a Joanne Petro Bergamino, Parmae praefecto, et Guicciardo sagittariorum Ducis Herculis duce fide victoris Regium usque deducti fuerunt (2). Postridie Philippus Buccamajor Ferrariensis, et Regii praefectus cum nobilioribus urbis Monticolum profectus oppidum

(1) Die secunda novembris MCCCCLXXXV.

(2) Die XIII aprilis MCCCCLXXXVI circa horam XIV.

Herculis nomine munivit. Ibi loci archiflamiuem cum Joanne fratre, qui antea Atestinum prodiderant, in vincula conjecit, et paulo post recepto Copriaco praesidinm imposuit: sed cum milites, qui infidos incolas iu officio retinerent, magna impensa alerentur, castellum funditus everti placuit. Armati igitur ad mediam noctem Regienses rusticos fabrorum vice functuros evocant, et ad diruendum Copriacum properanti agmine proficiscuntur. Dum speciosae aedes et nobilissimum palatium igne ferroque vastaretur, lateres, ferramenta, trabes, tegulaeque a nonnullis avidius exportantur. Ea rapina indignati incolae fabris, qui muros demoliebantur, vim intulerunt. Id ubi Regii est auditum, coacta curia, ira ferventibus civibus visnm est, ut ednctus populus contumacinm rusticorum bona diriperet. Re tandem maturius perpensa decretum iracundiae calore factum est revocatum; clausisque portis ne, praecipiti statuto divulgato, nova moliendi occasio daretur, nemine exire permissum est. Interim plus mille operarii oppidum devastabant, aliique quotidie ad diruendum opus submissi tanto animi ardore muros quatiebant, ut ultra duo milliaria clamantium voces audirentur. Tandem die, quo Sancti Marci memoria celebratur, cum turri arce eversa, Hercules Copriacum Regiensium pagum fecit; sed non multo post Theophilini Calcagnini, cui eum locum beneficiario jure concesserat, precibus victus juridicum ibi esse passus est.

Interea ob saevientem in urbe pestilentiam, plurimis iu villas evitandi morbi gratia fugientibus, fere vacua civitas est relicta. Ea lues ex longa ariditate pluviis die noctuque subsequentibus orta esse credebatur. Cum vero etiam flumina late per campos se effundentia frigidum humorem auxissent, coelo magis in dies corrnpto ingens

hominum strages edita fuit. Ob rigidum frigus humana corpora non secus ac hyeme inhorrebant, quae resumptis vestibus hyemalibus tota aestate usque ad solstitium igne foveri oportuit. Tandem morbo paulisper remittente Hercules ob filiam Joannis Bentivoli suo filio nuptui locatam magnifico apparatu ludos edidit. Plauti enim *Amphitrionem* in theatro, ubi coelum circumferebatur, et planetis zodiaci signa intercurrebant, magna audientium admiratione recitari jussit. Postea cum splendido trecentorum equitum comitatu Flavium Brigantium, nunc Compostellum dictum, ad Sanctum Jacobum voti causa se iturum dixit; sed quod bello longo attritus pecunia egeret, ei cujusque ordinis viri ad viaticum vel inviti stipem contulerunt. Verum die capiendi itineris veniente, ubi Mediolanum pervenit, ne diutina peregrinatio novandarum rerum occasionem praeberet, a Pontifice Innocentio VIII voto est absolutus, cui etiam ut gratias ageret Romam usque contendit. Reversus Regienses, qui judicem ad terminos in suis et Brixilli Guastallaeque finibus statuendos missum non admiserant, quingentis aureis mulctatos etiam portione aquae ex Gabello extractae, ut eam Carpensibus condonaret, pene privavit. Paulo vero Antonio Trotto urbis praefecto mortuo, primo Joannes Nicolaus Corrigius civis Regiensis, mox Matthaeus Maria Bojardus italicorum rhytmiorum vates est suffectus, vir nimia benignitate reprehendendus, et plus componendis carminibus, quam vindicandis facinoribus aptus; cujus auctoritate contempta sicarii rapinis, caedibusque intenti pecuniam a locupletissimis quibusque impune extorquebant. Horum dux factus Squadronus Malascajus, quos pecuniosos arbitrabatur captivos ducebat: quibus etiam auro, quantum poterat, extorto pro arbitrio abuti non verebatur. Dormiente prae-

fecto non nisi armis impiorum manus evadere licebat. Id Bojardo saepius nunciatum est, sed nimis placidi ingenii vir, qui neminem capite puniendum esse censebat, nulli unquam manus injecit. Hercules tandem atrocis facti querela ad se delata, Beltraminum Jurisconsultum, qui in latrones severius animadverteret, Regium misit. Is urbem ingressus, clausis portis, magnam militum manu stipatos satellites ad capiendos facinorosos ire jubet. Squadronus, ubi se peti intelligit, in divi Prosperi turri cum sociis se muniit. Eo cives ad opprimendum sicarium confluentes undique occlusum obsident. Jacobus Sessius hominem ad deditionem hortari, suadere ut humani quaestoris fidei se committere non dubitet: contra ille solum a se inimicum occisum dicere, ac commissi criminis necessitatem excusare. Tum Jacobus, si aliud inquit, Squadrone, non patrasti in meam fidem salvum te fore recipio. Ad haec verba cum descendisset cum sociis quaestioni subiicitur, qui innumera horrendaque facinora confessi omnes numero duodecim ad trabem laqueo necati dignas factis poenas dederunt.

Per eos dies Leonardus Folleanus Carpineti praepositus cum Baisii archiflamine Regio expulsus Baisium se contulit. Cives seditiosi hominis ingenium veriti ad expugnandum castellum armata manu proficiscuntur; sed montanis ob loci opportunitatem se fortiter tuentibus, ne majoris tumultus occasio praeberetur, re infecta domum reverterunt. Pacata civitate, maximi apparatus propter principes qui expectabantur fieri coeperunt. Hercules enim pridie nonas augusti Regium cum Archiepiscopo Ravennate profectus, Ascanium Cardinalem, cum Ludovico Sfortia fratre, et Duce Mediolani ex fratre nepote, venientem sub aurata umbella splendidissima pompa excepit.

Pluribus comitantibus Regulis, post tre dies discessere. Eleonora quoque Herculis uxor et ipsa Regii magno cum honore suscepta fuit. Ei Andreas Zobolus, civis opibus affluens, primum ducentorum aureorum publice munus obtnlit, atque alia quotidie donec abiit, qui fuit VII octobris, dona liberaliter cumulavit. Cum vero Hercules Isabellam filiam Francisco Gonzago in matrimonio collocasset, nec pecunia exhaustus facile dotem ad manum haberet, ad populos onerandos convertitnr severiore misso quaestore, qui indictum Regiensibus tributnm durius exigeret: trium primo millinm dncatorum summam collegit; postea cum etiam pro Beatrice, quam Ludovico Sfortiae antea desponderat, alia dote sibi opus esse diceret, auctis vectigalibus, quae pro introducendis in urbem frugibus solvuntur, longe majorem pecuniae summam contraxit. His alias nuptias addidit. Annam enim Sfortiam Joannis Galleacii Mediolani Ducis sororem, quam Alphonso filio uxorem dederat, domum traduxit: ob quam pluribus ludis Ferrariae editis, etiam Regiensibus ademptam cudendae monetae facultatem restitnit. Sub id tempus religiosis divi Augustini, qui vulgo Conventuales vocantur, expulsis, alii, qui Observantes nuncupantur, eorum loco sunt substituti. Non multo post Bonfranciscus Arlottus Regii Antistes, qui celebris jurisconsultus, et theologiae doctor Romae pro Duce Hercule orator fnerat, decimo secundo calendas septembris Regium venit: ei cives magno studio certatim obviaverunt, quibus ille plenam errorum indulgentiam a Pontifice attulit (1). Pleno foro et templo, ministrantibus canonicis, magna pompa vesperas decantavit. Postridie coram quinquaginta millibus homi-

(1) Die ultima octobris MCCCCXC.

num, qui ex vicinis urbibus confluxerant sacra celebranti Matthaeus Maria Bojardus gubernator, et praetor aquam ad manus dedisse feruntur; quibus peractis, aram majorem primarii templi miro intus artificio extructam dissolvit, et in aliam formam restituit. Dejecto pariete intus quinque marmoreae columnae substratis solidis basibus in quincuncem dispositae lapideam tabulam ad celebrandum sustinebant. Hae in summo quadratis foraminibus pertusae, lapidibus supra bitumine conglutinatis, tegebantur, et intus sanctorum reliquias continebant. Media ceteris crassior ampullam crystallinam plumbea pixide inclusam habebat, in qua particula albae vestis Deiparae Virginis esse dicebatur. Cum non multo post episcopus podagra vexari coepisset, et archipresbiter, movendae arae auctor, gravi valetudine laborasset, quod sacra temere tractavissent id divino judicio evenisse plerique crediderunt.

LIBER SEXTUS

Interea Ludovicus Sfortia Joannis Galleacii ex fratre nepotis tutor oppresso adolescente apertum tyrannum agebat; quod cum Ferdinandus Aragonius aegre ferret, spoliatum generum in paternam ditionem restituere tentabat. Ludovicus proprias vires ad resistendum potenti regi infirmas esse arbitratus ad Gallorum opes confugit, Caroloque VIII regis contra Aragonios auxilium implorat; qui eam invadendae Italiae magnam occasionem nactus se expeditis armis brevi affuturum pollicetur: sed cum prius principum Italorum animos tentandos esse conseret, singulos, legatis missis, orat, ut sibi armis, et consilio favere velint. Aliis aliud respondentibus, Hercules Atestinus in Ludovici generi et ipsius etiam Caroli, quem semper coluerat, gratiam se ei fautorem obtulit. Itaque rebus ad bellum paratis, cum jam rex in Italiam properaret, Ludovicus Sfortia, ut venientibus Aragoniis obviam iret, multas in Flaminiam copias praemisit, quae in agro Regiensi diu castra habuerunt. Regii vero propter Herculis et Ludovici Sfortiae adventum, ac legatos regis Hispaniae et ducis Sabaudiae, qui ad Alexandrum VI nuper Pontificem declaratum gratulatum ibant, ingens apparatus edebatur. Fuerat ille Calisti nepos, qui in Cardinalium

senatum adscitus, vir immundus, et a christiana religione alienns, corruptis, ut ferebant, senatoribus, Innocentio defuncto per sordes suffectns fuerat. Venienti Herculi via ramis, floribusque, et rosis hinc inde usque ad palatium est exornata, eique cum splendido civium comitatu antistes obviam processit. Postridie Ludovicus Sfortia cum Beatrice uxore supervenit, ut cum socero res bellicas conferret. Eo postea abeunte futuras calamitates plurima prodigia praedixerunt. Dirus enim cometes mense martio inter primam et secundam horam noctis velut fax ignita a septentrione ad meridiem tanto splendore transiit, ut coelum ardere videretur. Quarto quoque idus septembris inter tertiam et quartam horam noctis cum vasto terrae chasmate ingens tonitruum, fulgnrum, grandinis, et pluviarum impetus aedificiorum ruinam minari videbatur: septem fulmina intra urbem et plurima extra cecidere. Eridanus praeterea irrupit, et multa cum stabulis armenta trahens adjacentia loca inundavit, ac per omnes denique finitimas regiones late diffusus Brixianum, Bergomatem, Regiensemque agrum, et alias longiores terras invasit, et cum villis homines submersit. Gabellus et ipse eodem impetu exiit, qui usque in Gavassam villam incredibili cum incolarum detrimento pervenit. Haec exorti incendii, et mortis Eleonorae Herculis uxoris, quae mox obiit, prodigia fuisse ferebantur.

Alphonsus vero Aragonius, ubi tantam in se armorum molem parari cernit, Ferdinandum filium cum numeroso exercitu Faventiam mittit, ut Bononiae Joannis Bentivoli copiis acceptis bellum Parmensibus inferat. Contra Ludovicus Joannem Franciscum Sanseverinum cum quingentis equitibus mense julio cis Niceam fluvium in Regienses transire imperat, qui ad Chantalupum Eberardo Obegnino

mille Gallorum equitum praefecto conjunctus, hostibus obviam processit. Eum secutus Gallaciae comes Sfortiani exercitus imperator, et ipsis in villis Cellae, Gaidae, et Turris Episcopi magno cum Regiensium dispendio uno die permansit, postridie extra urbem cum plaustris sexcentum viginti quinque secundum muros iter habuit, quem aliae Gallorum copiae cum pluribus impedimentis sunt subsecutae. Rex Carolus, cui Hercules liberum per Regienses et Mutinenses iter concesserat, expectabatur; sed mutato consilio Lucam conversus per Appennini juga Florentiam petiit: ei Hercules Atestinus, qui tum absente Ludovico Sfortia Mediolanum regebat, artificiosum tentorium septem millium aureorum pretium excedens donavit. Vasta machina diversas, spatiosasque aulas, et cubicula continebat, nec nisi trium dierum spatio erigi, solutaque non minus quadraginta mulis asportari poterat. Dum haec aguntur Regii opera facundi concionatoris, qui ex Franciscanorum Observantium ordine cives ad pietatem quotidie exhortabatur, sacer mons pietatis est institutus. Die quo Simonis et Thaddaei memoria agitur celebri pompa cum pictis vexillis, et tubicinibus solemnes per urbem actae sunt supplicationes. Ante episcopum vexillum Montis ipse concionator rei auctor praeferebat, quem ceteri religiosi cum suae crucis signis sequebantur. Ubi ad majus templum pervenere, civibus certatim offerentibus, ingens pecunia contracta fuit. Soli sancti Dominici coenobitae, qui novum institutum damnabant, et hanc pietatis praetextu usurarum speciem esse contendebant, interesse noluerunt. Non multo post Matthaeo Maria Bojardo urbis praefecto defunto (1), Franciscus Maria Ran-

(1) Die XIX decembris hora noctis secunda MCCCCXCIV.

gonus successit. Ceterum Carolo universo Neapolitano regno per proditionem potito, reliqui Italiae principes formidabiles Gallorum vires pertimescere coeperunt. Eam ob rem in illos Pontifex et Ludovicus Sfortia, cum jam Novaria adempta erat, ac Veneti conjunctis animis conjurarunt. Ita flagrante bello, omnibusque in Italia arma expedientibus, ut regem in Gallias reversurum intercluderent, quamplures Venetorum copiae ex Dalmatia, Epiro, et Achaja contractae fuerunt; quae multa equitum, peditumque millia dum Mediolanum petunt per aliquot dies in itinere magnum Regiensibus incommodum attulere. Alexander quoque Sfortia Pisauri Dominus, dum sexcentos equites, nec paucas peditum copias in Ducis Mediolani auxilium adducit, Regii non sine civium molestia pernoctavit. Demum cum apud Glareolam commisso praelio rex pugnans ex hostium manibus evasisset, Herculis Atestini opera pax inter Gallum et Ludovicum Sfortiam composita fuit. Inter alia convenit, ut arx Genuae per biennium in ipsius Herculis, qui publice tranquillitatis auctor fuerat, potestate sequestris esset. Inter haec Petrus Lavetiolus Regio praefectus publicam civium et rusticorum causam de excavandis canalibus terminavit. Quo tempore Carpi exorto tumultu Regienses et Mutinenses jussu Herculis eo missi omnem turbam sedavere. Obegninus vero Gallicarum copiarum imperator ab Aragoniis in pristinum regnum restitutis Neapoli expulsus, dum in Gallias revertitur, Regiique apud Albertum Fontanellam divertit, ingens urbi incommodum dedit. Hi morbum gallicum ex regionibus per Hispanos nuper inventis Neapolim superioribus annis allatum conceperant, ac tum primum etiam Regiensibus communicaverunt. Obegninum Joannis Bentivoli copiae secutae in itinere plurimum civibus nostris obfuerunt.

Inter has rerum varietates Carpi regulis inter se dissentientibus, Fracassus Sanseverinus eo profectus Albertum Pium, qui contra Gallos sentiebat, expulit, multisque captis, aliisque laqueo suspensis principatum Giberto ejus gentili Joannisque Bentivoli genero tradidit. Eam opportune occupandi illius loci occasionem nactus Hercules Atestinus cum magna equitum peditumque manu oppidum est ingressus, et ejecto Giberto locum sibi munivit. Ita rebus ex sententia compositis ad novas ferri fodinas inspiciendas in Carphinianam transiit. Unde novo vecturae invento non multo post pernicium rusticorum humeris portatus Regium venit, et post quatriduum ab iisdem delatus Ferrariam discessit. Ii erant juvenes numero quadraginta tanta velocitate currentes, ut vix a citissimis equitibus aequari possent. Sequentis anni initio duorum insignium virorum obitu moesta civitas fuit. Antonius enim Caccivillanus, qui Regii latinas, graecasque litteras publice docebat, moriens studiosis ingens sui desiderium reliquit. Philippus quoque Zobolus Clomacensis Antistes ex aedificio quod extruebat delapsus ob eximiam erga omnes liberalitatem publico cum dolore decessit. Is vivens obtinuerat, ut Alberto ex fratre nepoti Divi Prosperi, cujus Abbas erat, coenobium commendaretur, qui, patruo funere elato, quod nullam adhuc loci possessionem habuisset, expulsa sacra familia sub lucem monasterium invasit, unde atrocissima postea lis exorta fere urbem perdidit. Nec multo post Regium nunciatum est Bubinum Brixilliensem, aggeribus Crustumii solo aequatis, undas in Regiensium campos sparsisse; quare Ludovici Malvetii, Joannis Andreae Turricellae, et Joannis Ludovici aedilis jussu pulsata campana ad arma est conclamatum. Praeeunte praetore cum ad locum ventum esset,

inventum est canale, quod à coenobitis Sancti Joannis a Parma sub Crustumio perforatum erat, a Bubino, ne suis praediis damno esset, obstructum fuisse. Quare Bubini tantum villam ducta armatorum manus omnibus animantibus spoliavit. Pisae interim quae a Carolo libertati restitutae fuerant, a Florentinis oppugnari coeptae, Venetis salutem suam committunt, qui ut valido praesidio urbem tuerentur plurimas copias per Regienses eo transmiserunt. Sed ejus urbis obtinendae desiderio flagrans Ludovicus Sfortia a Venetorum amicitia discessit, Fracassoque duce plurimas copias in Flaminiam ad obsidendum Forum Livii Venetorum oppidum per Regienses misit. Tandem Hercules ejus controversiae arbiter Venetos, centum millibus ducatorum a Florentinis acceptis, Pisis praesidium deducere praecepit: cui sententiae cum Ludovicus Sfortia ejus urbis occupandae cupidus obstinatius resisteret, sui tandem imperii ruinas peperit. Veneti enim cum Ludovico Aurelianensi, qui, Carolo apoplexia correpto, in Galliae regno successerat, et Pontifice adversus eum sibi saevissimum hostem factum conjurarunt. Ex hac conventione Cremona Venetis in praemium societatis concessa, et Mediolani principatus Gallo haereditario etiam jure, ut credebat, debitus relictus fuit. Caesari vero Borgiae Alexandri Pontificis filio, qui, occiso Candiano fratre, sacram purpuram exuerat, Gallia togata cum Umbria attributa erat. Hercules, Ludovico Sfortiae genero contra Gallos subsidio futurus, copias, quae sub Alphonso filio in Regii praesidio erant, Mediolanum primas misit, quas non multo post aliae ejusdem Alphonsi cohortes per Regienses cum quingentis Bentivoli equitibus subsecutae fuerunt. Caeterum Ludovico Sfortia in fugam acto cum reliquis ejus urbibus, Parma etiam a Gallis est occupata. Hercules

Ludovico Gallorum regi ob victoriam gratulatum iturus, duobus secum filiis Alphonso et Ferdinando uno anno eo natu minore ductis, Regium venit. At Caesar Borgia Mediolano Regium veniens, ubi Zobolorum hospitio usus est, statim in Flaminiam profectus est, ut Forum Cornelii et Livii, prout conveverat, Gallorum auxilio expugnaret: quibus oppidis pro voto captis, sex millia gallorum Regio Mediolanum reversa, pluribus impedimentis, et mulieribus sequentibus, magno cum civium detrimento extra urbem pernoctarunt. Tanta denique eorum intemperantia fuit, ut Mediolanenses cum ceteris civitatibus a Gallo defecerint, et Ludovicum Sfortiam restituerint. Sed is non multo post, prodentibus Helvetiis, captus in Gallias, ubi postea decessit, divino juditio ob occupatam tyrannidem est perductus. Galli jam plena victoria potiti Montem Clariculum, superiore anno a Guidone Taurello prothonotario occupatum, uno die expugnarunt, ubi nullum quod edi posset crudelitatis, ac libidinis exemplum praetermiserunt. Hercules vero, dimidia parte Carpi, et Soleriae accepta, Giberto Pio Marci filio Saxolum cum tredecim proximis castris jure feudi concessit.

Eo tempore, sententia Romae dicta, Divi Prosperi coenobium Alberto Zobolo, qui illud invaserat, est adjudicatum; qua de re ignibus accensis, et campanis pulsatis, publica laetitia est significata. Abeuntes monachi divi Raphaelis virgines, quas sua disciplina regebant, infelicibus auspiciis sancti Dominici familiae commendarunt. Postea vero cum trecentorum aureorum pensione Alberto promissa coenobium recepissent, ad pristinamque tutelam virgines reversurae essent, alii coenobitae, qui magnum ex earum ditissimis praediis emolumentum senserant, levioribus feminis persuasisse feruntur, ne ad antiquos seve-

.rioresque patres reverti vellent. His favebat antistes, unde ingensque orta contentio cruentis postea seditionibus diu urbem afflixit. Jubilaeus hic annus erat, quo Romana templa visitantibus errorum venia dabatur. Sed Pontifex ad Herculis preces Regiensibus, qui intra suam urbem septem templa in rescripto nominata adiissent, plene delicta remisit. Ad ea tanta populi confluxit multitudo, ut euntes vix in viis sibi cedere possent. Demum cum secundum initam cum Gallis societatem Pontifex omnia Piceni et Flaminiae oppida sibi subijcere tentaret, Caesar Borgius, Arimino expugnato, Faventiam exercitum duxit; quo Galli ab eo vocati, dum Regio transeunt, praeter alia incommoda etiam omne libidinis genus ediderunt. Sed, expugnata Faventia, dum alia circiter quindecim millia magno civium nostrorum damno Neapolim eunt, Regii ingens terraemotus nonis junii post decimam quintam horam plures domos dejecit. Denique, Mirandula subacta, Gallorum copiae, cum in sancti Martini agro per aliquot dies resedissent, per Regienses Mediolanum redierunt: sed non multo post a Caesare Borgia, qui domita Flaminia, Bononiam quoque obsessurus erat, ad expellendum Joannem Bentivolum revocatae rursum in Regiensium suburbiis pernoctarunt; et alii praeterea per plurimos dies transeuntes, non mediocriter urbem vexarunt. Per eosdem dies uxor Marchionis Salassiorum, quae in Pannoniae regis uxorem ad virum euntem comitata fuerat, cum centum quinquaginta equitibus rediit, et Regii ad episcopum divertit.

Sequente anno [1] Alphonsus Herculis primogenitus, defuncta Anna sibi desponsata, Lucretiam Borgiam Ale-

---

(1) MDIII.

xandri Pontificis filiam, Cento et Plebe oppidis ad Renum in dotem acceptis, uxorem duxit: et Regii templi maximi hemispherium ingenti studio aedificatum fuit. Ejus anni hyeme propter nives, quae ad decem octo unciarum altitudinem ceciderunt, non paucae aedes corruerunt. Alexander vero Pontifex dum provinciarum imperio inhiat, in medio spei cursu pincernam incautum fallentibus lagenis, quae veneno infectae in aliorum perniciem paratae fuerant, sublatus est. Per eam occasionem Tramoja Gallici exercitus imperator centum septuaginta curribus loricis, aliisque armis onustis Regio Romam properavit, ubi Pio III Pontifice creato, cum is quoque intra paucos dies decessisset, Julius II successit. Hic Julianus antea dictus Sixti nepos ex fratre fuerat, Sabatia nunc Savona urbe Liguriae oriundus. Anno vero MDIV sexto calendas aprilis Hieronymus Pratonerius Gabrielis filius, qui templi sancti Prosperi a Castello murum anteriorem suo aere construxerat, duos ex Veronensi marmore fictos leones ad exornandam fani portam advexit; hoc animal, quod somni sit parcissimi, vigilantissimumque habeatur pro aedium sacrarum valvis antiquis collocari placuit. Eo tempore ob immensas pluvias Padus aliaque flumina eruperunt, quare fruges plurimae consumptae, et ob nimium humorem concepto morbo in urbe aliquantulum peste est laboratum, quae post paucos menses magis saeviens plurimos consumpsit. Letali morbo quod ob coeli inclementiam exustae segetes essent, dira etiam fames accessit, quae inopem plebem foede deformavit. Sub anni finem (1) episcopus cum populo ad sanctum Prosperum a Castello ejus inquirendarum reliquiarum gratia accessit. Arca, ubi esse

(1) Die trigesima decembris MDIV.

credebantur, detecta, quid inventum sit ignoratnr. Constat snperiore tabula snblata, conversum ad populum Anthistitem pium esse credere pronunciasse. Post quinque dies quam haec acta sunt, geminatus ingens terraemotus plures caminos dejecit. Is Herculi mortem portendisse a multis ferebatur, qui cum jam annum aetatis septuagesimum excederet, quo die scenicum spectaculum populo exhibiturus erat, septimo calendas februarii anno principatus sni trigesimo tertio vita excessit. Ei Alphonsus quem ex Eleonora natu grandiorem susceperat in paterno imperio successit, qui principatnm adeptns primum Regium venit, ubi a populo Dux acclamatus summo cum honore a civibus exceptus fuit. Mox Ferrariam reversus magnum vitae discrimen subiit. Erat ei Julius frater, cujus oculorum honestatem nobile scortum, ab Ippolito Cardinali misere adamatum, commendaverat. Ea re graviter offensus rivalis lumina, quae amicae placuerant fratri effodit; quibns ille orbatus, et mox in snum locum retrnsis videndi facultatem retinuit. Verum gravi hac injuria exacerbatus Ferdinandum fratrem impulit, ut, Albertini Boschetti Mutinensis et Gerardi Roberti opera, Alphonso de medio sublato, imperium arriperet. Negotium retardabat, quod utrnmque fratrem occidere volebant, et ambos raro convenientes simul assequi non poterant. Janus cantor, in conjuratorum societatem adscitns novum occidendi principis consilium invenit. Cum Alphonso enim jocari solitns, eum meridie quiescentem, velut per jocum, saepius vinciebat, ut die ad facinus destinato nihil tale cogitantem hac arte facilius opprimeret. Cardinalis, qui vigilantissimus cnncta diligenter explorabat, rem cognitam ad fratrem detulit. Is dnm somnum simulat, cum se pro more ligari passus esset, velut ex

tempore expergefactus, torvo vultu solvi se imperat. Janus jam crimen patefactum vereri, et ad tremendam principis faciem commotus trepidare, vinculis sublatis, instantius timoris causam inquirenti Alphonso totam ordine rem fatetur post varios cruciatus ubi sceleris poenas dedit. De Albertino quoque et Gerardo supplicium in foro sumptum fuit. Julius, qui Mantuam profugerat, Ferrariam retractus cum Ferdinando, principis clementia perpetuo carceri traditus, post quinquaginta quinque annos ab Alphonso nepote est liberatus.

Post has aerumnas Lucretia Borgia decimo tertio calendas octobris puerum, qui paulo post extinctus est, in arce Regii peperit; ubi divi Chrysanti, et Dariae arca ex superiori templo sub cryptam est translata, hemispherioque templi majoris jam absoluto, in choro novo sacra, et caeremoniae celebrari coeperunt. Sub id tempus luridus cometes ad occiduam plagam per aliquot dies ardens Philippi Maximiani Caesaris filii mox subsecutam mortem significasse credebatur. Cum vero grave inter Hispanos, et Gallos bellum ortum fuisset, ac Galli laborantibus sociis opem ferrent, quotidie per Regienses transmitterentur, Alphonsus damnoso transitu, quo cives valde affligi sentiebat, eos prohibuit, non multo post tamen exhortatus non paucas cohortes Pontificis, qui Bononiam occupare cogitabat, auxilium laturus admisit. Quin plurima aenea mirae magnitudinis tormenta bellica cum ducentis curribus, quos ingenti commeatu oneratos bis mille Svevi, et totidem sagittarii comitabantur, cives Mutinam usque traditis jumentis deducere coacti fuere. Joannes Bentivolus, quem Pontifex sanguinis spongiam ob crudelitatem vocitabat, tanto apparatu perterritus calendis novembris Bononia profugus Regium venit. Sed cum eos,

qui hominem reciperent, diris Julius Pontifex insectaretur, ab omnibus desertus Regio Parmam versus discessit. Is in Pontificis invidiam Bononiam Gallis diripiendam tradere, et multos etiam ex ejus fautoribus interimere decrevisse dicitur: sed cum hoc in vulgus emanasset, iram populi timens aufugit. Julio postea Bononia potito, Gallorum copiae Parmam redeuntes magnis damnis Regienses affecerunt: qui ob acceptas injurias tumultuati eorum ducem Mercurium, qui in urbem venerat, equo deturbatum occidissent, nisi superveniens Dionysius Zobolus ab imminenti morte ipsum liberasset. Cum vero Bonfranciscus Arlottus jam tres et octoginta annos natus in Regiensi ecclesia antistitis officio amplius fungi non posset, Joannem Lucam Pontremulensem socium habuit. Is Ferrariae diu jus Pontificium docuerat, ac in Alphonsi Atestini familiaritatem paulatim receptus, demum ejus opera hunc honorem obtinuit. Ceterum Annibale Bentivolo per Regienses Saxolum proficiscenti, Cardinalis Atestinus militum manum, quae eum transitu prohiberet, Regio accivit; simulque Joannem Bojardum cum Scandianensibus ad profugum capiendum Saxolum ire imperavit. At ille insidias praesentiens, inde mature aufugit. Genuenses vero, ejectis Gallorum magistratibus, et Paulo Novio infimae plebis opifice Duce creato, in libertatem se vindicarunt. Ludovicus rex ad eam injuriam abstergendam cum propere in Italiam venisset, Alphonsum ad illud bellum gerendum vocat, qui ad deditionem urbe compulsa, et Novio inauspicati principatus poenas dante, regis iram in eos cives conceptam maxime mitigavit. Ex eo Julius Pontifex, qui gentis suae libertati impense favebat, tantam indignationem concepit, ut infestis armis postea Atestinos maxime vexaverit.

Hoc anno ingentis rixae civilis initium, religiosorum causa Regii exortum, pluribus annis calamitosas dissentiones in urbe aluit. Reversa enim, ut supra exposuimus, in antiquum coenobium divi Prosperi familia, plures ex virginibus divi Raphaelis ad antiquos suae religionis patres reverti cupiebant; contra divi Dominici coenobitae ab illis semel derelictas fuisse dictitare, aliis jam addictas inique repeti, nec nisi violatis sacris in vetustum jus amplius posse restitui. Nonnullas praeterea ut secum sentirent seduxisse dicuntur. Alii Chrysanti Scajoli filiam, quam opibus abundans pater plus quinqne millium aureorum donario dato in earum virginum claustro incluserat, ex antiquo odio cum ipsis primam conspirasse ferunt. Ob amplam enim dotem superba alias velut suis facnltatibus viventes negligere, suas fastuosius praedicare divitias, et supra omnes se extollere ab initio non desisterat, donec a patribns reprehensa diu muliebris ingenii licentiam exercere non potuit. Tum vero vel ab aliis, vel ex odio, quod per multos dies concoxerat, excitata se in pristinam servitutem non reversuram fremere, nimis durum priorum esse jugum, nimiamque eornm severitatem querebatur, et quandoque etiam senum insipientiam apud socias deridebat. Tandem adscita sibi Alberti Gazzoli filia sanguine conjuncta, aliisque sectae comitibus suscitatis, vetnstos rectores aperte abnuit, et divi Dominici religiosis coenobium subijciendum esse palam dictitat. Frasia Signorella Ferrariensis, cnjus soror Gilia Antonio Bebio nupserat, cum aliis virginibus non temere contemnenda antiquae religionis instituta, non hanc immerentibns patribus notam inurendam, non facile a vetusta disciplina discedendum esse contendere. Demum communis vitae societate relicta, sacrorumque foedere violato a convitiis

ad rixas, et manus venientes, tumultu coenobium impleverunt. Cognati, quorum munus erat virili prudentia femineum furorem extinguere, suarum quisque partes tueri conatnr. Increbrescente interim fama, Frasiam cum fautricibus vi coenobio expulsum iri Joannes Jacobus, Paulus, Joannes Baptista, Julius et Hieronymus Bebii Antonii liberi, ut vim arceant, arma expediunt. Georgius eorum frater, qui in Ducis Ferrariensis comitatu versabatur, ubi a puero educatus erat, Alphonsum de imminentis incendii periculo certiorem facit. Ille Petro Mariae Petrato urbis praefecto imperat, ut omni studio orientem rixam sopiat. Is, mille anreorum cantione a Scajolis exacta, neminem a se offensum iri, a Bebiis quoque arma deponi jubet. Antonins se jam imbellem senem, contentiones abhorrere, a se adversarios tutos fore jurejurando affirmat; sed pro filiis in se parentem, quandoqne contumacis ingenii jnvenibus, nihil certi posse polliceri respondet. Cum ob cognatas virgines plurimae Regiensinm familiae in diversas partes traherentnr, senatu convocato, eas separari placuit. Frasia itaque cum sociis clam coenobio extracta, in sancti Sthephani hospitio cum parte bonorum prioris coenobii est collocata, donec divae Magdalenae parthenon, ubi postea tranquillius vixerunt, jam aedificari coeptum, absolutum fuit.

Non ob id tamen inter familias altius animo conceptum odium facile deponi potuit. Plures enim ea altercatione offensi in diversas partes abiernnt, aliique Bebios, alii Scajolos sunt secuti; quibus non pauci praeterea obscuriore loco nati accesserunt. Manfredi, Cambiatores, Sancti Laurentii, Vicedomini, Fontanelli, Malegutii, Pratonerii, Caprarii, Cosselli, Parisetti, et cum pluribus aliis Pataratii a Bebiis steterunt. Praeter domesticas vires etiam

ex oppidis, montibus et pagis facinorosos quosque in suas partes traxerunt; et cum Guelphos se vocarent, ex vicinis urbibus insignes familias eodem furore agitatas illustresque viros sibi adjunxerunt. Cato Castagnetus, Albertus Vallestrus, Moreschi a Casali majore, Coconii a Castellonovo Parmensium, Comites Croariae, Gibertus a Monte Cuculo, Paludini Medulae et Nuvolariae domini, Savini Mirandulenses, aliique ex diversis urbibus, etiam principes viri, cum iisdem sentiebant. Eo tandem res progressa est, ut ipsi etiam gentiles inter se dividerentur. Scajolos vero Sessii, Messorii, Zoboli, Fossii, Gazzoli, Mazucchi, Calcanei, Martelli, Boccatii, Bontiagni, Anzini, Cartharii, et cum plerisque aliis Saccanii sequebantur. Ex externis Corrigii, Mantuae et Carpi principes, Scandiani dominus, Sanvitales Parmenses, Vaini a Foro Cornelii, et Raspones a Ravenna iisdem favebant. Morotti quoque a Carpineto, qui ingentem factionem collegerant, et alii a Temporia maximum ipsis auxilium opportune attulerunt. Urbe ita divisa, Bebiorum factio Guelphos secuta lingua materna *Tovalea,* Scajolorum vero ex Gibellinis constans *Cusina* vocabatur. Has antea conceptas simultates novus in foro natus casus in majus dissidium auxit, et in teterrimam civium necem perduxit. Tres erant Hieronymo Fossio liberi, Scajolorum amicissimi, Albertus, Aurelius et Alexander; is in foro ad irritandum Paulum Bebium juvenili licentia lasciviens Balthasarem Scajolum Delifei filium, virum eloquentia, et liberalibus artibus instructum, magnifice extulerat. Altero ad ejus verba acerbius respondente, ortaque, ut fit, èx verbis contumelia, nisi multis intercedentibus divisi essent, ad manus ventum fuisset. Haec ira aliquamdiu dissimulata in apertum tandem odium prorupit. Cum enim Joannes Jacobus Bebius forte Nove-

laria, ubi militum tribunatum acceperat, Aguignam paternae ditionis oppidum versus portam castelli reverteretur, ad Scajolorum aedes pervenit, ubi unus ex ejus familiaribus per lasciviam Bebiorum nomen alta voce acclamavit. Balthasaris clientes ubi ex fenestra transeuntes agnoverant, adversarios sibi illudere arbitrati, confestim arma arripiunt. Ante alios Augustinus Vastus, cognomento Claudus, gravem ignominiam conqueri; hostem in ipsis aedium foribus et ante oculos insultare, jam se pro imbellibus, et feminis haberi; ita socios, ut se sequerentur, hortatus contumeliam ulturus exivit. Sequebantur inter alios Joannem Jacobum quatuor cum scorpionibus sagittarii, qui primum Augustinum vix janua egressum, deinde Morgantem Coriarium, mox Falchetum Messorium sagittis eminus missis transfossos sternunt. Brusatus Messorius aliorum malo cautior factus, periculo se committere non est ausus, et intra domum cum aliis se continuit. In eo tumultu Albertus Fossius, qui ex contiguis Scajolae aedibus clamore audito, ut sociis auxilio esset, et priorem etiam fratris injuriam ulcisceretur, armatus venerat, et ipse scorpionis telo transverberatus cecidit. Urbis praefectus, Joanne Jacobo exulare jusso, et ab utraque parte fide accepta neminem offensum iri donec lis componeretur, inter eos tacitas inducias per quadraginta quinque dies firmavit. Mox Antonio Bebio imperat, ut Joannem Jacobum, Paulum, et Julium liberos Aguigna sui juris castello ablegaret, quod Principis beneficiarius cliens ejus hostes recipere non deberet. Moestus parens qui jus in liberos invitus exequi cogebatur, mula ad castrum vectus ante portam sistit (1), ibi tres filios evocans sua ditione excedere jubet, monetque, ut fortunam fortiter ferant, ac

(1) Die quarta novembris MDVIII.

Principis mandato libenter obtemperent. Juvenes parentis dicto resistere non ausi ad Petram Paludinorum castellum inde quatuor millibus passuum distans se contulerunt. Verum intra paucos dies ad paternum castellum reditum impetrarunt.

In his motibus tertio nonas januarii intra decimam et octavam horam Bonfranciscus Arlottus, cum triginta annos Regiensi ecclesiae praefuisset, anno aetatis octuagesimo sexto, cum publico luctu decessit. Vir theologiae ac philosophiae peritissimus, qui, cum apud Sixtum Pontificem pro Hercule primo Atestino legatum ageret, ob singularem doctrinam patriae praesulatum obtinuit: in aede majori humato Joannes Marcus frater, et Ventura ex Aliprando jureconsulto fratre praemortuo nepos monumentum posuere. Joannes Lucas Puteus Pontremulensis, qui viventi socius adjunctus fuerat, plenum postea pontificatum habuit. Is antistitis habitu nono calendas maii urbem ingressus, in primis crucem ante portam Sancti Petri sibi pro more oblatam est exosculatus; tum sub umbella exceptus mulam conscendit, omnibusque religiosorum ordinibus praecedentibus, cum ad arcum quemdam in ejus honorem factum pervenisset, a juvene, qui divi Prosperi personam referebat, quibusdam virgilianis versibus est salutatus:

Venisti tandem, tuaque expectata parenti
Vicit iter durum pietas! datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces!
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit,
Quas ego te terras et quanta per aequora vectus
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Lybiae tibi regna nocerent!

Quibus ille brevi, sed gravissima oratione cum respondisset in forum pervenit. Pro umbella eripienda rixa inter sacerdotes, et milites orta, multi vulnerati, et nonnulli etiam interfecti fuere. Mulam rusticus, quamquam multis ictibus in collo et capite a proximis satellitibus percussus, ascendens obtinuit. Magnus tumultus sub id tempus Monticuli inter praesidiarios milites, et oppidanos exortus, multis vulneribus causam praebuit. Verum Petratus civitatis gubernator eo profectus, omnem turbam composuit. Cum vero ei Hector Sacratus successisset, nonis aprilis natus est Hercules, qui postea Dux fuit: quare magnae laetitiae signa Regii publice edita fuere.

Sed non multo post tristes secuti eventus totam urbem perturbarunt. Orto enim inter Feltrini Gonzagi pronepotes dissidio, Marcus Antonius et frater Joannem Petrum agnatum Bagnoli castello spoliaverant: ac ut se adversus propinquum facilius tuerentur, exules, qui crebras in Regiensi agro rapinas faciebant, velut in asylum recipiebant, ac in plurium perniciem falsam monetam cudebant. Eam proferendi imperii occasionem nactus Alphonsus a Julio Pontifice impetravit, ut Ludovicus Picus Mirandulae Princeps cum pontificio exercitu castellum expugnaret, et illud sibi traderet. Joannes Petrus, agnatis expulsis, de recuperando eo loco valde sollicitus, saepius Romam et quandoque Mediolanum, ut vel a Gallis, vel a Pontifice restitueretur, magna cum impensa profectus est. Demum propinquorum, qui perduellionis rei condemnati fuerant, partem a Julio Pontifice emit, et totam majorum ditionem post biennium obtinuit, quam etiam postea a Caesare sibi confirmari curavit. Regienses mille aureorum pretio Bagnolum acquirere potuissent, sed illud turpi ignavia dimiserunt. Regii vero Hieronymus Fossius,

qui Alberti filii necem ferre non poterat, cum Delipheo Scajolo in Bebiorum fratrum caput conspirat. Erat tunc Aguignae juridicus Michael Bocciaclius prope castellum in aedibus templo contiguis habitans: hunc et Nicolaum Signanum, cujus concubinam Julius Bebius vi raptam tenebat, et Matthaeum Chelinum in Miara Sarzani villa degentem pecunia ad tollendos hostes pellicit. Centeni aurei cuique promissi si vel unum ex Antonii Bebii filiis sustulissent. Per quatuor et triginta dies re diligentius expensa, tandem placuit, ut ubi aliquis fratrum exiret, id Michael uno atque altero campani aeris sono sociis nunc procul latitantibus significaret, qui arreptis armis velut aliud acturi hostibus obviam irent, inopinantesque opprimerent. Semel Bebii dato a Michaele signo egressi fuerant, sed cum armatorum manum secum adduxissent, nihil est tentatum. Alio igitur consilio rem aggressi tandem ad exitum perduxerunt. Ad componendam inter amicos pacem, fratribus domi relictis, forte solus Joannes Jacobus exierat; ibi Nicolaus patrandi facinoris tempus venisse ratus, statim cum Michaele castellum ingreditur, blandoque sermone per causam aurae in aestivis caloribus captandae Julium educunt. Jam longius Aguigna aberant, cum Nicolaus, rixae colore quaesito, num memor, inquit, es, Juli, cum per vim mihi concubinam inique rapuisti? eo ad rustici verba contumeliosius respondente, Nicolaus, alte sublata, quam manu gerebat, securi, insultantis cervicem percussit. Cadenti Michael primo hasta natem transfixit, mox armis abiectis, spirantem adhuc manibus strictis faucibus necavit. Pro praemio praeter pecuniam sicarios denos frumenti sextarios retulisse ferunt. Aliis fugientibus, Matthaeus Chelinus criminis socius captus, Hilario Quintiano Parmensi Aguignae jusdicente, laqueo suspensus, et in

quatuor partes discerptus ab arboribus diu pependit. Antonius Bebius quamquam de filii casu graviter conquestus, Alphonsum, quod ei criminis reum tradere noluisset, ad vindicandum scelus frigidiorem invenit. Michael vero Mirandulae a Guidone Savina Guelphae factionis principe, apud quem jactabundus de facinore gloriatus erat, gladio transfossus, sceleris poenas dedit.

Hoc anno sub mensis martii initium columnae marmoreae cruci affixi Salvatoris Domini effigiem supra aram majorem pontificii templi sustinentes collocatae fuerunt. Dux vero nono calendas maii mille sextarios frumenti, totidem zeae, et milii indici cum salsamentis, et mille congiis vini ad bellum contra Venetos gerendum a Regiensibus obtinuit. In illos enim opulentum imperium tenentes alii ferme omnes orbis christiani principes ad urbem Cameracum in Belgis conspiraverant, tanto silentio, ut non nisi expeditis armis id Venetiis cognitum fuerit. Dolebat Pontifex in Flaminia Ariminum, et Faventiam suo imperio ereptam detineri, in Apulia Brundusium, Tranium, Sypontum, Monopolimque jampridem ipsis ab Aragoniis oppignoratas adimi Hispanus Neapoli rerum potitus indignabatur. In Foro Juliensibus quoque Goritiam Tergesteque ab iisdem possideri Caesar aegre ferebat. Gallus et ipse Cremonam suae ditioni detractam querebatur. Adversus eos igitur velut alieni occupatores cum Galli, Hispani, Maximilianus Caesar, Pontifex, et Alphonsus Atestinus conjurassent, multae militum cohortes, ut urbes, quae juris pontificii esse dicebantur, obsiderent, Regio transierunt. Eam expeditionem adeo feliciter Julius confecit, ut non solum Ariminum, et Faventiam, verum etiam Cerviam et Ravennam sine ullo negotio receperit. Pari victoriae cursu Alphonsus Rhodigii

peninsulam citra sanguinem occupavit. Ob id bellum gerendum mille aureorum tributum Regiensibus, aliisque subjectis populis imperaverat; sed cum Venetos, recepto Patavio, viginti triremium apparatu contra se venientes timeret, praecepit, ut exacta pecunia civibus restitueretur. Ceterum classe Venetorum partim capta, partim demersa, ubi supplicationes in urbe publice peractae fuerunt, antea indictum tributum magno civium incommodo exactum fuit.

Interea crudescente civium odio sub sequentis anni initium Franciscus Rubinus Caroli filius unus ex Bebiorum sociis, cum multo mane a sacris ex divi Prosperi aede rediret, a Christophoro et Jubilaeo de ima plebe hominibus misere occisus fuit. Ferunt parricidas Annibali Malegutio, et Alberto Pratonerio viris magna amicitia conjunctis insidiatos, sed ipsis non exeuntibus pro illis alium sustulisse. Nec multo post aliud patratum facinus majoris incendii flammas excitavit. Paulus enim et Hieronymus Bebii, qui principis clementia nuper Regium reversi fuerant, Barnabam Caprarium a Nicolao Calcaneo prope telonium petitum fuisse sub vesperam falso audierant, et cum socio suppetias laturi exiissent, ac nemine invento domum redirent, in taberna pannorum, quam prope forum habebat forte inventum Deliphaeum Scajolum multis vulneribus, ex quibus infra paucos dies decessit, lethaliter vulnerant. At Julius Pontifex cum jam Bononiam suae ditionis fecisset, ecclesiae imperium proferre cupiens, paternis civitatibus Alphonsum privare constituit. Venetis itaque Atestini nominis hostibus infensissimis in primis conciliatus a Regiensibus urbem petiit, qui cum suam fidem jamdudum se Atestinis obstrinxisse respondissent, quinto calendas septembris diris subjecti,

inferorumque poenis devoti fuere. Alphonsus, qui Ludovico Gallorum regi se conjunxerat, Julii iram veritus viginti majora aenea tormenta Regium in arce non sine civium timore deduxit. Biduo post cum Mutina se Pontifici tradidisset, ejus fecialis Regium Julii nomine convocatis decurionibus petiit; cui per Rambaldum Bovinum, tunc curiae principem, responsum est, suam Alphonso cives fidem semel dedisse, a se obsidionem, et durissima quaeque prius esse sustinenda, quam perfidiae crimen incurrendum. Postridie Julius urbi, quae sibi parere noluerat, rursus sacris interdictis, etiam quoscumque religiosos ex Regiensium finibus discedere praecepit: paucis itaque ad sacramentorum administrationem relictis, ceteri abiere. Contra Alphonsus sacra, invito Pontifice, celebrari volebat; quod episcopus, quamquam ei multis nominibus obstrictus, nunquam concessit: quare publicationis bonorum poena antistiti, et sacerdotibus est indicta, nisi sacra fierent. Joannes quoque Marcus Arlotus Bonfrancisci praesulis defuncti frater, et tum vicarii pater in podio palatii publice filio imperavit, ut nisi a se exhaeredari vellet ad ea celebranda vel invitos sacerdotes cogeret. Ille qui Pontifici obtemperandum censebat, se a patre domo expelli passus est. Demum ut parentis offensam evitaret, obvium factum sacerdotem ad peragenda sacra compulit: sed is, velut ad rem nefariam adactus, cum plorans celebrare coepisset, omnes ab aede sacra facinus detestati discessere. In his contentionum fluctibus Joannes Lucas antistes, qui Pontificis jussu Bononiam concesserat, imminentis belli cura et rerum sollicitudine afflictus in extrema inopia decessit, ut nec pecuniam, quae funeri sufficeret, post se reliquerit. Joannes Baptista Massarius, qui tunc studiorum causa Bononiae degebat, cum suo aere in divi Mar-

tini templo humiliter tumulari curavit. Interea Regium sine intermissione mnniebatur, cujus praefectus, ne otiosus sederet, cum Gallorum exercitu Mutinam versus obviam hostibus egressus, usque ad portam sanctae Crucis agros undique est depopulatus; tandem Marzaja, parvo castello, occupata, Galli per Regiensium praedia divisi armenta, et paupernm supellectilem hostiliter diripere coepernnt. Verum rustici, pulsata campana, armisque correptis, debacchantium libidinem paulisper repressere, ex praedonibus quos ceperunt viginti qninque Regium perducti in vincula conjecti fuere. In suburbiis vero Alphonsus turrim sancti Prosperi, quae restituta fuerat, undique excisam, trabibns quos apposuerat succensis, dejecit, Gallosque ad urbis praesidium introduxit (1). Contra Pontificis copiae, Formigino, aliisque ignobilibus castris Toanum usque direptis, Saxolum cepere. Sed dum in Mutinensium castellis expngnandis detinentur, Carpum, qnod paulo ante occupaverant, Gallorum armis subactum amiserunt.

In his aerumnis cives etsi externis bellis afflicti, nondum antiquo odio deposito intus in se ipsi arma crudeliter converterunt. Bebii enim fratres effuso sanguine nondum satiati Aguigna, ubi exulabant, discessere, ac Petrino Pratonerio comitante, noctu clam moenia scandentes in parentis aedibus se occultarnnt, qui filios apud se esse ignorans, cum tamen in urbe versari persensisset, Scajolis ut sibi caveant per nuncium humaniter significat. Hi toto die, qui Christi nativitatem praecessit, domi se continuerant. Demum Hieronymus Fossius, qui et ipse intra domesticos parietes usque ad ultimam vesperam manserat, fato impulsus se exiturum et forte pro omnibus poenas

(1) Die XXIX septembris MDX.

daturum praedixit. Ubi ad forum pervenit, Bebii, hostis adventu per exploratores cognito, infestis armis confestim egrediuntur, ac miserum senem cum duobus sociis interceptum obtruncant.

Sub idem fere tempus Africanus Calcaneus Carpineti Dominici Morotti opera est trucidatus. Is omnium montanorum celeberrimus, et gibellinae factionis princeps plurimos nobiles viros non secus ac clarissimus bello dux evertit; qui, Carpineti humili patre cauponariam exercente progenitus, prima aetate in pascendis pecoribus aliisque agrestibus operis se exercuerat. Pubertatem vero egressus primum in mediis nundinis inimicum hominem nactus sparo trucidavit; ab hocque parricidio famam trahere incipiens postea seditiosissimos quosque et flagitiosissimos viros sibi conjunxit; ita paulatim effectum est, ut non modo ex finitimis montibus, sed etiam ex universa Hetruria, Galliaque Cisalpina et ceteris proximis regionibus facinorosissimi quique vel exules, vel gravioribus inimicitiis fatigati ad eum tanquam ad asylum confugerent. Quare brevi clariore illius nomine facto plerique nobilissimi, et principes etiam viri ad patranda facinora ejus auxilio usi fuerunt. Tantam enim sibi apud notos gratiam conciliaverat, ut ad nutum montanos omnes et reliquos socios, cum opus esset, in armis formidandus haberet. Demum cum paucis stipatus majores hostium copias fudisset, eam sibi in re bellica auctoritatem quaesivit, ut quamcumque vel arduam provinciam facile suscipere, ac sustinere posse putaretur. Ceterum praeclaris quibusdam virtutibus praeditus, in primis tantam praeseferebat humanitatem, ut non in asperis montibus, sed culta principum aula educatus videretur; et qui trucem sicarium eum praedicari audierant, si quando cum ipso

versabantur, tam mitem in agresti homine naturam inveniri posse mirabantur. Liberalitate eximia omnes apud se divertentes splendidissime excipere solitus humilem natalium conditionem insigni magnificentia illustrabat. Manu promptus et iu expediendis negotiis velox, ante rem perfecerat, quam quisque eum coepturum credidisset: natura insita prudentia, et animi maguitudine iusiguis non facile inimicitias recipiebat, receptas literis, aut nunciis, priusquam arma caperet, dissolvere conabatur: quos cum obstinate resistentes vidisset, donec victoria domuisset aut tranquilla pace sedasset, persequi non desistebat. Propinquis, qui sua potentia freti arrogantia insolescentes novos hostes sibi paravissent, saepius succeusuit, cum amicis, non hostibus sibi opus esse sapienter dictitaret. Quos semel in fidem suscepit, nunquam deseruisse iuventus est. In insidiis providendis cautus, ad pugnandum audax, ad evadendum solers fuit. Duos fratres Alexandrum, et Vitalem habuit, quorum prior mitius ingenium nactus inter primarios tabularios celebris, incipiente fratris nomine crescere, in fata concessit. Alter vero nequissimorum hominum diutina consuetudine utens, flagitiisque omnibus imbutus infelici fato Dominico superstes fuit. Fraudibus, furto, rapinis, caedibus, incendiisque deditus nullius facinoris genus edere dubitavit. Quare a fratre qui magnam sibi ex eo invidiam conflari animadverterat, et odio habitus, et acerbius saepenumero est obiurgatus. Dominico Cato a Castaneto Friano (is in Mutinensium montibus tractus est) vico oriundus infensissimus hostis fuit, qui obscuro et ipse loco natus Morotto quidem aliquanto ditior, sed non ea armorum peritia, nec in opprimendis hostibus calliditate praestitit: pascuis, enim pecoribusque et praediis abundans, et mercaturae etiam stu-

diosus cumulandis potius opibus, quam armis operam dedit; bellum tamen cum Morotto non sine magna nominis fama Paclionorum hominum cruentorum auxilio ad exitum usque obstinate sustinuit. Hi apud Rodeliam castellnm, quod in Gabelli fluminis ripa jacet, in colendis agris majornm vitam secuti, diu magna cum tranquillitate se exercuere: sed cum fani sui rectore defuncto ad occupandum templum hinc Moretani, inde Catoniani, aliique finitimi seditiosi accurrissent, orta rixa, forte evenit, ut unus ex Paclionis, nomine Janonus, spiculo scorpionis ab uno ex Maffeis misso transfixus occubuerit. Superstites propinqui ne inultam conjuncti necem relinquerent, in implacabiles contentiones se conjecere. In novam igitur factionem abeuntes, Doninum virnm armorum peritia, et animi magnitudine nemini secundum, qui antea pacis cultor prope invitus ad eas rixas pertractus est, principem habuerunt. Hunc Antonius et Joannes fratres, et Jacobellus patruelis, aliique plurimi cognatione, et amicitia conjuncti, snnt secuti; qni usque adeo cruentis caedibus se immiscuerunt, ut praeter Antonium sacerdotem, et alium quempiam naturali morte extinctum, quot ab hominum memoria ex illis decesserunt, omnes violenta morte sunt sublati. Doninus in ipso fere factionum initio extinctus est, quum Catoni, qui Bentivolis Bononiam occnpaturis auxiliabatur, cum suis opem tulit. Machinatione enim detecta, dnm omnes in fugam conversi dilabuntur, filinm abesse sentit, veritus ne in hostium manus incidisset, paterno amore stimulante, regreditur; ac dnm magna voce natum revocando immoratur, ab ingruentibus hostibus incolumi filio obruitur; ejus natu grandior Philippus filius omnium consensu postea familiae principatum obtinuit.

Sed ut ad Morottum revertamur, is in harum dissensionum initio Bebiis impense favit: cum vero a Bartholomaeo Valestro eorum cliente discedere coepisset, cum ipsis quoque magnam simultatem exercuit. Quare Hieronymus Bebius in primis potentem inimicum, quem cujusdam Carpinetani inditio in aedibus solum pernoctare didicerat, de medio tollendum esse censuit. Itaque undecim sociis sibi adjunctis intempesta nocte in ipsius domicilium irrumpit. Morottus ad strepitum expergefactus, ut hostes, quos adesse senserat, paululum remoraretur, cubiculi ostio firmius munito, ex fenestra ad ferendam sibi opem vicinum vocat. Ferunt eum, ut perterrefactos inimicos verbo in fugam verteret, semel atque iterum auxilium accersendo vicinum inclamasse ut properaret, quod paucos esset inventurus; sed veniente nemine, cum sibi sero subveniri timeret, crepidini fenestrae manibus appensis, sensim se in solum demisit: inde per obscuram vallem fugiens hostium manus evasit. Verum ut erat ingenio acutus, se ab aliquo populari suo proditum fuisse suspicatus quod longinqui homines sine indice vitae suae consuetudinem nosse non possent, sontem deprehendere statuit. Plurium igitur ora contemplatus, si forte crimen vultu praeferrent, cum quemdam conspectum suum refugere, ac magis quam antea reformidare animadvertisset, homine comprehenso, horrenda voce minabundus se ab ipso hosti indicatum fuisse sibi liquido constare dixit. Ille sceleris conscientia perturbatus mutato vultu crimen confessus supplex vitae veniam precatur. Morottus hac conditione homini ignoscere promisit, si iterum proditione simulata eo Hieronymum audaciae suae poenas daturum perduceret. Fide data, proditor convento Hieronymo si rursus Carpinetum revertatur Morottum facile opprimi

posse pollicetur. Is, re cum Paulo fratre communicata, etsi moneretur ne ignoto homini incertaeve spei credulus se committeret, coeptum tamen negotium perficere decrevit. Undecim itaque viris, quos superioribus diebus secum adduxerat, et uno alio sibi adscitis, ad Carpineti forum pervenit; ibi tollendi hostis occasionem expectaturus in domuncula se condidit, ac Morotto indicatur, qui confestim sexaginta facinorosis hominibus collectis inclusos undique circumdedit. Bernardinum vero Pratonerium Hieronymi filium, qui antiqua sibi familiaritate conjunctus erat, intus cum hostibus clausum esse intelligens, alta voce propter veterem amicitiam, si egrediatur, se vitam ei concessurum promittit. Sed ille cum sociis perire, quam sine illis servari maluit. Itaque igne humili tecto injecto per ostium ambusti exeuntes ad unum omnes numero tredecim trucidati fuere (1). Inter eos unus ex Bojonis, et omnes Regienses ex honestis familiis nati fuisse feruntur. Hostibus caesis ad proditorem conversus Morottus, his, inquit, quos ad necem tradidisti te superesse non convenit: en tui sceleris mercedem accipe: ita fatus uno ictu hominem obtruncavit.

At Julius Pontifex, qui nuper Mirandulam expugnaverat, Bononiam profectus, habendo Regio animum adjecit. Contra Galli, qui in praesidio erant, levioribus quibusdam praeliis factis, Mutinam per proditionem recipere tentaverunt; sed magistro militum Carpi defuncto, spe sua frustrati feliciorem alibi successum habuerunt. Siquidem hostibus ad unum trucidatis Pontifici Bononiam eripuerunt, incredibilique celeritate per lutulenta itinera reliquo exercitu eo deducto Bentivolum reduxerunt. In-

(1) Mense januarii MDXI.

venta ibi viginti majora aenea tormenta Montisconius primo Regium, postea ad Gallorum castra transtulit. Sed cum arx in Julii fide permansisset, Hispani cum Pontificiis Bononiae moenia magna vi quatere coeperunt. Allegrio Gallici praesidii praefecto, qui aegre impetum sustinebat, Gasto Foisseius ex sorore Ludovici regis genitus, et Gallici exercitus imperator, Regium veniens mature obsessis opem tulit. Exinde, liberata Bononia, dum Brixiam Venetis ab Aloysio Advocato proditam recepturus revertitur magnum in civium aedibus susceptus urbi incommodum attulit; et nisi Regienses, moenia custodire jussi, Aquitanorum, qui arcis praesidio erant, petulantem insolentiam repressissent, non pauci cum bonis in vitae discrimen venissent. Alphonsus vero submersis triginta Venetorum triremibus insignem victoriam retulit: Lucum praeterea, et Bagnacavallum, non ignobilia in Flaminia castella, cepit. Hector quoque Sacratus Regii praefectus Carporum oppidi, quod pro dimidia parte ab Alberto Pio Alphonsus emerat, possessionem tenuit. Inter hos motus pridie nonas septembris admirandae magnitudinis cometes incredibili celeritate et splendore evolans homines maxime exterruit. Pavorem auxit nocte secutus horrendus ventorum grandinisque fragor, et terrificus fulgurum et tonitruum impetus, qui quod aedes diruturus crederetur, homines veniam a Deo suppliciter petebant. At Foisseius, cruento cum Venetis commisso praelio, in quo duodecim millia virorum desiderata fuisse dicuntur, amissam Brixiam recepit, ac statim ad oppugnandam Ravennam contendit. Alphonsus Bastia, ubi in capite vulnus accepit, expugnata, eam urbem victore exercitu est ingressus. Arci vero, quae arcta obsidione premebatur, Fabricius Columna opem laturus venit. Ibi aspera pugna

edita, cum Alphonso, ut casus tulit, ad singulare certamen descendit. Perfractis hastis, primo ferreis clavis, deinde ensibus geri res coepit. Quatuor continuis horis duces ipsi, utrinque spectante exercitu, die qui Domino reviviscenti sacer erat, strenue dimicarunt; donec succumbens Columna Atestino se dedidit. Milites quoque ipsi acrius concurrendo horridum praelium renovarunt, in quo Alphonsus ipse lapidis ictu vulneratus fuit. In eo conflictu triginta millia virorum occubuisse feruntur. Plures tamen ex Gallis, Alphonso aeneis tormentis omnes feriente, sunt desiderati; inter quos dux copiarum Foisseius occisus Regium est delatus. Galli cadaver secuti quod a Sanseverino urbem ingredi prohiberentur in civium villas immaniter saevierunt. Intus vero Regiensium dissidia, pluribus hinc inde trucidatis, in extremam urbis perniciem quotidie crescebant: demum bonorum virorum studio, intercedentibus pro Bebiis Joanne Petro Nivolariae, et pro Scajolis Joanne Bojardo Scandiani dominis, de pace agi coeptum, quae tandem quinto calendas julii [1] Fratris Antonii Amolii Cremonensis opera in divi Augustini templo, urbem Augustino Villa gubernante, confirmata fuit. Regii humaniores litteras tunc publice Caelius Rhodiginus vir multiplici eruditione insignis profitebatur, qui et ipse scribendo ejus pacis instrumento interfuit.

At Julius Pontifex attritis Gallorum viribus Bononia hac conventione potitus est, ut exeuntes Bentivoli paterna praedia possiderent. Denique Duce Urbini magistro militum creato contra Regium exercitum movit. Sed priusquam bello experiretur civium animos sibi tentandos ratus ad Gabellum flumen milites subsidere jubet; inde

(1) MDXII.

fecialem sub vesperam suo et Caesaris nomine ad petendam urbem misit, tridui spatio ad respondendum dato. Id statim per nuncium, currentibus equis, Alphonso est significatum. Statuta vero die cives Pontificis legato Regium Caesari tantum et Alphonso subesse respondent, injuriam agere Pontificem, qui alterius juris civitatem postulet. Excusatione non admissa Joannem Ludovicum Odoardum Bononiam cum tubicine ad placandum Julium mittunt. Ibi unus de plebe homo, qui ecclesiae nomini acclamaverat, tormentis traditus temerariae vocis poenas dedit. Eodem die Urbini Ducis, qui ad Herberiam castra habebat, litterae afferuntur, quibus commeatum sibi a civibus suppeditari petebat: id cum non impetrasset, postridie ad sanctum Mauritium cum septingentis cataphractis, ac trecentis levioris armaturae equitibus, et quatuor millibus peditum castrametatus plurimas arbores ad ponenda tentoria excidit, et matura etiam frumenta consumpsit: deinde ad sanctum Martinum et Faustinum conversus per Bernardinum Bojardum sexto nonas julias literas Pontificis, quibus Regium iterum efflagitabat, convocatis decurionibus obtulit. Cives tempus, intra quod Alphonso sibi principi scriberent, petunt, ac statim Timotheum Zobolum, Ludovicum Pinottum cognomento Sanctum Laurentium, et Jacobum Mariam Rugerium ad eum Ferrariam destinant. Interea Victor Frustus Mutinae praefectus Regium nomine Caesaris, et Bernardinus Pontificis verbis instanter deposcere non desistebant. Ubi diu in curia est disceptatum nec Alphonsus respondit, ecclesiae nomine acclamato, Regienses Pontifici se dediderunt. Urbis praefectus vitae timens excessit, ac statim ducentorum militum, qui postea cives graviter afflixerunt, praesidium pro Pontifice introducitur. Eodem die Joannes

Matthaeus a S. Severino Nonantulae praesul Regio praefectus sub horam noctis qnartam arcem recepit. Mox interdictum cui civitas snbjecta fuerat revocatnm. Lucae vero Pontremulensi defuncto Ugo Rangonus, vir eruditione insignis, episcopus suffectus tertio nonas julias magna pompa urbem ingressus fuit. Civitate Pontificis potestati permissa, Balthasar Scajolus, Prosper Lancius meus magnus avunculus, et Timotheus Zobolus ad Julium, ut in ejus manibns pro urbe fidem juramento praestarent, Romam legati missi magna benignitate excepti fuere. Gallasius Zobolus, qui tum Romae degebat, qnartus legatus electus luculentam orationem habuit. Abeuntes Pontifex equestri dignitate honestatos torque auri sesquilibram pendente donavit, a quo viginti quinque ducatorum pretiosum monile gentilitiis Roverorum insignibus caelatum pendebat.

Interea Herberia capta, Joannes Matthaeus Regii praefectus ad Parmae praesidium, quae et ipsa se Pontifici dederat, septingentos Regienses sub Joanne Bojardo deduxit. At legatus Caesaris cum trecentis equitibus primo Regium, deinde Corrigium, et Brixillum concessit. Contra Alphonsus Atestinus Flaminiae infestus ad Ravennam interceptis navigiis merces quinquaginta millium aureorum occupavit. Ob eam causam Joannes Matthaeus, Regio Ferrariensibus et Venetis ejectis, edicto cives perduellionis poena Alphonsi, aut Venetorum stipendio merere prohibuit. Tanta vero tum barbarorum, et Italorum multitudo Regium confluebat, ut ob sordentium colluviem in quibusdam villis pestis suborta sit, quae mox intra paucos dies extincta fuit. Cum plures quoque equitum alae in hyberna Regiensium deducendae essent, Sigismundus Malegutius legatus Parmam missus

hoc incommodo patriam liberavit. Interim Julio jam septuagenario Romae mortuo, excubiae pro moenibus positae, et aliis civibus post horam noctis secundam domo exire prohibitis, singuli tantum ex unaquaque familia forum custodire jussi. Alphonsi enim Atestini, qui de recipienda urbe sollicitns erat, sexaginta levioris armaturae equites, captis rusticis, pecora ad Sanctum Mauritium abduxerant. Rursus cum per caduceatorem Regium repetenti responsum esset, in Ecclesiae potestate esse civitatem cum proximis locis, divi Stephani suburbia cum proximis villis crudeliter direpta fuere: quod ubi per exploratores Regiensibus nunciatum fuit, trecenti cives pedites cum quinquaginta equitibus repente porta Castelli ernperunt, rusticorumque auxilio praedones usque ad Valverdum fugarunt, et amplas Scajolorum aedes, in quas ad nostrorum impetum sustinendum se receperant, magna vi expugnaverunt. Sex tantum caesi, alii noctis oppurtunitate delapsi, et triginta capti Reginm deducti fuere. His cognitis Alphonsus, qui ad sanctum Martinum castra habebat, ad oppugnandum Regium cum majoribus tormentis venit; sed, Mutio Columna in Ferrarienses irruente, retrocedere coactus est. Ob hostium terrorem armati cives populari tumultu salinarum et tributorum libros aliasque damnornm datorum chartas incenderunt, unde agros solvendo censui addictos immunes fecerunt. Contra mille Hispanorum equites cum tribus millibus peditum, plus duobus mensibus inter Regiensium pagos grassati, pluribus aedibus incensis, omne libidinis genus exercuerunt. Hoc tumnltu cognito Joannes Matthaeus, Placentia et Parma Proregi Hispaniae Maximilianoque Sfortiae commissis, cum ducentis peditibus, et quinquaginta cataphractis Regium revertitur. Tandem Leone X

Laurentii filio et Cosmi nepote, qni antea Joannes Medices vocabatnr, Pontifice declarato, Petrus Cruceus, qui Regiensinm impensis per tres dies ducentos equites, et quingentos pedites alnerat, discessit. Cives Simonem Bombacium et Robertum Messorium, de Hispanorum injuriis apnd Pontificem conquesturos, miserunt. Tanta eorum erat licentia ut turpibns rapinis non contenti, etiam gravem in urbe cum civibus turbam excitaverint. Uno eorum ob impotentem avaritiam caeso, et tribus vulneratis, tandem civitate ejecti primo tres insontes Regienses trucidarunt, postridie intra moenia vi irrumpere conati a popnlo repulsi fuere. Leo eos nostris finibus excedere jussit, sed cum suo dicto non parerent, Prosper Lanceus ad Proregem Hispaniae ad eos removendos Parmam profectus, nihil impetravit. Alii, qui in urbis praesidio erant, Hispani animo elati dira civibus minari, rapinas audacius exercere, et rixas ubique insolentius miscere, donec iterum populo ad arma concitato perterriti, dum turba sedaretur, in episcopi palatium se receperunt. Tandem omnes revocati, solo castrorum praefecto Regii manente, urbem ingentibus incommodis liberarunt. Post haec Joannes Matthaeus quod avarius se gessisse visus esset populo parum gratns Ruffinum successorem accepit; discedens bene acti magistratus testimonium a decurionibus petitum obtinere non potuit. Joannes Baptista Fanensis, qui ei a secretis erat, qnod sordide et ipse officium exercuisse diceretur, a Hieronymo Ancino in lecto caesus quingentis aureis spoliatus fuit.

Inter hos motns armis populus assuetus facile tnrbas suscitabat, et cnm forte evenisset hominem obscuro loco natum ab apparitoribus ob levem causam capi, universa plebs, correptis armis ut eum liberaret, ingentem tumul-

tum excitavit, in quo Joannes Zobolus, in brachio est vulneratns. Diu certatum est, tandem reo liberato, Ruffinus seditionem timens primum in palatio se clausit, mox in arcem, ut tutior esset, se recepit. Ei paulo post suffectus Joannes Gozadinus Bononiensis Regii, Parmae et Placentiae amplam cum imperio praefecturam obtinuit, qui virtutibns vitiisque pariter imbutus, an inter bonos malosve sit numerandus dubitatur. Forma corporis eximia, et pulcro ore dignitatem cum hilaritate mirifice conjunxerat; consilio et prudentia praestans mira etiam eloquentia audientes detinebat. Juris utriusque peritia, liberaliumque artium eruditione insignis, litteratorum, doctorumque omnium fautor et cultor habebatur. Vestibus, pretiosa supellectili, comitatuque splendidus, liberalis, comis, affabilis singularem quamdam cum incredibili humanitate gravitatem praeseferebat. In cognoscendo adversus malos non excandescere, non precibus calamitosorum illacrymari; sed constantis et recti judicis vultnm ostendebat. Qnare tantam sibi in aula Pontificia auctoritatem comparaverat, ut primo protonotarius creatus, mox inter magistratus, quos clericos a camera vocant, electus, denique ad tres urbes regendas magna cum auctoritate missus fuerit. Ceterum amoribus mirum in modum deditns, lasciviis muliebribns praeter omnem dignitatem studuit. Æstate ludicris decnrsionibus feminas distinere, hyeme convivia freqnentare, in obscoenis jocis turpibusve colloquiis inter famosas matronas sedendo noctes consumere. Hac libidine perditus non tantum ipse mulieres amare, sed etiam ab ipsis mutuo amari, atque adeo spectari pro summa laude ducebat. Nocte levi parma, gladioque armatns per urbem ad amicas discurrere, et juvenum more cum citharaedis ad earum fores matutinas cantiones per-

sonare, licentiosius lascivire, ac indecore procari solebat. Supra modum quoque ambitiosus praecinentibus tubis, et universa comitante civitate, plebeque acclamante, cum gaudio urbe exire revertique consueverat. Factionum denique amans exitiosas Regii seditiones fovisse existimatus est. Hi mores etsi stultam plebem oblectabant, graviores tamen viros non parum offendebant. Inter ceteros Raphael Venetus, ex ea Francisci familia quae Observans vocatur, egregius concionator et eloquentia insignis, dum in christiana pietate populum confirmat, id vitae genus, velut Gozadinum perstringens, saepius est detestatus: qua de re a Luca Fontanello Jacobi filio equestris ordinis viro, tamquam ipse notatus esset, coram praefecto acerbe compellatus hujusmodi sermones dimittere jussus fuit. Cum primum vero Regium Gozadinus ingressus est, qui fuit dies tertio idus julii, a Scajolis honorifice exceptus se eorum fautorem palam ostendit; quo factum est ut civiles discordiae, quae quiescere videbantur, ipso urbem regente, vehementer sint suscitatae.

Evenerat forte his diebus, ut sagittarii illi, qui auctore Jacobo Bebio in prima rixa sanguinem effuderant, facti transfugae Bebiorum castellum, villasque omnes incendio devastarent: quod illi Scajolorum consilio factum esse suspicati, ab amicoque Gozadino facinus dissimulante impunitum relinqui, armis adversarios ulcisci decreverunt. Joannes itaque Baptista, unus ex Antonii Bebii superstitibus filiis, Sigismundo a Sancto Laurentio, Galleacio a Castellis, Boninis, aliisque non paucis sibi adjunctis clientibus, in medio foro per anteriorem vestis laciniam apprehensum Balthasarem Scajolum pugione pectus saepius transverberat: ille ex percussoris manibus velociter elapsus, primum in tabernam vinariam paulum infra forum

se abdidit, sed ab insequentibus hostibus oppressus, et inde extractus cum Marco Martello trucidatur. Vespasianus quoque Calcaneus Africani pater lethali vulnere accepto domum se proripiens non multo post occubuit. Gozadinus qui tunc Parmae forte versabatur, nuncio caedis accepto, Regium reversus Antonii Bebii homicidae parentis bona publicat, ac plebi ejus aedes diripiendas tradit: deinde, proscripto Joanne Baptista, qui jamdudum urbe effugerat, Aguignam in montibus castellum à Nicolao Calcaneo, et Roberto Messorio capitalibus Bebiorum hostibus solo aequari jubet. Illi publicorum militum praesidio muniti et fabris undique conquisitis, advocatoque ex montibus cum sociis Morotto, haud cunctanter imperata fecerunt. Joannes vero Baptista Bebius Ferrariam ad Alphonsum mature profectus, novandis rebus animum adjecit, et cum Alphonso Trotto de restituenda Alphonso Duci patria consilium capit. Ex omnibus urbibus et oppidis quoscumque potuit amicos celeriter evocat, universosque ad Campum Sanctum Mutinensium pagum convenire jubet; ipse intempesta nocte, quiescentibus civibus, clam urbem ingredi, et caeso Gozadino patriam Atestinis tradere constituerat. Jamque socios ferme trecentos, Juvenalis Busanae opera praecipue usus, coegerat, ac scalas et arma ceteraque ad invadendam urbem necessaria paraverat, cum sua detecta consilia, Regii copias conscribi, milites vigiliasque in moenibus disponi, a Joanne Petro Gonzago per literas accipit. Itaque tantam rem ad exitum perduci posse diffisus, etsi Bonamico et Savinis Mirandulensibus, Galvanisque a Concordia, quos ipse antea hostes conciliaverat, ad coepta perficienda hortantibus, infectum negotium dimisit. Cum prope Mutinam in Furniorum Mutinensium pago copiae convenissent, Rangoni-

bus primum, et Tassonibus eorum inimicis prodita est conspiratio. Eosdem motus etiam Gurges a Caesare Mirandulae praefectus senserat, sed Massini Furnii verbis, qui alam equitum Alphonsi ducebat, omnem suspicionem deposuerat. Joannes Baptista, ubi res minime secundae successerunt, dum Nuvolariam ad Joannem Petrum Gonzagam contendit, in Solerii hospitio fere hostibus traditus est: inde Carpos fugam arripiens, nisi se etiam celeriter subtraxisset, a Boccalino, qui oppido cum copiis praefectus erat, Alberti Pii jussu captus fuisset. Ceteri ejus socii in vincula conjecti, solus Antonius Maria Fontanellus, qui Piis sanguine conjunctus erat, humaniter est tractatus. Sed non multo post auxilio mulierculae, quae unum captivorum deperibat, apertis carceribus omnes feliciter evaserunt, ac Nuvolariam, quo se antea Joannes Baptista cum Antonio Maria Fontanello receperat, cum amante femina incolumes pervenerunt. Mulieri pro praestitae operae praemio, pactis nuptiis, postea fides est servata. Media vero hyeme glacie et nive rigentibus terris, iidem Nicolaum Calcaneum et Robertum Messorium, qui Aguignam everterant, occisuri Regium veniunt; sed cum sine periculo diu in urbe esse non possent, nulla re tentata recesserunt. Eo die Gozadinus forte Parma revertebatur, qui ubi proscriptos in urbe versari intellexit, ultra progredi non ausus, donec eos excessisse audivit, in medio itinere subsistit. Postea cum Joanne Petro Gonzaga per legatum conquestus est, quod Ecclesiae hostes, et perduellionis damnatos, qui urbem imperii et patriam prodere voluissent, contra clientelae, et aequitatis jura recipiat. Deinde auctoritate rescripti Pontificii, quod acceperat, anathematis poena imperat, ut eos sibi tradat, aut a sua saltem ditione ejiciat. Gonzagus se Caesaris, non

Pontificis clientem esse respondet; cuique liberum esse amicos tueri, nec Joannem Baptistam Bebium, qui sibi contra Achillem Taurellum Guastallae regulum auxilio fuisset, citra magnam ingrati animi notam ab hospitio posse repelli: si quid contra Ecclesiam machinatus esset, id nec suo consilio, nec ope factum fuisse. Tum legato eo die secum retento, de conciliandis Gozadino Bebiis, ipsisque in patriam reducendis tractare coepit. Duo Bebii fratres cum aliis quatuor sociis in ea arce degebant, reliqui numero triginta proscripti per privatas aedes divisi proprio aere alebantur. Joannes itaque Baptista cum legato loquendi occasionem nactus, praefatus est, pacem a se vehementer amari, Gozadinum observari, et publicam tranquillitatem coli; mox si alium, inquit, finem nostrae dissensiones non inveniunt, ego, ut civium sanguini parcatur, singulari certamine cum Vincentio Scajola omnem dirimere controversiam sum paratus; ita fiet ut unius aut duorum morte, civilibus discordiis sublatis, publicae utilitati consulatur. Legatus Regium reversus Gozadino suadet, ut Bebios cum sua factione timendos sibi aliqua conditione conciliet. Raphael itaque facundus concionator ad exules missus exoptatam pacem retulit, quae tandem calendis maii in aede Sancti Spiritus extra portam Castelli die quo Ascensus Divini sacrum solemne fuit, ipso praesente Gozadino, hinc Joanne Petro Nivolariensi, inde Joanne Bojardo sponsoribus acceptis, est confirmata. Veteres omnes offensae remissae, proscripti restituti et in amicorum, numero a Gozadino habiti fuere. Pacis instrumentum Petrus Vitrianus, Thomas Cambius, et Joannes Baptista Bojardorum scriba conscripserunt.

Interea Julianus cognomento Magnificus Leonis frater, Philiberta Caroli Ducis Allobrogum sorore in matrimo-

nium accepta, cum splendidissimo equitatu Roma discedens, Pisis navem conscendit. Inde Genuam navigans ab Octaviano Fregosio urbis Duce, quicum magna erat amicitia conjunctus, honorifice suscipitur: mox in Allobroges profectus, nuptiis celebratis, sacri senatus consensu a Pontifice Placentiae, Parmae, Regii et Mutinae perpetuus Praeses est declaratus. Gozadinus vero donec ille urbes recturus veniret, imperium retinere jussus. Ferebatur hunc magistratum Juliano concessum, ut paulatim absolutum earum civitatum dominatum obtineret. Quare persuasi a Gozadino harum urbium populi ei cum uxore Romam revertenti ad oram ligusticam, ubi est Spedia, obviam legatos de nova praefectura gratulaturos miserunt. Nicolaus Pactius, Raphael Lanceus jurisconsulti, et Nicolaus Fossa a Regiensibus ad hanc provinciam electi, Lucam Fontanellum equitem, Vincentium Scajolam, Anselmum Zobolum, Nicolaum Calcaneum, et Alexandrum Fossam privatos comites habuere; qui cum diu Spediae Julianum expectavissent, tandem ab eo singulari humanitate excepti, ingenti laetitia domum redierunt. Juliano recta Florentiam, mox Romam ad Pontificem profecto, Latinus Romanus, qui ipsius a secretis erat, cum Cardinali Bibiena nostros legatos subsecutus codicillos Pontificios attulit, quibus Julianus quatuor urbium rector electus esse significabatur. Curia itaque convocata, ea quadragesimae hebdomada quae Lazari vocatur, omnium consensu accepta, et comprobata est praefectura.

Eo tempore Maximilianus Caesar, pecunia, quam profundere consueverat, exhaustus, tributum clientibus imperavit. Videfrustius Germanus Mutinae rector aliique Veronae praesides plures Caesaris beneficiarios eo nomine interpellarunt, ac trecentos aureos etiam Joanni Petro

Gonzago indixerunt. Ut aurum vero facilius colligeretur, Caesaris litteris clientibus concedebatur, ut ex omnium subjectorum agris pecunia conquiri posset, et eorum qui negligentius solvissent praediorum fructus cum jumentis distrahi jubebantur. Gonzagus itaque in eos Regienses conversus, qui Nivolariae et Bagnoli fundos possidebant, ternos in singula jugera obolos imperavit. Ac Videfrustius rem Caesaris agens non pauca civium, qui stipem solvere renuebant, jumenta distracturus abegit. Cum vero per duram exactionem a plerisque etiam plus duplo extorqueretur, Regienses de iniquo onere apud Pontificem conquesti obtinuerunt ut controversiam Gozadinus finiret. Quare ad eum citatus Joannes Petrus ut exactam pecuniam restitueret, se Caesaris litteris tuebatur. Contra cives Pontifici subjectos ab Imperatore onerari non posse contendebant. Pro Regiensibus tandem ex scripto lata sententia, ad Pontificem est provocatum; ac sub dies festos nostri Servatoris Resurgentis utraque pars Romam contendit, ubi Leonellus Fontana strenue causam civium defendit. Demum Julianum, quo tempore praefecturae administrationem susciperet, litem dirimere placuit. Haec controversia magnum dissidium excitavit, cum non Bebii tantum, sed etiam proscripti, qui Nivolariae recipi consueverant, Gonzagis faverent; alii vero aequiores patriae jura conservare nitebantur: sed paulo post Mutina quadraginta millibus aureorum de Maximiliano Caesare, ut moriens Julius praeceperat, empta, vel, ut alii malunt, pignori accepta, Leo omnes eas altercationes sustulit; Videfrustiusque ejus urbis praefectus, qui avarius se gerere dicebatur, per Rangonos vi expulsus est.

Interea Pentecostes solemnibus transactis, nunciatum est, Franciscum Angulemi Ducem, qui in Galliarum

regno, Ludovico socero nuper defuncto, successerat, bellum contra Maximilianum Ludovici filium Mediolanensium Ducem moliri. Jamque rebus cum Anglo compositis, et foedere cum Venetis, quibus Cremonam promiserat, percusso, Jacobum Triultium, aliosque proscriptos Mediolanenses ad commovendos populos praemiserat. Veneti se ab Hispanis adversus conventa Brixia impudenter exolusos indignati, ad Gallum transierant. Contra Maximilianus Sfortia foedere cum Pontifice, Caesare, Ferdinando Hispaniarum Rege, Helvetiis, et Duce Burgundiae juncto, Gallorum impetum facile sustentaturns esse credebatur. Matthaeus quoque Sedunensis Cardinalis inter Helvetios princeps Mediolanum profectus omne Duci auxilium pollicebatur, Helvetiosque, modo unum ex foederatis copiarum imperatorem acciperent, in Pedemontanis ingenti exercitu Gallis obviam ituros promittebat. Eis datus Prosper Columna Hispanarum copiarum contra Venetos pro Rege Ferdinando praefectus magnum equitatus numerum Nivolariam perduxit. Mox viginti quatuor millibus Helvetiorum acceptis, in Allobroges ad Carmagnolam contra Gallos exercitum duxit. Julianus praeterea Medices Pôntificiarum copiarum ductor Florentinos compulit, ut alium contra Gallos exercitum conscriberent, quem ipse difficili morbo implicitus, sub Laurentio defuncti Petri fratris filio cum mille cataphractis, et aliis levioris armaturae equitibus, ingentique peditum numero in Insubriam misit. Ii dum Regio transeunt, in ea disciplina se continuerunt, ut cibo potuque contenti neminem injuria affecerint. Viginti dierum spatio totus exercitus, vexillis separatim praelatis, usque ad XIII calendas septembris iter continuavit. Demum Laurentius ipse militum magister Mutina discedens, apud Lucam Fontanellum

equitem Regii divertit. Postridie Parmam profectus, mox Placentiam ad Trebiam flumen Hispanicis copiis, quas Raimundus Cardonius ducebat, se conjunxit. Helvetii interim vi turbinis et grandinis praelium conserere prohibiti, duce Prospero Columna per proditionem a Gallis capto, Vercellas retrocesserunt. Qnare Gallus in primis Novaria, et Ticino occupatis, deinde praelio victor, in quo octo millia Mediolanensium et duodecim millia Helvetiorum caesa fnere, Mediolanum cum arce obtinnit. Hac clade accepta, Raimundus Cardonius cum Hispanis in agrum Regiensem, qui Turris Episcopi vocatur, nostris abunde commeatum suppeditantibus, se recepit. Postridie, qui dies dominicus fuit, Herberiam transgressus ad Gabelli fluminis ripam castra posuit, ubi per sex dies proximas villas diripuit. Demum Mutinam profectus, postea in Campaniam, ut Ursinos Columnarnm auxilio vexaret, se contulit. Illis abeuntibus Laurentius Medices cum Pontificio et Florentino exercitu Regium pervenit. Cum intra moenia omnes commode recipi non possent, plurimi per villas divisi et quindecim dierum spatio civium pecunia sustentati, magna cum licentia incredibile detrimentum urbi attulerunt. Violenti, et vinolenti pro fortibus laudabantur; si qui modestius se gerebant, velut timidi et degeneres irridebantur. Crebris tandem Regiensium querelis exoratus Laurentius, solis Florentinorum copiis per alios decem dies retentis, Pontificium exercitum alio trastulit. Ipse per alios dies cnm praetorianis commoratus pacem initam inter Pontificem et Gallum, cui Parma et Placentia restituendae erant, cum tubieinibus, timpanisque et ad ingentem ostendendam laetitiam ignibus accensis, post solis occasum in foro publicavit. Postridie cum splendidissimo comitatu, in quo plurimi Regienses fuerunt, Mediolanum

Francisco Regi gratulaturus accessit. Marius Ursinus ejus avunculus cataphractorum praefectus, Rentius a Cerro, et Ursinus Magnanius, Troylus Sabellus, Antonius a Sancta Cruce castrorum, vel, ut hodie vocant, campi magister, omnes insignes duces Regii relicti; sed et ipsi post quatuor dies, cum ceteris copiis recedere coacti fuere. Contra Rentii enim milites, qui in taberna ob petasum petulantius rixabantur, irata plebs arma corripuit, sed tribunorum interventu, sedato tumultu, postridie universi discesserunt. Tanta ob eorum petulantiam civium indignatio fuit, ut Mutium Columnam, qui cum centum cataphractis Regii habitationem petebat, recipere noluerint, et cum per villas minore cum incommodo equites divisi essent, Mutius ipse in urbe hospitium invenire non potuit. Quare in curia opulentiorum nomina, qui eum reciperent, in urnam conjicere oportuit; Vincentiusque Scajola sorte extractus eum hospitem habuit. Ceterum cum nimis diuturna hybernantium mora videretur, Prosper Lancius, *Alberti parentis mei avunculus*, qui a Leone eques creatus fuerat, Romam ad Pontificem missus eo incommodo urbem sublevandam curavit.

Eo tempore Divi Prosperi intra urbem templum, quod ruinam fecerat, magno studio restituebatur. Respublica centum aureos, quos ob militum discessum in illud aedificium voverat, postea voti compos facta liberaliter persolvit. Laurentius vero Medices per viginti dies cum Rege Francisco commoratus, solo Zucco tabulario comitante, equis subinde mutatis, nono calendas decembris ad Regii suburbia sub tertiam horam noctis pervenit: ibi in caupona paucis horis ad ignem, ut erat vestitus, quievit, et Bononiam veredo vectus est. At Franciscus Rex, Placentia et Parma receptis, ad Pontificem, quem contra

Ferdinandum secum in societatem trahere cogitabat, Bononiam iturus, die, quo Ambrosii memoria colitur, Parmam pervenit. Pridie Laurentius Medices, et Rentius a Cerro ei obviam ituri, Regium venerant, quos duo Cardinales, Fliscus Flaminiae Legatns gibbosus, et jam senio confectus, et Medices alter Bononiae Legatus sunt subsecuti. Quo die Pontifex Bononiam ingressus est circa meridiem, Franciscus Parma movit, cui Cardinales cum nobili Regiensium comitatu ad Niceam flumen occurrere. Summo mane praecedentibus impedimentis praetoriani equites circiter duodecim millia splendido ornatu ingressi toto die non injucundum spectaculum plebi praebuerunt. Tandem sub vesperam, principibus viris variarumque gentinm legatis, et Joanne Gozadino urbis praefecto praeeuntibus, inter Cardinales medius Rex Franciscus advenit, quem quadringenti hastati, deinde Loysius Barsius cum centum cataphractis est secutus. Primo ingressu religiosos sibi ad Divi Stephani portam obviam profectos dimisit, inde per viam basilicam generoso, sublimique eqno vectus in Timothei Zoboli equitis aedes regio cultu paratas se contulit. Coenatus cum familiaribus ludendo aliquamdiu se exercnit, doneo ut quiesceret in secretum cubicnlnm se recepit. Pro ostio centum cum praealtis, securibus, idest alabardis, milites excubnere. Mane, qui dies dominicus fuit, in proximo Divi Nicolai templo sub peripetasmate a tribus lateribus circumducto cum Andrea Gritto et armigero sacris interfuit; ubi ante majorem aram stetit ter poplitem flexit. Sacerdoti submissa voce recitanti duo episcopi ministrarunt, cum alibi phonasci musico cantu concinerent. Sacris peractis, azymoque pane regio more ex sacerdotis manu accepto, dum egreditur, Tobia Anselmi Zoboli uxor ad Regis pedes prostrata

rogavit, ut sibi agros a Cardinali Ferrariensi in Brixillensi occupatos restitui cnraret. Petitis benigne Franciscus annuit, sed velle se Bononia reversum nobilium matronarnm convivio excipi. Templo egressus ut omnium celeberrimam, quae tunc temporis inter Mediolanum, et Caesenam reperiebantnr, munitionem inspiceret, Herberiam contendit; ibi pransns, vespere Mutinam et inde Bononiam ad Leonem profectns est. Sub iisdem tectis cum Pontifice per tridnum commoratus, eum ab Aragoniis abstrahere frustra tentavit. De restituendis vero Alphonso Dnci Mntina et Regio, solutis quadraginta millibus aureorum, et impensis in eas factis, certa spes data fuit; sed Leone promissa exequi procrastinante, nihil actum fuit. Tandem Franciscus dono accepta pretiosa cruce, quae sexdecim millibns aureorum aestimata est, sexto calendas decembris, qui dies dominicns fuit, comitante Laurentio Medice, circa horam vigesimam primam Reginm ad idem hospitium rediit. Vespere ad petitum a Rege convivinm Tobia nobiliores urbis matronas invitavit; ad quas Franciscus maturius coenatus in Anselmi domum transiens, quinquies choreas duxit. Italico idiomati non plane assuetus quandoque per interpretem cum matronis colloqui coactus est. Tantnm vero illis honorem exibuit, ut quibns praeter regiae majestatis decus genua flectebat, eas sibi assurgere passus non fuerit. Discedens aperto capite omnes salutavit, a Tobiaque interpellatus ut promissa praestaret, se Mediolani vota ejus impleturum benigne respondit. Leonellns a Vaccis, qui negotium sedulo cnraret, postridie sacris in Divi Nicolai templo peractis Mediolanum regem est subsecutus, qui a Regina conjnge, et matre vocatus sub initium anni MDXVI in Gallias est reversus.

Ceterum Regii ad intestina odia cives reverterunt. Robertus enim Messorius implacabilis odii vir, Hieronymo Ruggerio obtruncato, exul Herberiam ad Joannem Bojardum se contulit. Ibi in caupona Michaelem Casottum Bononia venientem, procul conspicatus, equo deturbatum cum sociis jugulavit. Ob id facinus a Joanne Bojardo ejectus ad Sanctum Martinum, ab Angela Herculis Atestini uxore in fidem receptus, concessit. Civibus in urbe ob recentem Hieronymi caedem tumultuantibus, Joannes quoque Gozadinus dum Parma Regium venit, a Nicolao Calcaneo exulante armis petitus vix evasit. In eo vitae discrimine cum parum se tutum crederet, justitiae severitate remissa, omnium animos placare studuit. Pridie igitur calendas majas Joannem Baptistam Bebium, et Robertum Messorium patriae restitutos, in aede Sancti Spiritus extra montanam portam inter se conciliavit. Sigismundus quoque Pinotus a Sancto Laurentio, Galleacius a Castellis, et Bonini omnes ob Balthasaris Scajolae, Marci Martelli, et Vespasiani Calcanei caedem proscripti, domum sunt revocati. Hujus pacis iterum auctor fuit Raphael Venetus, qui ex Divi Francisci familia primum ad profanam vitam transierat, sed quodam propinquo forte occiso rursus ad religionem reversus, sacris litteris se tradidit, tantumque eloquentia, et oris venustate potuit, ut omnium sibi animos conciliaret. Intestinis discordiis sedatis, Regienses ab externis tumultibus magnam cladem acceperunt. Milites enim, qui sub Camillo Gambara Brixiano a Catharina Gonzaga in Nivolariae praesidio retinebantur, plurium praediis direptis, gravibus incommodis civitatem afficiebant; nec his contenti, etiam in via publica, velut latrones, obvios spoliabant, et resistere ausos trucidabant. His accesserunt vicinorum per-

turbationes, quae urbem non mediocriter sollicitam reddebant. Obsidebat tunc Maximilianus Caesar Mediolanum, urbesque Gallo subactae titubare coeperunt: quare Franciscus Taurellus Parmae pro rege Gallorum rector de civium fide dubitans, clausis omnibus portis praeter eas quae in viam regiam exeunt, cohortem peditum sub Paulo Bebio a Regiensibus ad ejus urbis tutelam obtinuit. His alios ducentum pedites Scandiano missos Joannes Bojardus addidit. Nec tam Caesaris copiae timebantur, quam Scipio Rosa eques, qui ob perpetratum homicidium exul armata manu Corrigiorum, et Pallavicinorum auxilio urbem ingredi tentabat. Demum cum Mediolanum Caesar deseruisset, auxilia domum remissa fuere. Mutinae quoque Guido Rangonus, quod Gerardum agnatum contrariam factionem tuentem timeret, Regio Vincentium Scajolam, et Nicolaum Sessium Caroli filium sororis virum cum quadraginta equitibus, et quinquaginta peditibus accersivit. Sed Gerardo Carpi quiescente, omnes nulla re patrata domum rediere.

Dum haec aguntur, plurimi, qui superbum Gallorum imperium oderant, Mediolano, Cremona, et Laude Pompeja profugi Regium sedem transtulerunt. Ex Carpensibus quoque, et Mirandulensibus, quibus a Gallo bellum indictum fuerat, non pauci, ut se et bona conservarent, eodem concesserunt. Prosper item Columna decem et octo millium aureorum summa redemptus cum comitibus quinquaginta in aedibus Timothei Zoboli diu habitavit, donec metu Gallorum discedere coactus est; qui Niceam flumen in Regienses transituri esse credebantur. Sed Bibienae Cardinalis opera retrocessere (1). Ab alia parte tradita

(1) Nono cal. junias MDXVI.

Venetis Brixia, Galli Mantua in Corrigios, et Carpenses incursionem fecerunt. Verum Pontificis rescripto, omnibus praeda, praeterquam Leonello Carpensi, restituta fuit. At Regii Joannes Gozadinus populum spectaculis oblectaturus splendidissimo convivio nobilissimos quosque excepit, ac vigintiquinque ulnarum coae telae damasceno opere laboratae praemio proposito ludicra certamina decurrentibus equis per tres dies celebravit. Mox ad pia opera conversus, duobus sacellis ad Pontem Livonium, nunc est Misericordiae templum, aedificatis, eam viam, quae usque ad Divi Raphaelis aedem ducit, suo aere totam lapidibus constravit. Quibus actis, quarto nonas octobris Nicolao Pactio, et Petro Affarusio velut urbis legatis secum ductis, publica negotia adversus Gallos cum Pontifice tractaturus, Romam contendit. Camillus frater, quem Regii suo loco reliquerat, incredibili severitate cives in officio continuit. Magno luxu eo tempore corrupta civitate, nullus in conviviis epularum modus, nullus ambitiosarum feminarum libidinis, quae nova quotidie vestium genera, formamque inveniebant, finis futurus videbatur. Nec ad vivos tantum, sed etiam ad mortuos haec pompa traducebatur. Ad funera enim omnium coenobiorum religiosi, sacerdotumque ordines convocabantur; et qui nummum sibi a defuncti haerede datum in templo offerrent, honestiores quique cives invitabantur: praeter stipem, funaliaque religiosis data, plurimi etiam panes ad ostentationem potius quam ob pietatem inter eos dividebantur. Ut tot igitur suptuum coerceretur effusio, coacta curia, octo viris Julio Zobolo, Ludovico Pinoto a Sancto Laurentio jurisconsultis, Jacobo Mariae Rugerio, Petro Antonio, et Alexandro Maleguciis, Bernardo Manenti, Joanni Ludovico Affarusio, et Nicolao Ancino rigidis civi-

bus, ut ad saniorem vitae frugem civitatem revocarent, negotium est demandatum. Hi modestiorem in primis vestium cultum mulieribus, virisque praestituerunt; ac tria tantum carnium genera, duo assa, et unum elixum, solam scriblitam conviviis adhiberi posse decreverunt. Ad funera vero cum tribus aliis solum viciniae sacerdotem, et ex uno coenobio religiosos, soliusque scholae sodales tantum acciri, praeter vicinos et tertii gradus cognatos neminem invitari, nihil offerri, nullos amplius religiosis panes exhiberi statuerunt. Decreto promulgato, omnes sacri ordinis viri statim reclamare, impiam legem, et charitati contrariam dicere, ecclesiaeque libertatem tolli. Hujus abolendi abusus praetextu Ugo Rangonus episcopus pridie idus novembris universae dioeceseos sacerdotum synodus convocavit [1]; in cujus aulam ex omnibus pagis et urbis templis circiter quingenti convenere. Mane a Bagnono Cartegnio de religiosis et praesulis laudibus primum oratio habita, sacroque solemniter peracto, per biduum de corrigendis depravatis sacerdotum moribus in primis tractatum fuit. Deinde lectis quibusdam constitutionibus pecuniae subsidium, quod charitatis vocant, a coetu Antistes implorat, ut Pontificiae suae dignitatis diplomata, nondum sibi Roma reddita, redimeret. Id etsi jure permissum videatur [2], universi tamen inusitatam petitionem hanc esse respondent: id Bonfranciscum Arlottum, et Joannem Lucam Pontremulensem, qui eum locum proxime tenuerant, nunquam desideravisse; nova nunc tributa sacris viris non esse imperanda; satis se

(1) Quod facere pot. c. ult. XVIII dist.

(2) Cum Ap. §. 1. ubi Inn. de cens. Inn. in c. 1. de sta. mon. Bal. in l. si quis ad declinandam §. in omnibus post. n. III, c. de episc. et cler.

decimis, aliisque exactionibus oneratos esse. Postremo cum de abrogando civium decreto contra ecclesiae dignitatem late agitaretur, praesul de hoc se cum decurionibus benignius acturum promisit; nec dubitare se, quin iniqua quam primum tollenda esset constitutio; quae, ut sumptibus parceretur, velut frugalis diu observata fuit. Ita dimissis sacri ordinis viris, neutra pars quod optabat obtinere potuit. Quo vero tempore adventus Domini memoria celebratur, Bernardinus Saxo Mediolanensis, ex eorum ordine quos Observantes Minoritas appellant, magna hominum frequentia concionatus, his qui ad aedificandum Romae divi Petri templum stipem contulissent, plenam peccatorum veniam ex summi Pontificis auctoritate publicavit. Magna ad illud opus construendum certatim a populo oblata pecunia, postea in erigendum in urbe nostra Misericordiae templum, permittente Leone, conversa fuit. Ibi domum quamdam octo mulieres, quas tertii ordinis Pinzocheras vulgus nominat, pro coenobio possidebant; quem locum ad perficiendum opus eligi placuit. Convocatis decurionibus Minoritae cives rogant, ut virginibus, quae sub Divi Francisci familia Christo dicandae erant, in urbe parthenonem fieri patiantur; gratam rem Deo, civitati utilem futuram praedicant; publicaque auctoritate feminas, quae minore disciplina religionis vivebant, locum cedere compellant. Re a civibus comprobata, centum aurei ex publico quatuor mulieribus, quae aedes reliquerunt, sunt donati. Aliae habitu suscepto Divi Francisci religionem ibi professae fuerunt. Nobiles deinde matronae electae, quae ostiatim stipem quaererent, magnam pecuniae summam collegerunt, qua Misericordiae templum dicatum eo anno ad Pontem Livonium aedificari coepit. Ea hyeme inusitato gelu horrentibus

campis, et glacie fluminibus constrictis, ne nives, quae immodicae ceciderant, segetes corrumperent, maxime timebatur. Sacerdotes ob neglectam religionem id calamitatis a Deo missum divulgabant; irent nunc Regienses, et adversus ecclesiae libertatem statuta conderent, his oblationes fieri prohiberent, honorem defunctis exhiberi non paterentur; graviora, nisi suae impietatis eos poeniteat, prope diem esse expectanda. His vociferationibus perculsi, qui religiosius vivebant, et eam neglectorum sacrorum poenam esse arbitrati, de humandis cadaveribus latum decretum revocandum esse censent. Itaque Bernardinum concionatorem adeunt, et a diris quas incurrisse dicebantur se absolvi humiliter postulant. Is die quo Epiphaniae (1) solemnia peraguntur in publica concione ea conditione omnes absolvit, ut suo quisque arbitrio defunctis posset parentare.

Sub id tempus defuncto Juliano Medice, Philibertaque uxore ad Ludovicam sororem in Gallias remissa, Laurentius ejus ex Petro fratre nepos Hetruriae imperium suscepit; cujus Alphonsina mater impotens, et caeca ambitione agitata femina muliebribus blanditiis Leonem impulit, ut Francisci Mariae Feltrii Urbinatum reguli finitimum Hetruriae imperium filio acquireret. Erat ille, quod Gallo favere videretur, etiam antea Pontifici suspectus et invisus: Rentio ergo Caerite cum exercitu ad occupandum ejus principatum misso, ejectus Mantuam se recepit. Cum vero Maximiliano imperatori cum Venetis convenisset, et solutis trecentis millibus aureorum, ipsi Veronam reciperent, ac utrinque copiae dimitterentur, milites, qui aliud stipendium non sperabant, ad Fran-

(1) MDXVII.

ciscum Mariam Urbino expulsum, ad octo mille peditum, et cum ducentis cataphractis quingenti levioris armaturae equites confugerunt; qui. trajecto Pado pro avunculo Alphonso Atestino in Regienses irrupturus esse timebatur. Sed is Bononiam se convertens, et Picenum ingressus paternum imperium nemine obstante recepit.

Sequente vere inter alios, qui diversis in fanis concionabantur, Basilius, ex sacra eorum familia qui Servitae dicuntur, magna eloquentia populo persuasit, ut pecuniam ad perficiendum ipsorum coenobium conferrent. Indictis itaque decurionum decreto supplicationibus cum cujusque ordinis viri non modicam stipem ad illud opus liberaliter exhibuissent, ipse etiam ostiatim a civibus magnam auri, argentique copiam contraxit. Sub idem tempus Joannes Nicolaus Pactius, qui ad confirmandas quasdam cum ecclesia initas conventiones Romam missus fuerat, revertitur. Inter alia a Pontifice obtinuerat, ut decretum ad cohibendum funerum sumptum factum civium voluntate observaretur. Id ubi sequente solis die etiam duriore quam antea addita poena promulgatum fuit, rem indignam, et ab omni pietate remotam esse sacri ordinis viri palam fremere, nulli de re sua statuendi arbitrium unquam fuisse sublatum, id in antiquam religiosorum invidiam sordidissimorum hominum avaritia, et pessimo exemplo innovatum, decimas jamdudum sibi ablatas, nunc funerum oblationes eripi, aliud jam nihil superesse, nisi ut se sacerdotiis, donariis omnibus, aris denique ipsis, et quotidiano victu spolient, ac ejectis sacerdotibus ipsi sacra sibi profani homines ministrent. Jam dies sanctiores jejuniorum postremi venerant, aridorum antiquis, quod a coctis abstinerent, vocati, cum universi episcopum convenere, orare ut velut acer religionis de-

fensor se juribus suis misere privari non patiatur, nunc tempus esse quo vel invitis execranda lex sit revocanda, vel nemo delictorum confessione sit expiandus, neminique sacra impartienda Eucharistia. Antistes, qui humanius rem tractandam esse existimabat, curiae per Vicarium nuntiat, nisi decretum abrogent Domini corpus nulli communicatum iri. Die igitur qui lunae sanctus vocatur, episcopum adire decuriones coacti, se constitutionem sacerdotibus invisam moderaturos promiserunt: itaque religioso ordini conciliati sacrorum omnium postea participes facti fuere.

Ceterum aliis expiatis, qui antiquas factiones exercebant, haud facile vetus odium deponere potuerunt. Facinorosissimi enim asseclae dum multa ad patronos deferunt, antiqua odia, quae jam restincta videbantur, oleo camino adito, non mediocriter inflammarunt. Consueverat Joannes Baptista Bebius Divi Dominici aedem Vincentio Scajolae familiarem, ut ipse dicebat, religionis gratia invisere; continuo assectatores hanc non pietatem, sed evomendae irae occasionem captari, in Scajoli aures murmurant: alia quae adeantur etiam commodiora, et religiosiora in urbe templa non deesse. Antea templum illud ab inimicis nunquam fuisse frequentatum, nunc enm locum ad aliquod patrandum facinus, velut opportunum, electum fuisse. Subserunt alii auditum esse jactabundum Joannem Baptistam minari se quo gladio Delipheum interfecisset, eodem etiam Vincentium fratrem brevi confecturum. Ex his clandestini coetus utrinque habiti, colloquiaque clanculum inita, jam subortam suspicionem non mediocriter auxerant. Aprilis idus venerant, qui festus resurgentis Domini eo anno secundus dies fuit, cum sub vesperam coenatus Joannes Baptista, viginti comitantibus, quorum quatuor armati erant, ad Divi Dominici

aedem flexit: cum forte ad Antonii Bojardi domum pervenisset, Vincentio cum decem familiaribus ex templo redeunti obviam factus de loco contendit. Ex ea altercatione ad manus ventum esset, nisi Basilio Zobolo Divi Nicolai Praeposito interveniente, tumultuantium animi placati fuissent. Bebius Carmelitas versus iter prosecutus a Divi Jacobi et Philippi templo ad Zobolorum aedes se convertit. Scajolus, qui et ipse per viam regiam veniebat, ubi ad Divum Thomam pervenit in proximo quadrivio eidem iterum occurrit. Ibi cum torve se primo aspexissent ex contumeliis ad arma facile venerunt: quidam ex infima plebe Christophorus, qui pridem Franciscum Rubinum, deinde Barnabam Caprarium occiderat, viribus robustus ante omnes Joannem Baptistam Bebium priusquam ensem educere posset, ulnis medium fortiter stringit, tum eductis gladiis alii magno impetu irruentes saepius transfossum trucidant. Geminianus Zuccus Mutinensis, ut Bebium defendat, Joannem Antonium Mazuccum vulnere illato rejicit. Alter, Roncaja vulgo dictus, dum gladium in Scajolum tollit, Giarola ictu excepto, a vulnere illaesum conservat. Cadente Bebio, Sigismundus quoque Pinotus a Sancto Laurentio cum Roncajo, et quodam ex Signorettis sternuntur. Antonius Pataracius ostium propinquae domus forte apertum ingressus, vix ab inimicorum manibus se eripuit, qui ubi nihil sibi amplius spei reliquum superesse videt, ex fenestra magno cum ejulatu super jacentium cadavera inanes lacrimas effundit. Ferunt Scajolum in animo habuisse, quoscumque diversae factionis assequi poterat, trucidare, et Bebiorum aedibus vim inferre: sed Timothei et Julii Zobolorum consilio, quod satis mali patratum esset, in eorum domum se recepit. Fama admissi facinoris per urbem sparsa, quisque ad

fereudum sociis suae factiouis auxilium cucurrit. Paulus Bebius ferme centum clientibus collectis, quaudo aliam defuncto opem ferre non poterat, ad reportandum domum frigidum fratris cadaver convertitur. Id vastis vulneribus foede laceratum, totumque atro cruore iu pulvere madefactum jacebat. Ab imo ore etiam meutum cum barba immani crudelitate ad ludibrium abscidisse, et ad testandum facinus sanguine Zobolorum aedes iufecisse percussores dicuntur. Ut fratrem igitur turpi sanie, foedisque vulneribus deformem Paulus conspexit, perfidos hostes, pacis coutemptores, et omnis expertes pietatis clamat, qui si viros se esse existiment ad iueundum secum certameu prodeant. Exeunte nemiue, quod supererat, miserandas fratris reliquias ingenti luctu lacrimosisque singultibus domum refert. Camillus, qui pro fratre urbem regebat, religiosis diebus nihil impium fieri posse ratus, tum Bouoniae forte agebat, cum celeri nuucio stragis accepto, familia post se relicta, mane iu urbem advolat. Adsunt Bebii de injuria sibi sacris diebus perfide crudeliterque illata conquereutes, multisque exagerationibus atrocissimum parricidium detestantur. Denique immanissinum scelus justitia vindicari postulant. Camillus partibus suis se uon defuturum pollicitus, dum quos se subsequi jusserat equites veniunt, per nuncium Viucentium citat. Is pretiosiore supellectili mature ex aedibus educta, intempesta nocte sub horam quintam cum sexagiuta stipatoribus, et Morotto ipso deduceute, ad Joanuem Bojardum amicissimum homiuem Scandianum se contulerat. In urbe ue quid atrocius committeretur, et cruento aliquo praelio mutpo se cives trucidarent, omuium metu suspeusi animi tenebantur. Suspicionem augebat Morottus, vir ad omne facinus natus, qui Actii Corrigii mandato proximis

diebus in Mantuanis quosdam turri Friderici Bozolae inclusos jugulaverat. Nec mediocre periculum Camillus ipse rector incurrit, dum ex palatio ubi tunc in foro habitabat, ad exploranda, ut fama erat, Bebiorum consilia egreditur. Futurum enim ferebant, ut a Paulo occideretur, nisi Georgii fratris, qui severam Joannis Gozadini ultionem verebatur, precibus retentus fuisset.

Extra urbem intestinis malis externorum quoque militum incommodum accessit. Trecenti enim Helvetii a Leone contra Feltrium, qni pridem copias pontificias fuderat, acciti in suburbiis per aliquot dies Regiensibus commeatum extorserunt. Hi postea a Feltrio profligati extra patriae fines occubuere. Inter haec Alphonsus Cardinalis Pandulphi Petruccii Senensium tyranni filius, qui cum Borghesco fratre Mediceorum consilio patria expulsus fuerat, Leonem tollere cogitavit. Nata illi erat in ima sede fistula, qnam per Julium Blancium cnbicularem a Baptista Vercellio eximio chirurgo familiari suo curari Alphonsus studebat. Demnm ejus interceptis litteris deprehenditur necare Pontificem linamentis veneno infectis per ohirurgum pecunia corruptum voluisse. Capitur, et cum eo sceleris conscius Bandinellus Saulius Cardinalis a qno pecunia fuerat adjutus, Raphael Riarius, Franciscus Soderinus, et Adrianus Cornetanus, omnes Cardinales conjurationis participes nominantur, qui regnandi cupiditate, sublato Leone, se pontificatum adepturos sperabant. Cornetano enim fatidica mulier praedixerat, Leoni Adriannm obscuris natalibns ortum, sed egregie eruditum, intra paucos dies successurum; quae omnia cum de se dicta probabiliter ille credidisset, et de Adriano Batavo Egenii opificis filio intelligendum esset, avidius Pontificis mortem expectabat. Soderinum vero ad ultionem incitaverat

accepta a Petro Mediceo injuria, qui eum patria expulsum summo honore dejecerat. Leo in senatu conquestus a nonnullis senatoribus sibi insidias paratas, se his qui sponte crimen faterentur sincera fide veniam daturum pollicetur. Soderinus et Adrianus reos se fecerunt, et denis millibus aureorum multati, postea voluntario exilio discessere. Alium praeterea a secretis, ac coquum denique ipsum pecunia, ingentibusque promissis corruptos, et ad immiscendum cibis potionibusque venenum sollicitatos fuisse ferunt. Praeter hos stipatorum quoque Praefectus, qui modici capitis cognomentum habebat, se Pontificem, dum venaretur, aperto in campo confecturum obtulerat. Sancti vero Georgii Cardinalem secum conspirare recusantem, etsi dimisissent, is tamen quod conceptum facinus non prodidisset, una cum ceteris in vincula est conjectus. Sed Hispaniae Galliaeque Regum rogatu a capitis poena absolutus, quinquaginta millium aureorum summa vitam redemisse ferebatur. In ceteros omnes, exceptis duobus Cardinalibus Senensi et Saulio, qui dignitate bonisque omnibus privati perpetuo carceri damnati sunt, capitali supplicio animadversum fuit. Alphonso postea in carcere strangulato, Saulius purpurei galeri honorem cumulata benignitate recepit.

LIBER SEPTIMUS

Roma interim infausto reditu Joannes Gozadinus revertitur, apud quem omni mora abscissa, Paulus Bebius Scajolum ruptae pacis, quae ipso auctore facta fuerat, violatae fidei, neglecti magistratus, et atrocissimi parricidii reum fecit. Supplex precibus, et lacrymis obsecrat, ut quod Praesidis ipsius majestas impudentissimorum hominum audacia facinus prohibere non potuerat, justitia saltem vindicaret. Gozadinus ut erat colloquio blandus, et mirifice affabilis, ingentem se patrati facinoris dolorem concepisse ostendit, ac brevi in ejus auctores se animadversurum certam spem facit. Sed cum promissis facta non responderent, ne nimis frigide reos persequi videretur, Antonius Bebiorum fratrum pater, vir jam senio confectus, eum rursus geminatis querelis flectere constituit, ut si casus acerbitate non moveretur, suae saltem orbitatis, et jam exacti senii misertus, inultum scelus non relinqueret. Prima igitur oratione ad eam aetatem vitam sibi reservatam queritur, ut, immanitate facinorosorum hominum liberis ante aetatem praereptis, superstes omnium infelicissimus pater moreretur: se unum, deinde alterum filium saevissimorum latronum manibus crudeliter caesos antea conspexisse; nunc etiam tertium,

quem sub secura pace, et justissimi magistratus umbra tutissimum esse sperabat, violatis fidei legibus a seditiosissimis hominibus se in media urbe, ac pene ante oculos perfide et immaniter trucidatum vidisse. Tum mixtis cum singultibus lacrymis, quantis potest precibus orat, ut suae jam exactae senectutis, luctuosae orbitatis, ac tantae, jam tribus injuria amissis liberis, acceptae calamitatis misereatur; obtestatur, ut perfidiam, parricidium, ac sui denique magistratus neglectam majestatem ulciscatur. Amplius a se superstites filios ira, et dolore ardentes, retineri non posse quin in novum aliquod excidium erumpant. Ad extrema haec verba excandescens Gozadinus, eos, qui novi aliquid ausi fuerint moliri, poenas acerbius daturos, truci vultu comminatur; mox illos arma deponere, socios dimittere, ac urbe quamprimum excedere jubet. Paulus ubi scelere impune relicto sibi solum vertendum esse videt, indignabundus in Gozadinum minas spirat; jamque apertam vim parans, armatis in aedes receptis, portam munit, et cujusque generis missilibus fenestras instruit. Gozadinus ubi suum negligi imperium animadvertit, palam Bebiorum domum oppugnare non ausus, eorum conatus dissimulat. Interea quoscumque ex eorum clientibus capere potest, supplicio afficit: contra illi, dum suis subsidium afferre, et captos ex satellitum manibus eripere nituntur, forte evenit, ut Antonius a Sabulone, dum pugnat, in brachio vulneratus comprehenderetur. Gestae rei nuncio allato, socii advolant, ac vi receptum ingenti gaudio incolumem domum reducunt. Nicolaus quoque Calcaneus ingenio ferox, et manu promptus quotidie cum seditiosissimis quibusque obambulans, novum aliquod facinus insolentius edebat. Id ubi semel, atque iterum Gozadino renunciatur, cum apparitoribus non amplius fide-

ret, ipse inscenso equo, domi hominem oppressurus cum stipatoribus venit. Impetu facto, jam eum capillis constrictum tenebat, cum accurrentibus familiaribus vi eripitur. In rixa Nicolaus Ronzonus cognomento Sparpagna, qui tonsoriam artem exercebat, accepto vulnere captus, statim laqueo necari jubetur. Nec mora, revinctis post terga manibus a carnifice suspendendus ducitur. Jamque in palatii publici fenestra, spectante plebe, ei laqueus collo nectebatur, miserandaeque mortis genus in oculis praesens erat, cum Balthasar Sanlius Genuensis, qui Regii, vectigalibus conductis, quaestura fungebatur, reum sibi condonari obtinet; ingentique gaudio domum deductum saucium curavit, et postea in fidissimorum familiarium numero semper habuit. Calcaneus ubi se ex non mediocri periculo ereptum vidit, statim patria discessit.

At Paulus Bebius urbis habenas tenenti praesidi haud diu resisti posse ratus, etsi non parvi discriminis res videretur, potentem tamen hostem de medio tollere cogitavit. Ceterum cum in tanta re peragenda plurium auxilio opus esset, cum fidissimis quibusque quos facinoris socios habere proposuerat, rem communicat. In urbem paucis ante annis venerat Zeno Cocconus Castronovo Parmensium oriundus, qui primum Scajolorum partes secutus, ut Cassandram Bebiorum sororem Lazaro filio matrimonio conjunxit, cum eis postea conjunctissime vixit, ac praeter ceteros Joannem Baptistam morum elegantia urbanissimum flagrantissime dilexit. Cum hoc ergo, qui trucidati affinis caedem graviter ferebat, primum intima cordis consilia Paulus aperuit, ac futuri criminis socium adscivit. Mox Bernardinum Bebium fratrem patruelem, deinde Paulum Cossellium, Andream Calcaneum, et Antonium illum Pataracium, qui in Joannis Baptistae caede vix Scajolensium

manus effugerat, Joannem Jacobum Cremonensem, omnes vel sibi affines, vel Gozadino infensissimos convocat, quibus Gajonnm, et alium cognomento Betollam de ima plebe homines adjnnxit. His primo innatam Praesidis insolentiam, effrenatam in nobiles matronas libidinem, in honestissimos cives contumeliam, ac novissime gravissimam suae familiae illatam injuriam exponit. Se pro rectore seditiosum, pro jndice hostem, pro scelerum vindice justitiae contemptorem habere; morum ejus impotentiam eo jam pervenisse, ut non nisi cum luctuosissimo totius urbis excidio ferri possit. Passim in urbe latrones grassari, nobilissimos cives impune trucidari, jus venale esse, gratia omnia remitti, ac nisi saluti suae prospiciant, se propediem nec intra domesticos penates quibus vis inferatur tuto victuros; si viri esse velint, publicae se incolumitati facile consulturum ac tantam pestem civibus omnibus odiosissimam facile extincturum. In ejus verba cunctis jurantibus, cum hominum paucitati Paulns diffideret, ad externum auxilium convertitur. Antonio enim a Sabulone cnm litteris Parmam misso Jacobum Caslpadi Comitem sollicitat, ut quoscumque potest armatos ad se quamprimum Regium transmittat. Galleacium quoque a Quatuor Castellis, et Hieronymum Coccapanum Forum Cornelii ad Nicolaum Sassadellum Lucretiae sororis nuptiis paulo ante sibi affinitate conjnnctum destinat, ut alios viros conducat. Eodem Bernardinus et Georgius Bebii, Antonius Maria Fontanellus, et Nicolaus Calcaneus recenti injuria exacerbatns acciti convenerant: sed ubi de Gozadini caede tractari Fontanellus sensit, crimen laesae majestatis se non commissurum in primis est protestatns. Calcaneus item rei atrocitate perterritus nihil statuebat. Sassadellus denique tantum facinus temere non

tentandum monet, rem sibi non contra privatum hominem sed summum Pontificem esse, qui eos fortunis, patria, ac bonis denique omnibus sit privaturus. Ceteri conjurationis conscii ut aliornm animos aversos vident, non statum urbis mutandum, sed privatam injuriam vindicandam esse frustra praedicant. Demum propter criminis atrocitatem sine certa deliberatione conventu dimisso, Galleacius et Coccapanus cum Calcaneo, qui recta Nuvolariam contendit, Regium revertuntur. Re jam pluribus communicata, cum maturandum facinus conspirantibus videretur, placuit plumbea glande aeneo tormento emissa ad Bebiorum aedes pro more praetereuntem Gozadinnm transverberare: sed cum jam eam transeundi consuetudinem intermisisset aliud consilium capiunt. D. Petri festus dies propediem celebrandus erat, quo ludi quotannis in urbe edi consueverant. In his ex eo panni genere, quod vulgus Sarzam nominat, ianthini coloris praemium currentibus equis Gozadinus proposuerat; in quo Petri imagine depicta, a dextra Scajolorum, a sinistra Messoriorum insignia, suae vero ipse familiae stemmata in medio suspenderat. Magna ergo expectatione omnium in ludos animis intentis, id tempus ad conficiendum hominem aptum esse Bebiis visum fuit. Illud etiam ad maturandum scelus eos accendit, quod Vincentio Scajolae quem et ipsum se interempturos sperabant, ut spectaculis eo die interesse posset indultum fuisse ferebatur. Commodius tandem in templo dum sacris intentus esset hominem opprimi posse crediderunt.

Adveniente igitur die, qui dominicus D. Petri celebritatem eo anno praecedebat, Paulus summo mane octo acutissimas sicas ad se clanculum deferri jussit, et ne aliquam Antonio parenti ferrum visum suspicionem injice-

ret, inter fila Giliae matris rei consciae abscondit. Tum sortientibus inter se conjuratis, Betollae, Gajono, et Paulo Cossellio caedendi praesidis negotium obtigit; qui cum primum vulnerari coepissent, ab alio quodam militare aeneum tormentum ex minoribus displodendum erat, ut eo signo armati, qui in Bebiorum aedibus continebantur, ad ferendum percussoribus auxilium accurrerent. Eorum adducendorum provinciam Paulus ipse conjurationis auctor coeperat, et ut scelus sceleri adderetur, id opportunum caedis tempus visum est, quo in Domini cruciatus memoriam sacra faciens sacerdos Eucharistiam tolleret. His actis qui conspiraverant in forum exeunt, abditisque pugionibus sub chlamydibus quae ex ejus temporis usu longiores erant, donec Gozadinus egreditur, velut alia agentes diversarum rerum colloquia inserunt. Interim Paulus Bebius cum Coccono qui simulata dominicae precationis recitatione corollam manu gerebat, ante paternas aedes in via in forum exeunte deambulabat. Jam hora diei tertia imminebat cum Gozadinus satellitum numero stipatus templum majus ingreditur, ibi ad dexteram conversus ante Beatae Virginis aram, quae ad columnam prima introeuntibus visitur in parato lectisternio sacra audire coepit. Ceteris conjuratis non longe ab eo consistentibus, Betolla ob humilitatem nemini suspectus ad ejus pedes in genua procumbit. Ibi Paulus negotio quantis potest verbis Zenoni commendato signum expectaturus ad armatos in aedibus socios revertitur. Jam sacrorum lectione de more recitata, sacerdos Christi corpus in altum sublatum populo ostendebat, cum ut convenerat irruens Betolla magno impetu abrasum Gozadini sacerdotum more capitis verticem percutit, et in proximam columnam sicam adigit. Tum ille ad caedentem conver-

sus: te, proditor, exclamat, mox laqueo suspendi jubebo. Haec fatus auxilium implorat, ac per templum fugiendo ad altare majus se proripit. Disploso interim ut convenerat aeneo tormento, ex Bebiorum aedibus armati advolant. Petrus et Joannes Antonius satellitum praefecti turpi ignavia praesidem deserunt: is jam ad suggestum, ubi Pauli epistolae recitantur scalas superaverat, cum talari veste implicitus procidit: ibi a Paulo primo in poplite vulneratus, postea a ceteris, qui numero vigintiquinque ingenti tumultu in templum supervenerant, verubus et sparis transfossus crudeliter trucidatur. Jacobus ejus a pedibus cursor, et Paschalinus, cui argenti mensa credita fuerat, et Fasiolus quaestor, dum strictis gladiis patronum tueri conantur, cum eo interfecti fuere. Gozadini cadaver vestibus omnibus denudatum, et fasciis praecisis, quibus propter herniam subligatus erat insolito furore parricidae virilia immaniter absciderunt, quae hastae alte praefixa foedo populi spectaculo usque ad Bebiorum aedes, quod mulierosus haberetur, in occisi ludibrium delata fuere. Dehinc in alios, qui latebras quaerentes e templo trepide profugerant, insatiabili rabie saevitum fuit. Carolus Rubinus Norio Flaminiae oppido, quod nunc Bretanorium vocant, tunc Pontificiorum exactor tributorum, et Delipheus Scajolus Chrysanti filius cognomento Picininus jam senex in fani sacrarii tabulario, furentium manus fugientes, se abdiderant; inde extracti, ille ante aram Virginis, ubi primum vulnus Gozadinus acceperat, a Joanne Jacobo Florentiola veru confossus gladiis in frusta conciditur: hic in forum perductus, ab agnato Scajolino Alberti Scajoli filio jam exacta aetate senex misere jugulatur.

Eodem tumultu Dominicus Gibbus Ferrariensis phonascus eximius sub porticu, ubi frumentum vendi solet, a sanguinariis obtruncatur. Julius vero Zobolus jurisconsultus, et causarum patronus egregius, cum Timotheo agnato, sub summis episcopi palatii tectis in abdito cubiculo delitescebat. Is olim contra Joannem Zobolum sibi fratrem patruelem, sed spurium, bona Leonelli patris petentem legittimae sorori justum patrocinium praestiterat; cui graviter infensus Joannes Francisco filio quandoque dixisse fertur, se eum pro nato non agniturum si cavillosum rabulam vivere permisisset. Verbis Francisci animo altius quam par erat insidentibus, adversus familiae sanguinem cum Bebiis conjuraverat. Tum vero paternum adversarium ulciscendi occasionem nactus in latebra inventum extrahit. Julius qui eloquentia plurimum poterat ad preces conversus, non secus ac olim M. Antonius marianos retinuerat, percussori manus distinebat. Agnatum effusis lacrimis supplex obsecrat, ne in suo sanguine manus turpiter inquinare velit, commemorat ex iisdem se parentibus ex eodem semine procreatos, denique obtestatur ne se immani crudelitate in familiae dedecus perdat. Jam satis effusum esse sanguinis, parricidam, patrato nefario scelere, nihil nisi ignominiam et divinam offensam relaturum; servato agnato, cumulatam a Deo gratiam et pulchram apud homines laudem consecuturum. Ea oratione jam furentis iram placaverat cum superveniens Bernardinus Bebius crudelitate nemini secundus, si huic, inquit, Francisce, temere ignoveris, qui nunc ita humilis videtur, inhumaniter postea tibi vitam adimet. Quibus verbis incensus ille Julium in genua procumbentem, et spiritum manibus Domini commendantem immaniter obtruncat. Timotheus quoque ex abscondito cubiculo a

Betolla et Petro Caprario extractus, geminatis precibus ut ad Paulum Bebium, a quo veniam sperabat, deduceretur enixe petebat: jamque in hostibus miserationem invenerat, cum idem Bernardinus super omnes crudeli feritate insignis, qui recondita loca perlustrans neminem adversae factionis vivum relinquere volebat, hunc quoque in media coenatione jugulat. Albertus vero Canussius meliorem fortunam sortitus a Cossellio, cui magna familiaritate conjunctus erat, in fidem susceptus, quamquam omnibus sanguinariis sociis reclamantibus, servatur. Ad Carolum enim Sessium socerum, ut postulaverat, ductus incolumis in ejus castellum se recepit. Eo die viginti duo desiderati fuisse dicuntur, nec pauci sequentibus diebus caesi; plurium direptae et aliquorum incensae aedes fuerunt. In primis ad palatium, ubi in foro Gozadinus habitabat, concurritur. Equos, vestes, argentum, gemmas, atque universam supellectilem avarius depraedantur: duodecim tamen aureorum millia, quae pro stipendio Procurator Pontificius quibusdam Helvetiis contra Feltrium Urbinatem conducendis soluturus erat, ad Antonium Bebium delata, fideliter conservata fuere.

Interim a Paulo Bebio rei prospere gestae nuncio Nivolariam celeriter misso, Nicolaus Calcaneus cum decem equitibus in urbem advolat, qui Alphonsi Atestini Ducis cataphractus, ut populum ad mutandum statum provocaret, ejus nomen saepius inclamavit. Antonius quoque a Sabulone cum aliis decem equitibus a Jacobo Casalpadi comite acceptis, Parma Regium pervenit, qui praeter unum Corrigiensem omnes Parmenses in Lucae Fontanellae aedibus diversati, urbane, et humaniter se gesserunt. Bebii urbem Alphonso Atestino tradere voluisse feruntur, sed ille minus opportune eam oblationem fieri

ratus conditionem respuit. Scajolenses hac repentina clade percussi, quo eos metus agebat in diversis urbis partibus delituerunt. Inter alios ex Zobolis Anselmus, Dionysius et Alexander cum Hippolyto filio ac mulieribus, relictis aedibus, se apud amicissimos occultaverunt. Alii praesente animo se ipsi non deseruerunt. In primisque Robertus et Falchettus Messorii, porta D. Petri occupata, ibi se ad omnem sustinendum hostium impetum viriliter munierunt. Albertus quoque Messorius in Roberti agnati aedibus plura tormenta aenea ad arcendos hostes disposuit. At Vincentius Scajolus, qui ex Gozadini indulgentia ludos spectaturus in urbem venerat, in propriis, vel ut alii referunt in Zobolorum aedibus, aliquamdiu se continuit. Demum cum sociorum, qui in D. Petri porta se tuebantur, frustra auxilium expectasset, ipse ad eos cum Basilio et Hilario Zobolis fratribus confugit. Jam viri ferme sexaginta, sed plerique ut sors detulerat brevioribus tantum gladiis armati, eo confluxerant, ac porta occlusa, ad sustinendam adversariorum impressionem cataractam demiserant. Ceterum illi duplici acie, altera per viam regiam, cui Nicolaus Calcaneus praeerat, altera, quam Paulus Bebius ducebat, per pomoerium secundum moenia deducta, inclusos adoriuntur. In itinere Nicolaus, ubi ad Gasparis Messorii aedes pervenit, ingressus aenea tormenta, quae ibi a Roberto filio, et Alberto parata erant, cum reliqua supellectile abduxit. Demum ubi ad D. Petri portam perventum est in tecta scandentes alii accensam picem, alii ignitum sulphur demittunt: cunctis incendio flagrantibus obsessi saluti celeriter consulere coacti sunt; qui statim per portam dilapsi, alii Scandianum, nonnulli Corrigium, aliqui in proxima oppida, vel villas, prout cuique tutius videbatur, trepidi contenderunt. Vincentius

equo currens Valverdum villam suam antea munitam petiit. Tantus fuit currentium angor et tumultus, ut aliqui, inter quos fuit Giarola, aestu et languore defessi in media via expirasse dicantur. Magnam hostibus fugiendi opportunitatem Calcaneus dedisse existimatus est, qui dum in diripiendis Joannis Baptistae Cordetti aedibus immoratur, exitum extra moenia intercluslirus sero occurrit. Quod igitur supererat ad hostium spoliandas, devastandasque domos conversi, in primis Gasparis Messorii aedes incenderunt, deinde ad Zobolorum domum convolantes, dejectis foribus, et loculorum claustris vi diruptis, argentum, vasa, vestes, omnemque supellectilem diripiunt. Effractis horreis et cellis, quiquid erat tritici, vini, et penoris certatim exportant, sellas dejiciunt, tabulata dissipant, fenestras proterunt. Ne aedes incenderentur Lucretia Falcona Georgii Bebii socrus precibus, et lacrymis Paulum Bebium detinuit. Viucentii quoque Scajolae domus direpta, vicinis enixe deprecantibus, vix ab igne illaesa est conservata. In ceteris locis per octo dies a nullo injuriae, homicidii, stupri, rapinae, incendii, sacrilegiique genere debacchantibus passim victoribus est temperatum. Efflagitatus in primis ac diligenter perquisitus est ex D. Dominici ordine Antonius Minghellus, qui contra professionis decus harum seditionum praecipuus auctor habebatur, et tria etiam pro Scajolis cubicula in coenobio armis instruxisse ferebatur; sed is in primo furoris impetu mature fugiens Venetias concesserat. Catharina quoque Boccatia olim Baltasaris Scajolae, deinde Falchetti Messorii conjux, et Tobia Zobola Anselmi uxor, quod in earum gratiam mulierosus Gozadinus non pauca praeter jus fecisse diceretur, ingenti studio conquisitae, nunquam inveniri potuerunt. Hujus enim turbae initio ad Bernardinum

Colettum pictorem de plebe hominem confugerant, demum apud Bernardinum Bojardum tamdiu delituerunt, donec a Baptista Smiraldo Parmensi arcis praefecto, et Scajolorum fautore, Zobolorumque affini receptae fuerunt. Gozadini vero inhumatum cadaver tota die ad vesperam in solo nudum miserando foedis vulneribus spectaculo jacuit. Tandem canonici bona Bebiorum et Cocconi venia humili erecto tumulo in majore templo, nulla funeris pompa elatum sepelierunt. Ejus sepulcro etsi non ita doctum, non omnino tamen invenustum hoc inscriptum est epitaphium:

Fracta Gozadinus dimisit hic ossa Joannes,
Quam cito ad Elysios raptus et ipse rogos.
Bis duo lustra duo complerat, simone doctus
Norat et hos illos rumpere saepe thoros.
Gaudeat hinc Regium spoliataque Felsina moecho
Et resonet tota plausus in Æmilia.

Ejus ossa postea Camillus frater opulentioribus sacerdotiis a Leone ad leniendum dolorem donatus nocte Bononiam retulit.

Vix aliquis scelerum finis futurus erat, nisi Bernardinus Bojardus neutrarum partium vir, et magnae auctoritatis Canonicus ceteris latentibus civibus iram verbis leniendo et quandoque audacius castigando, furentium arma aliquantulum repressisset. Bebii interim custodias moenibus imponunt, praesidia ad portas collocant, neminem sine suo jussu urbe exire, vel ingredi permittunt. Cocconius egressuris signum in ungue policis imprimebat, quo a portarum custodibus agnito, libera cuique exeundi potestas dabatur. Ingredientes primum ad eumdem deducti nonnisi de multis interrogati dimittebantur. Demum curia convocata Paulus Bebius cum Cocconio ingressus pauca

de Gozadini impotenti libidine et injuria praefatus se ad tollendum illud monstrum necessitate vitae et dignitatis conservandae compulsum esse excusat; demum decuriones rogat, ut quanta possunt lenitate Pontificis animum demulcendo per literas significent; Gozadinum sua culpa, et libidine mortem sibi ab invitis Bebiis accersivisse; ipsi interim, cura reipublicae suscepta, patriam tueri velint. His auditis Patres ad Leonem et Julium Medicem Cardinalem, et Jacobum Sadoletum, qui tunc a Pontificis secretis erat, prout petitum fuit, humaniter scribunt; denique instant, ut quamprimum ad regendam urbem justus rector, et sobrius mittatur. Camillus Gozadinus qui Bononiae degebat, fratris morte audita, continuatis itineribus ad inflammandum in criminis auctores Pontificem celeriter contendit. Jam forte Georgius Bebius, qui, hac clade audita, ne quid gravius in se tanquam conjurati fratrem Leo statueret, Roma Regium revertebatur, ei in medio itinere occurrit. Sed felici fato ab hoste non agnitus, incolumis evasit. Postridie, quo D. Petri memoria celebratur, Antonius Bebius cum Coccono convocata curia decurionibus crumenam cum duodecim sacculis signatis, qui antea a Leone Regium transmissi fuerant, Rossio Rodulpho quaestori Pontificio, quem Commissarium vocabant, ex bona fide restituit. Melchior Tribulinus, qui tunc in urbe praeturam gerebat, millenos sacculis aureos contineri affirmavit; sed quod signa integra essent pecunia non est numerata. Nicolaus Sassatellus jam perfecto negotio cum paucis equitibus sero auxilium laturus venit: aegre in urbem admissus, et frigide exceptus non multo post ingratus sociis discessit.

Aliquantulum jam sedato, sed nondum sopito tumultu, quinto nonas julias decuriones iterum convenere, quibus

Rossius quaestor hanc orationem habuisse fertur: Doleo equidem, Optimates gravissimi, quod haec inopinata inexpiabili scelere ruina civitatem invaserit, qua trucidatum praesidem, direptum palatium, caesos cives, plurimos ejectos, incensas domos, ac pene amissam urbem spectavi. Non mediocriter tamen hanc animi aegritudinem lenit, quod in tanto periculo publicam restitutam pecuniam, et in suo statu retentam urbem conspicio. Nec parum in tot aerumnis sanctissimi Pontificis conceptum dolorem mitigatum iri arbitror, cum vos pro vestra in ipsum affectione sub Ecclesiae tutela permansisse intelliget. Proinde si quis minus juste ante civitatem gubernavit, sperate integerrimum et incorruptissimum rectorem, qui summa aequitate omnia sit administraturus, propediem successurum. Interim vestram ipsi patriam non deserite, et quam huc usque servastis fidem praestate. Urbe ad communem tranquillitatem opportunis praesidiis munita, Leonis benevolentiam provocabitis, ac vobis etiam ipsis securam civitatem facietis. Hac oratione confirmata curia ternos ex quaque tribu praefectos eligit, qui cum civibus tumultus prohibeant, et moenia dispositis excubiis ab imminentibus extraneorum factionibus tueantur. Postridie Matthaeus Strotius cum centum tribus equitibus, et quadraginta peditibus ad retinendum in officio populum, et omnem propulsandam injuriam venit. Leo, audita Gozadini caede, ei Franciscum Guicciardinum Florentinum virum gravem, et professione jureconsultum, justitiaeque cultorem suffecit; qui apud exercitum pontificium quaestor integra fide sibi commissam pecuniam administraverat, et magna cum laude antea Parmam, Placentiam, Bononiam, et totam denique Flaminiam aequissime rexerat; et tunc Mutinae praefectus, extinctis

funestis seditionibus, ita eam civitatem pacaverat, ut ubique ejus insignia cum hoc titulo depicta conspicerentur: HOC DUCE PARTA QUIES. Ceterum paucis familiaris, et plus aequo iracundus tantam vultu severitatem praeseferebat, ut pene praeter dignitatem saevior videretur. Magnam secum semper peditum, equitumque catervam trahens, nemini, quamvis amico, fidebat. Ad convivia ludosque publicos raro, aut nunquam accedebat; et si casu intererat statim sublatis mensis discedebat. Is tum Mutinae Regiique praefecturam adeptus octavo idus julii magna militum manu stipatus in urbem venit. Paulus Bebius cum ducentis armatis hinc inde ordine instructis occurrit, adventantisque manum exosculatus est. Ille mixtim Guelphis, Gibellinisque, et aliis quampluribus civibus comitantibus ingressus est. Fama erat eum in fori palatium, ubi Gozadinus degebat, diversurum; sed ipse in arcem, ubi postea semper habitavit, se praeter omnium opinionem convertit. Antequam eo perveniret, metu Guelphi discessere; ceteri qui neutrius factionis erant ipsum usque ad aedes deduxerunt. Paulus Bebius literis ad eum missis factum excusavit, in Rhodiginamque peninsulam cum octoginta sociis ab Alphonso Atestino receptus fuit. Alii quoque ejus factionis studiosi collectis vasis emigrantes Nivolariam, Sanctum Secundum, aut Ferrariam concessere. Guicciardinus, quo die venit, sub vesperam edixit, ut Ecclesiae bona intra octo dies poena perduellionis a praedonibus restituerentur, statimque Bernardini Bebii, et Manfronii Albrisii bona velut publicanda obsignari jussit. Paucis post diebus Paulum et Bernardinum Bebios, Zenonem Cocconum, Nicolaum Calcaneum, Galleacium a Castellis, et alios usque ad viginti octo criminis laesae majestatis reos exilio poena mulctat; praemioque trecen-

torum aureorum proposito his qui Gozadini necis auctores occidissent etiam trium exulum restitutionem se elargiturum promisit. Tum cura totius urbis ac moenium in se recepta, etiam vectigalium custodes a decurionibus apponi solitos, ipse portis praeficere voluit. Deinde rusticis stipendium indixit, quod quinquaginta sagittariis apparitoribus solveretur. Solum in perquirendis rerum publicarum raptoribus negligentior, cetera severo imperio administrabat.

Rebus ita compositis, Zobolis, ne quid et ipsi novi moliri possent, armis et sociorum aggregationibus interdixit. Mox Melchiore Tribulino praetore amoto, Sebastianus Ferettus a Callio, donec sub Pontificia ditione civitas fuit, Regii jus dixit. Omnium animis in novum praefectum conversis, exploratores Dominicum Morottum cum magna agrestium manu ex Parmensibus ad urbem diripiendam descendere nunciant. Guicciardinus hominem a Gibellinis accersitum dubitans, componendarum dissensionum praetextu utriusque factionis cives convocat. Citati sunt primo Franciscus, Vincentius comes Palatinus, et Antonius Maria Fontanelli, Gabriel Pratonerius, et Prosper Parisettus, omnes Bebiorum studiosi: ex diversis vero partibus Alexander et Dionysius Zoboli, Albertus, Pompejus, et Alexander Messorii, et Aurelius Fossa vir litteris magis quam armis deditus. Cum utrique venissent, his tantum retentis, primi non modo dimissi, sed etiam regionibus divisis cum plebe urbem jussi sunt tueri. Familiis etiam imperatum, ut nocte ad praebendum transeuntibus lumen ardentes pro fenestris lucernas tenerent. Quare velut hoste moenia tenente, ubique puerorum, et senum suam fortunam querentium ejulatus audiri, alii pretiosiora quaeque sub terra condere, nonnulli latebras

parare, quae feminas ab injuria illaesas servarent; quidam etiam ad secretiora coenobia confugere. Nec multo post Morottus ducentos sagittarios, et alios centum, qui aenea tormenta gerebant, nocte adduxit. Sed ubi Zobolos in arce detentos, et urbem in armis esse audivit, sub lucem secundum moenia transiens pacato agmine ad Valverdum se contulit. Ibi interroganti per nuncium Guicciardino quinam essent et quo tenderent, se Morottum ad officium amicis praestandum euntem esse respondit. Rursus, hippotoxotis (1) ad eumdem missis, non mediocriter se mirari dixit, quod se Regienses amicum, velut hostem timuerint. Sub vesperam cum Vitali fratre Castellum Arianorum, et inde Carpinetum re infecta rediit: sed in urbe nihilo magis excubiae intermissae fuerunt. Demum cives arma deponere jussi, moeniumque custodia militibus, qui in civium domibus hospitabantur, solis Fontanellis in tribunatu relictis, est commissa. At Gibellini per diversa loca dispersi, ex Zobolis Anselmus Guastallam, Basilius D. Nicolai Praepositus, et Hilarius Corrigium, Vincentius Scajolus cum Alexandro Fossa, et Roberto Messorio Scandianum se receperunt. Paulus vero Bebius ex Rhodigina peninsula Montem Florinum, qui est in Mutinensium alpibus prope Medulam cum nonaginta sociis concessit. Id ubi Morotto innotuit, statim collectis agrestibus hostes castello inclusos oppugnat. Antonius Maria Fontanellus re cognita cum trecentis ei opem tulit. Hercules Canussius cum totidem venit: Manfredi centum quinquaginta, et Joannes Antonius a Crevaria, olim Corbaria dicta, non paucos alios adduxit. Ubi eo ventum est confestim conflixere. In eo praelio octo ex Morottanis

(1) *Arcieri a cavallo.*

cecidere, triginta vulnerati sunt. Itaque repulsus cum, deficiente etiam commeatu, diu in hostili regione morari non posset, obsidionem deserere coactus est. His accessit quod Alphonsus Atestinus ducentos Carfignanenses, quos in sua fide retinuerat, sub Nicolao, et Georgio Calcaneis, et Cattum a Castagneto Bebiis subsidio ire jusserat. At Regii Antonius Maria Fontanellus sociis assumptis Manfredis cum centum quinquaginta hominum manu Carpinetum ad opprimendum Morottum iturus non mediocrem a civibus stipem et panis copiam collegit. Sed ubi Vianum pervenisset audiens Morottum domum armis intrepide defensurum, re et ipse infecta tertio nonas augusti in urbem rediit. Paulus vero Bebius, ne perpetuo propinqui hostis timore sollicitaretur, Catto et aliis Alphonsi Atestini levis armaturae equitibus comitantibus, Ferrariam, ubi benigne exceptus est, se contulit. Inde in Rodiginam peninsulam reversus Cocconum, ut S. Secundum secederet, dimisit. Paulo ante, mense julio exeunte, Julius Scipio Pallavicinus Joanni Francisco Pico, qui Mirandulam tenebat, adversus Galleottum Concordiae principem subsidio iturus cum trecentum peditum vexillo, et multis equitibus in Regiensium suburbiis benigne exceptus fuerat: sed in itinere a Concordianis insidiis circumventus universis impedimentis et supellectile exutus, sola tectus subucula Corrigium confugit, ubi vestibus, equis, et pecunia inventa honorificentius domum rediit. Galleacius quoque Sessius Caroli filius Theodori Triultii cataphractus, et ipse alios Mirandulae Principis milites in Mantuanis inventos armis et veste exuerat. Ea re cognita Joannes Franciscus peditibus centum equitum clunibus impositis Rollum Sessiorum castellum ingreditur; ibi magno impetu Caroli domum totam diripuit.

Inter haec Guicciardinus vel curis confectus vel nocturni aeris gravitate affectus, difficilem, et ferme lethalem morbum contraxit. Nullo tamen ob id vigilantissimi rectoris munere intermisso, magna celeritate fossas undique excavari, et aqua immissa impleri curavit. Morottus vero, cui primo non successerat ut urbem invaderet, fortunam rursus tentaturus novam in eam expeditionem parabat. Id ubi Joannes Calcaneus, qui tunc Vectiani residebat, per nuncium Guicciardino significavit, ducenti pedites nocte cum universo equitatu emissi, hostem congredi non audentem Parmam versus secedere compulerunt. Per eam aestatem nonnullae Gallorum cohortes a Pontifice adversus Feltrium vocatae Regii ociosius permanserunt, et alia quinque millia Germanorum conducta intra urbem recepta postea in Umbriam ivere. Franciscus Maria Feltrius, quod Hispani sibi a Ferdinando rege concessi revocarentur, certa pecunia uxoris dotis nomine accepta, privatoque patrimonio contentus, Laurentio Mediceo Urbinatium imperium, pacta cum Pontifice pace, dimisit; ablatisque tormentis aeneis atque supellectile et bibliotheca, quam omni librorum copia instructam Fridericus parens condiderat, Mantuam concessit. Itaque post octavum mensem, quam coeptum erat gravissimum bellum finem habuit, in quod octingenta aureorum millia a Leone impensa fuisse ferebantur. Laurentius Urbini Dux declaratus, Magdalena Francisci Gallorum regis cognata uxore accepta, in Galliam ad celebrandas nuptias iturus Regii apud Lucam Fontanellum cum splendidissimo comitatu divertit (1). Galli vero in Galliam cisalpinam reversi partim morbo in itinere consumpti, partim, magno civium

(1) MDXVIII.

nostrorum qui eos alere cogebantur incommodo et impensa, incompositis agminibus per Regienses transierunt. Interea civium factiones non mediocriter urbem suspensam tenebant. Cum vel Zobolos suorum caedem vindicaturos, vel Bebios urbem iterum turbaturos plerique vererentur; vigilantissimi tamen praefecti diligentia, qui utriusque partis consilia explorabat, omnium conatus elusi fuere. Firmo enim praesidio urbe munita, cum se in civilibus negotiis, et controversiis aequissimum judicem et puniendis facinorosis severum criminum vindicem praeberet, nemini novandarum rerum occasionem dedit. Demum ut factiosos radicitus extirparet crebris litteris sollicitatum Pontificem tandem impulit, ut cum Mantuae Principe, et Gallis ageret, ne cui ab Ecclesiae finibus exulanti refugium apud eos pateret. Id per aliquot menses observatum, et nonnulli intercepti, inter quos Posterla quidam Bebiorum assecla captus Parmae, et per inimicos, quibus venditus fuerat, Regium ductus, laqueo suspensus fuit.

Rebus non Regii tantum, sed in universa etiam Italia pacatis, alibi magno cum reipublicae christianae detrimento ingentes tumultus in Saxonia, qui totum christianum orbem perturbarunt, sunt excitati. Eorum auctor fuit Martinus Lutherus ex Augustinianorum Ordine haeresiarchus, qui dum nobile in Saxonia templum condi curaret, superveniens Pontificis nuncius non mediocrem pro templo D. Petri Romae extruendo pecuniam exegit: ita factum est ut, alio conversis nummis, aedificatio retardaretur. Ob eam rem in primis cum nuncio Martinus rixatus, nova postea tradita doctrina, a Pontifice Germanorum animos penitus avertit. Ejus exemplo alii deinde majora ausi absurdiora contra orthodoxam fidem, quae a

plerisque pietatis specie deceptis foventur, impudentius jactarunt. Regii vero Guelphi amicos ad novum aliquod facinus edendum sollicitare non desistebant, inter quos Carolus Caprarius Bernardini filius Canonicus impotentis et ferocis ingenii juvenis, ac rapinae caedibusque intentus in ultimam patriae perniciem conspiravit. Crimen, interceptis litteris, quas ad Cocconium in Sancti Secundi castello degentem scripsit, proditum fuit. Corruptis custodibus nocte socios per D. Stephani portam se introducturum pollicebatur: Guelphos, in quos voluerint animadversuros, et quas optaverint aedes direpturos; sibi vero petebat, ut Situlariorum (1) domum pro ampla praeda intactam relinquerent. Erant isti tres fabri lignarii fratres jam senes, qui tota aetate in cuppis, aliisque ligneis vasis fabricandis consumpta, vulgo pecuniosissimi credebantur: nec ulla ab his injuria accepta, sed sola auri, argentique aviditate ductus Caprarius inexplebili avaritia turpem hanc rapinam sibi deposcebat. Aliqui Pompejum Messorium ad Carolum, cui infensus erat, Cocconi nomine litteras finxisse tradunt. Juvenem vero petulantius rescribentem per epistolam Messorio traditam, et ad Praefectum delatam in gravissimum crimen conjectum, sed quae secuta sunt, rem aliter gestam fuisse demonstrant. Guicciardinus, cognito flagitiosorum consilio, Carolum cum aliis duobus facinoris consciis quamprimum in vincula conjicit. Mox cum rei per quaestiones crimina confessi fuissent, ne quid ex se iniquius committere videretur, convocata curia, ordine rem omnem explicat; litteras, et acta, quibus tormentis eruta veritas continebatur, legi jubet; interrogat, an sontes ultimo supplicio dignos exi-

(1) *Secchiari o Sogliari.*

stiment. Ubi omnes morte plectendos esse censuere, ipse senatus praejudicium secutus, capitis poena condemnat. Idibus itaque juliis Carolum in arce securi percussit; reliquos, quorum alter sacerdos Bernardi Cerati filius, alter Alarius Camunculus fuit, in foro suspensos laqueo necari jussit. Deinde Antonii et Bernardini Bebiorum, Guidonisque Degani aedibus solo aequatis a Fontanellis in Zobolos animum transfert, atque armis illis ademptis, urbis custodiam his committit.

Post haec Laurentius Mediceus ex Gallis cum nova conjuge mense augusto reversus apud Lucam Fontanellum splendide exceptus divertit. Discedentem Vincentius Scajolus cum Dionysio Zobolo, et Luca Fontanello Florentiam usque officii gratia comitatus, postea Scandianum ad Joannem Bojardum se recepit. Id ubi Guelphis innotuit, qui antiqui odii memores et recenti Guicciardini offensa accensi erant, omni arte hostem intercipere conantur. Ad patrandum facinus nova occasio vindictae avidis sese obtulit. Paucis enim ante diebus Vincentius quemdam Petrum Bojardi aurigam contumelia ob levem causam affectum etiam verberaverat. Is acceptam injuriam ulciscendi cupidus, Coccono se facilem in arcem Scandiani aditum ad trucidandum Scajolum daturum ultro pollicetur. Ille tantam opprimendi hostis occasionem non amissurus undique socios ad conficiendum hominem convocat. Constituta peragendo parricidio nocte, quae sexto calendas novembris praecessit, Paulus Bebius in Regiensium suburbia venit, ubi instructissimam ad Mancasale et Casones Zobolorum villam pecoribus omnibus abductis, et ablata supellectili diripit, in viridaria saeviens aedes incendit, et frumentarias molas disjicit. Ab alia parte Cocconus in Scandiani arcem a Petro clam introductus praelatis funa-

libus ad cubiculum tendit, ubi Vincentius cum Leandro quodam uxoris parricidio infami, et Petro Jacobo Melano familiaribus, ac Christophoro famulo cubabat. Luminum splendore ac pedum armorumque strepitu primum proditis hostibus, Christophorus, repagulis, et omni impedimentorum genere apposito, ostium firmat. Leander interim ex fenestra per quinquaginta cubitorum spatium in terram se dejiciens ossa graviter quassavit. Eum Vincentius secutus apprehensa crepidine fenestrae tanta agilitate corporis se dimisit, ut levius cadens modicam laesionem senserit. Cocconus effractis valvis irrumpens, ubi hostem fugisse videt, in reliquos saevit: Petrum Jacobum et Christophorum obtruncat; capsas, scamna, et tabulas ad opprimendos hostes, quos humi jacere putabat, ex fenestra dejicit. Ceterum Scajolus, ut erat nudus, tracto secum Leandro, sub arcis ponte delituit. Leander postea diligenter curatus pristinam valetudinem recepit, donec senex priorum forte scelerum poenas luens in furore vitam finivit. Ob haec patrata facinora rumor erat, Guelphos conjunctis copiis in urbem impetum facturos; itaque cura moenium Zobolis demandata, firmisque ubique praesidiis dispositis ab omni externorum vi tutus populus fuit.

Ceterum illi Ferrariam conversi ut caedes caedibus adderent, in itinere aliud scelus aggrediuntur. Vincentium enim Mariam Gazolum, unicum Alberti filium, dum studiorum causa Bononiam proficiscitur, in ejus urbis et Ferrariae finibus Cocconus per sicarios crudeliter trucidavit; etsi alii a Cambio, qui Marinam ejus sororem uxorem habebat, ut in haereditate succederet, id facinus admissum esse volunt. Lucam etiam Fontanellum, licet neutrarum partium hominem, idem occidere decreverat; sed re parum prospere tentata, irritus conatus fuit: quare

indignatus ille, cum prius verbis et litteris apud Franciscum et Antonium Mariam agnatos factum excusasset, Zobolis se conjunxit. Hi novis viribus aucti, ubi etiam ob Guelphorum crimina Guicciardinum sibi impensius favere intelligunt, Praefecti gratia elati ad novas res tentandas intemperantius feruntur. In Julii enim Bebii, qui a civilibus factionibus abstinebat, necem ob solum in eam familiam conceptum odium temere conjurant; sed is, qua nocte trucidandus erat, quae idus januarii (1) praecessit, Deo innocentem servare volente, forte apud Vicedominos dormivit. Ubi domi hominem non inveniunt, Simone Minghello incitante, Hilarius Zobolus et Jacobus Sessius, Nicolaum filiastrum cognomento Romazotum obtruncant; Juvenalique Busana graviter vulnerato, etiam Alexandrum Bebium in templo Sanctae Mariae a Gratiis, ubi frequentius sacris interesse consueverat, intercipere voluisse feruntur. Verum is cautius latitando hostium conatus elusit.

Ubi hoc quoque minus prospere sibi successisse Zoboli vident, aliud non minus grave scelus aggrediuntur. Franciscus Fontanellus ex Catharina Joannis Jacobi Bebii sorore genitus quamquam sanguine Bebiis conjunctus, a civilibus tamen factionibus abhorrebat, splendidoque vestium cultu potius, et unguentis delectatus, carminibus ad citharam canendis, et magis festivis musis, quam armis studebat. Ceterum opibus abundans cum pecunia, atque consilio cognatos Bebios juvare crederetur, jam fama suspectum Zobolis virum lis interveniens etiam inimiciorem fecit. Ejus enim uxor Beatrix cum sorore Constantina Sigismundi Malegucii conjuge in parentis Antonii

(1) MDXIX.

Zoboli facultatibus successerat, cum ditissimoque patrimonio simul, et opimi sacerdotii, quod sub titulo D. Hieronymi in S. Joannis Evangelistae templo erat, et tum quingentis aureis locabatur, jura obtinuerat: id olim Joanni Andreae Boclacio datum, cum is Mutinae Antistes factus esset, vacavit [1]. Mox Bartholomaeo Sixti Pontificis nepoti traditum, tum vero patronorum suffragiis in Cosmum Pacium devenit. Cum vero Alexander Zobolus ad se eligendi sacerdotis jus pertinere contenderet, et illud Guidoni Deliphei fratri delaturus esset, orta contentio inimicitiarum suspicionem, quae antea concepta erat, in implacabile odium convertit. Auctoribus itaque Alexandro Sessio, et Pompejo Messorio tollendi de medio hominis consilium initur. Id opportunum ad patrandum facinus tempus visum est, quo Guicciardinus abesset. Nec multo post eo forte Mutinam profecto, die, quo D. Blasii templum, quod tunc extra Portam S. Crucis conditum erat, de more populi ad colendam sancti viri memoriam invisurus credebatur, hominem conficere statuunt. Sed cum ille urbe non exiisset, res in proximum dominicum diem post triduum est dilata. Hujus conspirationis incertus rumor ad Franciscum pervenerat; sed ipse, fide verbis non habita, inermis et paucis comitantibus, velut omni timoris suspicione liber proficiscebatur, usque adeo ut etiam ab Hercule Atestino oblâtos stipatores recusaverit. Ut vero dies illi fatalis venit, Simoni Minghello omnium criminum conscio et Bernardino Lippo sacerdoti explorandi loci, in quo rebus divinis sit interfuturus, negotium datur. Sessius abducendi Alexandri Zoboli, ne filii Ludovici consilia intelligat, provinciam suscipit. Id ubi ex sententia

(1) C. cum in cunctis de elec.

successit, Minghellus, et Lippus Franciscum in D. Prosperi templo esse nunciant. Eo Ludovicus statim cum sociis armatus accurrit, et simul atque sacerdos Domini calicem in altum sublatum deposuit, venerabundum Franciscum tribus in gutture, et duobus in capite vulneribus illatis et cum eò ipsius familiarissimum Baptistam Malegutium virum probitate insignem interfecit (1). Joannem quoque Galleacium Malegutium Alexandri filium, qui ibi forte inventus est, adolescentem graviter vulneravit. Inde domum reversus, inscenso confestim equo, per portam cruceam, vi custodibus illata, evasit. Alexander ejus pater, qui tum Sessii arte in D. Dominici templo cum ceteris antiquioribus Zobolis sacris intererat, audito scelere incredibili dolore consternatus in aedes se recipit. Ibi nati audaciam, et Malegutii, quem maxime dilexerat, casum, et suam, quod Praefecti saevitiam maxime timeret, calamitatem infelix senex deplorat. Guicciardinus re cognita postridie Mutina Regium advolat, Zobolosque omnes, Messorios, et reliquos facinoris conscios citat. Illi an Praefecti severitate temere se committerent, diu deliberabundi substitere; tandem cum bonorum publicationem, et militum, populique sibi graviter infensi vim timerent, parendum putant. Ubi in arcem venere, adsunt Fontanelli facinoris atrocitatem multis nominibus exaggerantes, virum ab omni seditione alienum, innocentem, religioni intentum, medio in templo, ac in ipsius sacerdotis, et Christi oculis, et ab his qui nunquam ab eo laesi fuerant, per insidias impie crudeliterque trucidatum criminari; parricidio parricidium cumulatum addita etiam immerenti adolescentulo vulnera, nullam aetatis, innocentiae, hominum

(1) Sub initium mensis februarii.

vel religionis rationem habitam fuisse queruntur. Proinde orare, ut paucorum poena, multorum audaciam comprimat, inexplebilem factiosorum libidinem, quae jam nec modum, nec finem inveniat, saluberrimo exemplo fraenare velit. Guicciardinus primo reum quemque per se diligenter interrogat: deinde ceteris dimissis ex Zoboli Basilium S. Nicolai Praepositum et cum Hippolyto filio Alexandrum Pompejum Messorium, Bernardinum Lippum sacerdotem, et Simonem Minghellum retinet. Omnes aliquamdiu durioribus tormentis frustra cruciati, quarto tandem die Lippus et Minghellus quaestionibus victi totius conspirationis veritatem denudant. Proditus Alexander Sessius urbanius citatur; qui etsi amicis admonentibus, ne se irato, et truci Praefecto committeret, ut erat confidentissimi ingenii postridie se in carcerem temere conjecit. Animum addebat generis nobilitas, et quod Jacobi Triultii summi in Italia Gallorum ducis, cujus erat cataphractus, rationem habendam crediderat. Verum nulla sanguinis, aut amicorum gratia sibi opitulante, tormentis subjectus rem omnem aperuit: idem et Messorius egit, qui jurium studiis operam navans etiam falsas Cocconi nomine ad Carolum Caprarium litteras scripsisse confessus esse dicitur. Basilius vero quod discedenti Ludovico equos commodasset, et ejus famulus Petrus Bombertonius, qui pridie quam parricidium ederetur pugionem exacuere visus erat, saevissimis tormentis durius excruciati nihil prodiderunt. Hippolytus quoque quod Ludovici majoris fratris consiliorum particeps haberetur, in quaestionibus constans crimen purgavit. Per eos dies in urbe maxime trepidatum est, ne rursus Bebii novam caedem ulturi civitatem invaderent, vel Morottus vinctos liberaturus intra moenia irrumperet; qui Zobolorum nunciis sollicitatus ad quartum ab

urbe lapidem venit; sed Praefecti vigilautiam, et civium ad sua defendenda magnam alacritatem iuveniens, ultra progredi non est ausns. At Nicolaus Sessius de fratris salute sollicitus, cum Guicciardino paciscitur, ut pro Ludovico Zobolo quem Rolli commorantem se traditurum pollicebatur, Alexander dimitteretur; sed dum promissa exequi simulat veredis Florentiam ad Laurentium Medicem cnrrit, ut fraterni erroris impunitatem impetret. Verum Guicciardinus ut erat ingenio sagax, et calliditate nemini secundus, Nicolai arte cognita, ultra poenam non esse differendam censet. Itaque sequenti nocte [1] Sessio et Messorio in arce obtruncatis, capita summo mane in area ante arcem cum truncis populo spectanda exposuit. Minghellus quoque et Lippus laqueo necati, ex arcis moenibus nrbem versus sunt suspensi. Sumpto de sontibus supplicio, ceteri, qni innocentes visi, ne aliquem in urbe tumultum suscitarent, Bononiam sunt relegati. Hi fuere Alexander, Nicolans, Basilius, Dionysius, Hilarius, et Anselmus Zoboli, Baptista, Andreas, et Albertus Messorii, Falchettus et Aurelius Fossii. Sessii, qui antea etiam Praefecto ob alia erant invisi iu suum castellum Rollum concessere. Pedagogus cui sacerdotium datum erat, tantorum tumultuum timore perculsus, nec se intra lares tutum arbitrabatur: quare funestas divitias damnaus, certa pecunia accepta, jura sua Alexandro Zobolo sponte cessit. Civium rebus jam plurium sanguine ita pacatis, tandem de pace inter omnes agitari coepit. Ob id triduum ad placandam divini numiuis offensam supplicationes a cunctis ordinibus per totam urbem actae: demum Hercule Atestino pro Bebiis, et Joanne Bojardo pro Scajolo et

(1) Die XIX februarii.

Zobolis agentibus, ingenti omnium gaudio pridie idus julias laetissima pax inter utriusque factionis homines est inita. Hora ferme diei, qui jovis fuit, vigesima prima imminebat, cum publicata civium concordia, majora, minoraque aenea tormenta displosa, campanarum, tubarumque sonitus cum crebris acclamationibus et ignibus per urbem publicam laetitiam expresserunt. Revocati alii qui relegati fuerant, Paulus et Bernardinus Bebii, Cocco, Gajonus, Paulus Cossellius, Antonius Pataracius, Joannes Jacobus Cremonensis, et Andreas Calcaneus, qui Gozadini neci interfuerant, urbe extorres permanserant. Betolla autem, quod nimiam Cocconi superbiam confidentius reprehendisset ab Antonio Sablone, et Lazaro Zenone Rivaroli non multo ante obtruncatus fuerat. Ita variis tumultibus rixisque diu afflicta civitas, vix tandem visa est respirare.

In montibus vero majores turbae excitatae, agrestes homines in majora pericula, extremumque exitium conjecere. Guicciardinus qui nimiam licentiam Morotti amplius ferre non poterat ad eum opprimendum quasdam militum copias mittit; quibus profligatis, alias longe majores ire jubet: sed his quoque turpiter fugatis, quantacunque potest ex finitimis urbibus, et oppidis militum manu contracta, nec paucis ex plebe et Guelphis Regiensibus nomen profitentibus, omnibus copiis praefectum Antonium Mariam Fontanellum cum aeneis tormentis, aliisque militaribus machinis ad exterminandos latrones contendere praecepit. Morottus cum tanta virorum multitudine aperto praelio dimicare non ausus, relicta domo, cum paucis in summis alpibus aut densis nemoribus, prout opportunius videbatur, longe delituit. Interdum vero extremum hostium agmen infestare, dispersos cae-

dere, et procul sagittis confertissimos quosque confodere, quandoque etiam mutato habitu ignotus in mediis hostibus eorum consilia explorare. At nostri ut nulla erant militari disciplina instructi, ubi eum abesse intelligunt, ad praedandum conversi, nullum quod non committant flagitii genus praetermittunt. Morotti domum in primis solo aequant, montanorum agros incendunt, pecora abducunt, aedes diripiunt, virgines nuptasque flagitiosissime constuprant, càptos denique pauperes omnibus contumeliis affectos dimittunt. Quae res cum non modicam in Regienses invidiam conflaret, etiam effecit, ut vulgo ad Morottum agrestes confugerent, eumque patronum, et parentem salutarent. Guicciardinus ubi armis hominem opprimere non potuit, publicum hostem pronunciat, et mille aureorum praemium vel capienti, vel occidenti edicto promittit. In eodem etiam numero habendos esse eos denunciat, qui illum receperint, opibus, consiliisve juverint; sed non multo post (qua de causa incertum) mutata sententia ipsum montanae regioni praefecit, ejusque aedes instaurari, et quae inveniri potuerunt, bona restitui jussit. Ferunt aliqui illum ad Julium Medicem legatum Pontificium profectum causae suae juribus probatis montium praefecturam promeruisse.

Novus interea casus civiles discordias iterum suscitavit. Ex Hieronymi Fossae liberis, Alberto in primo tumultu caeso, duo superstites filii relicti fuerant, Alexander, et Aurelius: is mitioribus musis vacabat, philosophiaeque, et hebraici idiomatis studiosus etiam componendis materna lingua carminibus maxime oblectabatur, saepiusque in diversae factionis homines versibus magna cum amicorum voluptate jucundius ludebat, et ob id eis carior habebatur. Alexander vero veneri turpius deditus cum

Ferrariae forte apud filium Petri Mariae Petrati, qui Regium in civilium turbarum initio gubernaverat, sibi familiarem diverteret, contra christianae legis, et amicitiae jura hospitis uxorem ad stuprum sollicitavit. Scelere per conjugis delationem cognito, maritus animi gratia Alexandrum rus ducere simulat, ibi navi exeuntem adortus stricto gladio obtruncat. Re in urbem relata, Guicciardinus id Guelphorum opera patratum suspicatus Antonium Mariam Fontanellum, aliosque ejusdem factionis homines verbis acerbius castigatos dimisit: sed non multo post cum vera caedis causa cognita esset, blandius appellatos, et quod laetam pacem sancte colant laudavit. Sequenti anno (1) ipse Florentiam revocatus Regii suas vices acturum Jacobum fratrem reliquit. Robertus Messorius absentia Praefecti novandarum rerum occasionem nactus, socios clam convocare, falsos rumores serere, et occulta consilia quotidie inire coepit. Itaque ejus nomen a nobili cive delatum fuit. Vocatus cum non veniret, Zoboli omnes in arce sunt detenti, et Lucas Fontanellus, qui tum forte Mutinae versabatur, custodiae traditus est. Omnes postea Bononiam cum Vincentio Scajola relegati, praeter Lucam Fontanellum, qui ob mortem Stephani patrui post sex menses reditum impetravit, extra patriam usque ad obitum Pontificis permanserunt.

Ceterum in montibus Morottus otium non ferens sub finem anni, capto custode et alio nobili Sessio e Castello Dardo, Carpineti arcem occupat. Guicciardinus rei atrocitate commotus undique ex vicinis oppidis et plebe collecto milite Hieronymum propinquum cum aeneis tormentis ad opprimendum hominem mittit; sed illi pagis

(1) MDXX.

montanis direptis (quae nunc egregia merentium, sunt facinora) frustra tempus contriverunt, donec per Ramaciotum Bononiensem quibusdam conditionibus arx est reddita. Morottus Bernardi Rubei episcopi, qui Bononiae Legati vicibus fungebatur, liberali stipendio, ut miles retentus, nec se, nec Vitalem fratrem Carpinetum reversuros, vel Bononia exituros promisit. Verum Vitalis ingenio indomito in omne facinus temere irruens domum rediit, ubi cum nonnullos Guicciardini satellites contumelia Ciani, olim Sejani, affecisset, orta rixa, vix evadere potuit. Id ubi Dominicus frater rescivit, pactorum contemptor, et ipse Carpinetum reversus fratri infensos satellites in Cervareciae villa equis, armisque turpiter spoliatos dimisit. Rursus [1] eo missus Hieronymus Guicciardinus, Morotti, qui in altos, et praeruptos montes fugit, domum iterum funditus evertit; ipsum vero facinorum auctorem in unum, et alium montem transfugientem nunquam assequi potuit. Quod igitur supererat, et ipsi milites maxime exoptabant, ad stupra, rapinas, et incendia convertuntur. Tandem Joannis Francisci Corrigii, Sigismundique Carpensis, et Lucae Fontanellae opera, Guicciardinus iterum Morotto, qui fuga insequentes eludebat, vel invitus conciliatur [2].

Defuncto interim cum uxore Laurentio Medice cum regiae affinitatis jura exolescerent, Leo Placentiae, et Parmae recipiendae, quas Galli impotenter eripuerant, animum adjecit. Ad id eum acrius inflammavit grave jam, et non amplius ferendum Italis Gallorum jugum, qui magna Lotrechi superbia universorum Insubrum in

---

(1) MDXXI.

(2) Die XVII februarii.

se odia concitaverant, et totius etiam Galliae cisalpinae sacerdotia, contempta Pontificis majestate, plerumque indignis hominibns deferebant; nec contenti Insnbriae finibus, de occupandis qnoque Ecclesiae urbibus cogitare credebantur. Leo igitur qui Gallornm armis minime fidendum existimabat, ac de recipiendis ereptis civitatibus maxime laborabat, cnm Carolo, qui nuper Caesar declaratus erat, percusso foedere primum de expellendis Mediolanensi principatu Gallis, Franciscoque Sfortia in paternam ditionem commnnibus armis restituendo consilium coepit. Itaque octo millia Helvetiornm conduxit, qui dnm Regio in Picenum, mense aprili, transeunt, magna cnm disciplina et modestia, in civium aedibus sunt diversati. Ex his duo tantnm millia retenta, alii longo otio fracti, dum messes factnri, pridie calendas majas, domum revertuntnr. Quindecim diebns quibus Regii sunt commorati, octingentas vini cuppas absorbuisse feruntur, ac centum quinquaginta aureornm millia in eos inutiliter consnmpta fuere. Ceterum Leo, qui causam belli contra Gallum quaerebat, tutissimnm omnibus Mediolano proscriptis in Ecclesiae nrbibus refugium concessit. Qui sub Hieronymo Morono statuto die Mediolani fines adoriri debebant. Gnicciardino vero decem millia aureorum Roma missa, ut tria millia peditum conscriberet. Plurimis igitur exnlibns Regium certatim confluentibus, Galli, ubi ob hanc novitatem Pontificis fidem suspectam habuere per fraudem occupandi Regii consilium inierunt. Quare clam copiis Parmae contractis se de communibus Pontificis, et Gallorum rebus colloqui velle cum Guicciardino simulant. Sponsione hinc inde facta de injuria neutri parti inferenda, Lescutus Lotrechii frater, die, quo Joannis Baptistae ortus celebratur, summo mane cum sexcentorum

equitum ala Regium advolat. Ubi ad Divi Geminiani templum pervenit, quod tunc in nostris suburbiis Parma venientibus occurrebat, triplici facta acie duas dextra, et sinistra dimissas, quavis via urbem adoriri jubet, tertiam ipse apud se retinet, Guicciardinumque ad colloquium vocat. Facta ad D. Stephani portulam dicendi potestate, Lescutus equo descendit, longaque oratione, ut urbis praefectum distineat, exules contra foedera ab eo recipi queritur. Interea Bonvallis unum ex eorum ducibus cum cataphractis vi ingredi·conatur. Porta statim magno impetu clausa, a civibus, qui per moenia Guicciardini vigilantia dispositi fuerant, et militibus, qui ea nocte ex Mutinensibus venerant, facile propellitur. In eo tumultu Alexander Triultius aenea glande percussus, intra biduum occubuit. Lescutus quoque ipse tormentis aeneis sublatus esset, nisi colloquentem Guicciardinum offendere timuissent. Illum vero repentino rumore perculsum, et quid agendum sibi esset incertum, Guicciardinus in urbem perduxit, ac ab omni imminentis periculi metu liberavit. Alii qui ad sinistram se verterant equites cum per cruceam portam, ut mandatum erat, irrumpere conarentur, ab his qui praesidio erant pulsi per viam, et agros relictis armis in fugam effusius se dedere: et cum Lescutum, qui in urbe receptus erat, captum esse fama Parmam usque detulisset, ceteri qui aliis portis vim inferre voluerunt, et ipsi turpiter repulsi fuere. Guicciardinus etsi Gallorum perfidia non mediocriter commotus, ut datam tamen fidem servaret, illaesum Lescutum dimisit. In animo habuerant Galli captam urbem diripere, et eam, caesis exulibus, suo imperio adjicere. Fugientes ad Niceam flumen Fridericum Gonzagam Botioli principem pedestribus Gallorum copiis praefectum cum mille peditibus sibi

snbsidinm allaturum obviam habuerunt; qui ubi irritum sociorum conatum fuisse intelligit, ut aliquid egisse videretur, equitatu magnis precibus retento, Copriacum occupat, ubi magno cum incolentium detrimento novem diebus castra habuit. Demum vel jussu Francisci Regis, ad quem Regienses graviter rei novitatem detulere, vel alia ratione motus Parmam, relicto castro, rediit.

Leo cognita Gallorum audacia de eorum injuria in fratrum senatu cum legato Francisci Regis questus ipsum Ecclesiae finibus exire jubet, et bellum contra Gallos decernit. Prosper Columna rei militaris disciplina nemine secundus, ex Campania accitus, omnibus copiis cnm imperio praeficitnr. Thomas vero Foissejus et Lotrechius cum fratre Lescuto, quod urbem Regii invasissent, salemque Pontificis in Mediolani principatu intervertissent, ac quornmdam sacerdociorum fructus temerario ansu usurpavissent, diro anathemate percussi fuere. Prosper Columna, consiliis omnibus cum Mediceo legato Pontificio Florentiae communicatis, Bononiam arma expediturus venit. Ibi Pontificis copiis Friderico Gonzaga praefecto et Guicciardino castrorum curae proposito summus ipse omnium arbiter erat constitutus. Majora aenea tormenta Arimino educta, et Regium mille peditum praesidio sub Ramaciotto duce, et ala equitum sub Guidonibus, Rangono et Vajno adversus Atestinorum arma est munitum. Hi religiosorum sumptibus ut plurimum in coenobiis sunt hospitati: omnibus tandem Neapoli et Florentia copiis evocatis, nniversoque Bononiae exercitu explicato, dux ipse Parmam versus discedens in Regiensium suburbiis ad portam cruceam castra posuit. Plumbini Princeps, Joanninus Medices, Vitellius Ursinus, et Gnido Rangonius singuli centenos cataphractos, aliosque ducentos equites

cum millenis peditibus regebant. Laurentius Cibous ex sorore Pontificis nepos quinquaginta cataphractos ducebat. Ascanius Columna, Petrus Aloisius Farnesius, et Guido Vajna singuli centenis levis armaturae equitibus praeerant. Dux Zuccarus mille pedites, et centum equites, et Aloisius Gonzaga quinquaginta equitum turmam habebat. Sub Hieronymo Guicciardino quadringenti quinquaginta pedites, et sub Bernardino Carrario trecenti militabant. His additi erant bis mille quingenti Helvetii cum pluribus Hispanorum copiis, quae nuper ex Hispania tredecim majora aenea tormenta, et sex minora advexerant. Hos ingens curruum numerus magnam tormentarii pulveris et ferrearum pilarum copiam vehentium cum aliis impedimentis sequebantur. Cum semel in Regiensibus pernoctassent, mane abeuntes ad Niceam flumen, donec novae copiae Neapoli adveniunt, per tredecim dies castra habuerunt. Demum collectis vasis inter viam regiam et coenobium montis Oliveti castrametati Parmam obsederunt, ubi contritis moletrinis aquas ex Parmensibus divertere conabantur. Post octo dies Fridericus Gonzaga octingentos pedites, sagittarios ducentos, et quinquaginta cataphractos, quatuorque minora aenea tormenta adduxit. His alii trecenti cataphracti et bis mille Hispani Neapoli supervenere, donec universi numerum duodeviginti millium implevere. Galli velut rerum domini, omnia Parmensium bona sibi usurpaverant, civibusque armorum usu adempto, ac quatuor portis obstructis, paucas pilas aeneas ex tormentis, nemine laeso, in hostes emiserunt. Interim nunciatur decem millibus Germanorum quae a Caesare Pontificiis in subsidium mittebantur viam a Venetis praecludi. Jussus igitur Guido Rangonus cum expeditis mille peditibus, trecentisque cataphractis, et totidem levioris arma-

turae equitibus, et Piscarius Hispanarum copiarum praefectus cum mille et quingentis peditibus trecentisque equitibus ad educendum in tutum auxiliarium militem properare. Sed cum Veneti liberam transeundi facultatem permisissent, Piscarius reversus cum quibusdam copiis, et duobus Corsicorum vexillis in suburbiis nostris pernoctavit. Tanta disciplina ea regebantur, ut plurimi ex nostris civibus, aliisque finitimis urbibus, etiam cum pueris per armatos libere incederent, nullaque accepta injuria illa saepius inviserint. Contra Galli crebris injuriis Regienses afficere non desistebant, quorum equitatus duo aenea tormenta Regio in Pontificis castra ducta intercepturus exierat. Ubi a praeda aberravit ad pontem Sorbolae inventum Perinum Pratonerium Regiensem cum nonnullis armentis trucidarunt. Inde in suburbia nostra delati etiam Alexandrum Cassolum intempestive rure revertentem captum trecentis postea aureis acceptis dimiserunt. Ubi haec in castra sunt relata, retroactis tormentis, Guido Vajnus, ut tutum iter euntibus esset, cum centum equitibus Regium venit. Non ideo tamen perterriti hostes rursus in Regienses populabundi crebras incursiones faciebant. Semel vero magno ex villa Roncinae abacto pecorum numero dum abeunt, pulsatis nolis, Regii ad arma conclamatur; illos Parmam celeriter recurrentes cives usque ad Masonem secuti nemine invento moesti domum revertuntur. Verum ducenti equites levis armaturae a nepote Prosperi Columnae per Regienses in castra deducti, atque alii qui viam regiam percurrerent, commeatus tuto Regio quotidie ad exercitum vehendi facultatem praebuerunt. Demum dejectis aeneorum tormentorum impetu Parmae moenibus, Galli ultra Parmam flumen alteram urbis partem defensuri se receperunt, et Pontificii a civi-

bus acciti magno impetu deserta loca occuparunt. A militum manibns temperari non potuit, quin octavo die, quo Virginis nativitas celebratur, vix feminis intactis relictis omnia profana sacraque avarissime diriperentur. Sed cnm Lotrechius Lescnti frater magno cum exercitu adventasse diceretur, Pontificii ad D. Lazarum Regium versns retrocesserunt. Ab alia vero parte cum Finale et S. Felicis castella ab Alponso Atestino capta nunciarentur, Guido Rangonus ut paria faceret cum octingentis Helvetiis et ducentis equitibus Frignani ignobilia castella occnpat. Nonnullos praeterea Gallos, qui praedam ex Regiensibus agere non cessabant, rustici trucidarunt. Tandem exercitu hostium Cremonam deducto, Regii timebatur, ne Galli in urbem irruerent. Itaque clausae quae Parmam respicinnt portae, aggeres secundum Crnstumium extrui, praesidia nbiqne disponi, et cives post horam noctis secnndam domo exire prohibiti. At Vitellius cum bis mille Helvetiis, et quinque millibus Italorum, cataphractisqne centum quinquaginta, et aliis equitibus trecentis, adjuncto sibi Ramaciotto, Mutina movit, fusoque Atestinornm exercitu, quem Carpianus ducebat, Bondenum et Finale oppidum recepit. Quo tempore post frequentissima fulgura, et tonitrua, circa octavam noctis horam magno cum totius civitatis tremore Hercnlis Atestini aedes Thomae Cambiatori contiguae et aliae monacorum S. Prosperi, qnae D. Petri templo adjacebant, de coelo tactae fuerant. Eadem nocte Petrus Jacobus Verminescus cnm quingentornm proscriptorum Mediolanensium cohorte ducentorumque equitnm ala proditnm iri sibi Placentiam frnstra sperans Regium divertit. Alii praeterea dnces cum plurimis copiis in dies crudescentis belli necessitate postulante per Regienses non sine magna civium injuria transierunt, quos longum esset referre.

In montibus vero latrocinantibus Morottanis nulli tutum iter erat, passim caedes fieri, ex Hetruria Regium venientes spoliari, pecuniaque a ditioribus montium incolis extorqueri. Morottus ubi facinora in suam invidiam converti cernit, ad Guicciardinum, quem sub nulla fide publica unquam antea adire voluit, magno ausu in castra contendit: rapinas, se inscio, aut invito committi, nefandasque caedes perpetrari queritur: si praefectura montanae regionis sibi committatur, facturum ut omnibus, quo velint, commeandi tutum sit arbitrium, et Morottum non rapinarum auctorem sed hostium tantum ultorem esse intelligat. Guicciardinus in proximos conversus eum sibi haud rusticum videri dixit; ulciscendique hominis consilio in opportunius tempus dilato, quod tum gravioribus negotiis occupatus innumeros latrones perdere non posset, petitum magistratum per mensem concessit. Ille non multo post aliquot captos Regium laqueo necandos misit, et Valletemporios latrociniis deditos, qui Petrum Camegnonum montanum facibus domui illatis cum liberis combusserant, ab aliis gravioribus facinoribus prohibuit. Ceterum ipse Herculem Canussium Montisvetri dominum apud S. Pauli oppidum inventum hostem trucidavit. In urbe vero nonis novembris quatermille Helvetii per civium domos divisi decem diebus praesente aere omnia liberaliter mercati, non mediocrem pecuniam civibus reliquere. Plus centum enim in inferiori fori parte paratae mensae, quas cum plurimi in quintam noctis horam magna ciborum copia protracto convivio vescerentur, non modico lucro caupones ditabantur. Mox alii Bondeno supervenere Helvetii, et cum magno equitatu quater mille Itali, qui, sexcentis tantum militibus ad urbis nostrae praesidium relictis, in castra contenderunt. Inter utriusque partis

duces convenerat, ut rusticis semina jacturis intacta armenta relinquerentur, sed milites, qui a rapinis abstinere non poterant, plura Parmensium abacta pecora in Regiensium nundinis distraxerunt, quae cives dominis de injuria conquerentibus ex bona fide restitui curarunt. Tandem Hispani per cloacas Mediolanum ingressi Pontificios introduxerunt. Laus quoque Pompeja, Ticinum, et Placentia pari felicitate occupatae fuere. Itaque Galli, quorum superbia et barbara crudelitas omnium in se odium converterat, Novumcomum se recepere. Regii ignibus, tubis, nolisque concinentibus, ob res prospere gestas ingens laetitia populi est declarata. Mox cum Parma Galli discessissent, liberi cives relicti Vitelio se dediderunt, quo profectus Franciscus Guicciardinus revocatis exulibus ejus urbis statum composuit. Ceteri qui Mediolano parebant populi Pontificis, Caesarisque fidei certatim se commiserunt. Quare Franciscus Sfortia, Parma et Placentia Ecclesiae restitutis, Insubrum imperii principatum obtinuit. Ceterum non diu victoria laetatus Leo post calendas decembris circa horam noctis septimam arthritico morbo necatus decessit; etsi alii eum veneno sublatum affirmant. Cardinalis Mediceus, et Sedunensis Helvetius dum ad novum creandum Pontificem Romam currunt, Regii in campanae caupona diverterunt, ubi in cubiculo pallatis vestibus se apud ignem prostraverant, et donec cibum caperent, in speciem luctus diu in solo jacuerunt.

In urbe vero nostra etsi sopitae civiles discordiae esse videbantur, ad omnem tamen dimovendam turbam utriusque factionis homines, qui audita Pontificis morte redierant, rursus exire jussi fuere. Ex Gibellinis Alexander cum Gallasio filio, et Anselmus Zoboli, Lucas Fontanellus, Alexander Messorius, aliique Scajoli fautores disces-

sere. Ex his vero qui Bebiorum studiosi videbantur, Jacobinus Fontanellus, Petri Antonii Fiastri filii, et cum aliis quibusdam Prosper Parisettus ejecti fuerunt. Jacobinus S. Martinum ubi Nicolaus Calcaneus degebat infaustis auspiciis se contulit. Post paucos enim menses ex contentiosa verborum altercatione ad arma venerunt, occisoque Jacobino, Nicolaus quamquam natandi ignarus castelli fossa superata evasit. Cum urbs interim deductis foveis et extructis aggeribus muniretur, Franciscus Guicciardinus trecentos cives Carpinetum ad opprimendum Morottum misit, quo non invento, ejus et Valletemporiorum aedes solo aequatae fuerunt. Romae vero non sine Patrum dedecore, qui numero quadraginta in conventu mutuis conviciis se lacescentes novi Pontificis electionem protrahebant, omnium de rebus Ecclesiae solliciti animi tenebantur. Fridericus Gonzagus Ecclesiae copiarum praefectus ubi rem differri videt, calendis januariis (1) Monticulum venit, et cum quadrigentorum equitum ala in urbe hyberna petiit. Ei cives et intestinis et externis malis afflicti aegre consenserunt ut in proximis pagis privatorum sumptibus hyemaret. Ex his ducenti pedites ea conditione intra moenia recepti, ut infelicium civium impensis alerentur, qui tandem, ducentis et triginta aureis acceptis, discesserunt. Inter haec quinto idus januarii Adrianus, quem postremum Leo Cardinalem fecerat, Caroli Imperatoris praeceptor, quamquam absens Pontifex renunciatur. Is et litteris et morum probitate insignis summa semper aequitate Hispanos aliasque provincias praefectus rexerat: sed quod genere Batavus sedem apostolicam ultra montes traslaturus putaretur, aut certe nunquam Romam ventu-

(1) MDXXII.

rus, non admodum grata Italis haec electio fuit. Dum vero ejus in Italiam adventus expectatur, Cardinalinm coetus Albertum Pium Carpiorum Principem cum ducentis peditibus, et sexaginta equitum ala Regio praefecit, qui Leonellum fratrem suo nomine urbem recturum misit (1). Is, Jacobo Gnicciardino mane discedente, circa horam vigesimam a civibus benigne in speciem honoris, sed non libenti animo, exceptus est. Cum enim Morotti se antea studiosissimum ostendisset timebatur ne ille in urbem veniret, ac novis suscitatis tumultibus pene sanata odia exulceraret, qui licet intra moenia receptus non fuerit, Praefecti cum gratia fretus nonnullas extra urbem turbas concitavit. Inter alios ejus capitales hostes Bonjoannes Albinea oriundus paulo ante fratrum opera patrium castellum occupaverat, et cum Donino Paclono a Rodellia et Sessiis, qui castellum Dardum ad Gabellum tenebant, plnres suae factionis socios convocarat. His stipatus apud Vianum Caesarem a Valle Morotti affinem, domi ut opprimeret, armatos circumire jussit, et igne injecto, cum jam aedes conflagrarent prope erat ut miser combureretur, nisi excitns Morottus cum fratre Vitali auxilium propinquo opportune ferre properasset. Bonjoannes cum eo imparibus armis congredi non ausns, hosti liberam exeundi potestatem fecit. Morottus ut praeter opinionem praedam sibi e manibus elapsam videt, alia via fugientem intercepturus copias colligit, ac castellum Dardum, ubi cum Paclonio et centum sociis Sessii degebant, obsidere coepit. Commeatu intus deficiente propediem inclusos in potestate habiturus erat, nisi Leonellns per tubicinem eum arma deponere et ad se Regium venire jussisset. Ille mandatis

(1) Die XIV martii.

obtemperans, sine stipatoribus pacatus affuit. Sed vix horis duodecim pernoctaverat, cum ab infensissimo inimico Donino Paclono aedes Manfredi Rascatii, in quibus ipse Carpineti habitabat, cum fenili incensas fuisse audit; itaque statim negotiis omnibus ommissis rursus castellum Dardum obsessurus nongentos socios contrahit. Coepto praelio jam terni utrinque ceciderant, cum rursus a Leonello mandata afferuntur, ut utriusque factionis duces armis depositis Carpum contendant. Eo nuncio etsi sedatus est tumultus, non paucorum tamen pauperum bona sunt direpta. Morottus igitur Paclionus et Bonjoannes ad Albertum Pium profecti, Hercule Atestino, qui eo prius venerat, auctore usque ad D. Joannis natale inter se inducias fecerunt. Ceterum mense majo subsequente Morottus Albineam ingressus, bonis tantum Bonjoannis ablatis, et turrim in quam se recipere consueverat cum aedibus Manfredorum combussit. Ibi Scaeva quodam viro nequissimo incendio consumpto, alius latro captus Regii supplicio affectus est. Magnam in eo facinore temperantiam et animi magnitudinem Morottus ostendit, qui inventam Bonjoannis uxorem et filiam singulari pietate intactas dimisit. Nec multo post Philippo Mariae Roscio, qui Pallavicinorum factione cum fratre Bernardo Episcopo paternis opibus quadraginta annis caruerat, cum ducentorum peditum vexillo opem tulit. Basilicam novam in Parmensi agro ad montium radices castellum vi espugnavit, quod postea a Joannino Mediceo receptum fuit. His actis infensissimum hostem Cattum a Castagneto de medio tollendum esse existimavit, qui et ipse in Frignanis Mutinensium montibus collecta agrestium manu tyrannidem exercebat, et Guicciardini etiam copiis contra se adductis antea auxilio fuerat. Undique igitur magna montanorum

collecta manu per Hetruriam, ne adveniens audiri posset, copias transmisit, ac rursus cis apenninum nocte, qua Assumptio in coelum Virginis celebratur, clam in Frignanos traduxit. Parte in insidiis collocata, ipse sexaginta sociis stipatus ad Fanum castellum dormientem inimicum improvisus opprimit, et cnm sacerdote filio atque aliis viginti quatuor hominibus trucidat, omniumque aedes suis diripiendas, et aliquas etiam igne incendendas tradit. Inter alios in eo tumultu Joannes et Jacobellus Paclioni adversae factionis principes obtruncati fuere. Multis gregibus, ingentique praeda capta, dum revertitur, Panciadici ex Pistorensibus montibus serum Catto auxilium ferunt. Miserando sociorum casu audito, quod supererat Morottum secuti Corneti inclusum obsident. Qua re Ramaciottus intellecta ducentis peditibus, totidemque equitibus Bononia eo trasmissis obsidione amicum liberavit. Cum enim antea Bentivolis hostibus Bononiam repetentibus cum montanorum manu Cattus affuisset, eo tempore opportunam ob trucidatum hominem inimicum gratiam Morotto retulit; qui gratulabundus domum reversus nova ceterorum hostium caedendorum occasione oblata ad aliam se expeditionem paravit. Ad expugnandum enim Thebaldum Sessium, qui a Leonello frustra vocatus, intra castellum Dardum se continebat, cum aeneis tormentis ingenti gaudio mittitur. At ut aliquis homini ad susceptam provinciam obeundam honos additus videretur, Vitali fratre Castelli novi in Regiensibus praeturam adepto, ipse universae montanae regioni praeficitur. Alexander et Nicolaus Zoboli cum Vincentio Scajolo, et Alberto Messorio duorum millium aureorum sponsione facta, eum justum judicem futurum promiserunt. Ubi igitur castellum Dardum Morottus pervenit, quamprimum quassatis moenibus ad

deditionem Thebaldum compulit, et castellum Gothifredus Sessius agnationis jure postea obtinuit. At Valletemporii latrociniis intenti impedimenta Laurentii Cyboi Massam ad uxorem deferenda diripuere. Regienses vero assiduis militum itineribus quotidie vexabantur. Joanninus enim Medices qui paulo ante cum delectis ducentis equitibus, et bis mille peditibus in Regiensibus fuerat, ut erat ferocis et contumacis ingenii, agrestes homines variis injuriis, et damnis misere afflixit. Placentiam tandem se contulit, sed cum petitum a Duce Mediolani stipendium non obtinuisset, ad Gallos, etsi a plurimis tum equitibus tum peditibus desertus, transiit. Praeter privatorum incommoda ipsa etiam nostra respublica, ut rapaces milites averteret, aliqua pecunia avaros ducum animos placare cogebatur. Ac inter alios Joannes Gonzagus, qui ut ejectos Bentivolos reduceret, cum quatuor millibus hominum Bononiam profectus, a Ramaciotto, et Gozadinis turpiter repulsus erat, non modico auro a Regiensibus accepto (1) discessit, et Mantuam versus iter vertit.

Ceterum Adriano Pontifici Romam venienti omnium Italiae principum legati gratulatum conveniunt. Inter alios Hercules Alphonsi Atestini filius cum ducentis peditibus a parente missus Regium, et Mutinam urbes sibi anteriorum Pontificum injuria ablatas restitui postulavit. Cui Adrianus: si quae parentis tui, inquit, juris esse dicis vacante sede recepisses, facilius confirmare possem; sed quod Ecclesia possidet, ne spoliari videar, nulli sum traditurus. Haec verba ab Alphonso diligentius excepta, quid sibi defuncto Pontifice agendum esset, opportune monuerunt. Interea Prosper Columna copiarum suarum partem

(1) Secundum aliquos fuerunt aurei xxv.

sub Joannino Medice magno civium incommodo hybernaturam Regium misit. Praeter tectum, stramenta, supellectilem, et ligna, quae militibus suppeditabantur, singulis cataphractis quotidie quindenos asses Mediolanenses, aliis levioris armaturae equitibus dimidium ejus stipendii solvere cogebantur. Montani vero facinorosorum hominum opera contumaces facti sibi assignatos milites expulerunt. Quare decuriones decreverunt, ut qui ex illis Regium ad nundinas venissent pignerationis causa detinerentur. Ob haec consilia illi perterriti in montibus se continuerunt, et singulos cives pro singulo boum jugo viginti quatuor asses quotidie ad alendos equites conferre oportuit. Pyrrhus Gonzagus Joannis Petri filius, qui Nivolariae, et Bagnoli alam equitum habebat, agros civium Regiensium ibi sitos huic oneri subjecit. Jamque abactis pecoribus et frumentis ablatis contumaces multaverat; sed legati ter Ticinum ad Prosperum Columnam missi, tandem, bonis receptis, iniquam exactionem sustulerunt. Idem tributum in sancti Martini territorio Regiensium praediis Atestinus imposuerat, quod et ipsum imperatoris exercitus benignitate extinctum fuit.

Sub id tempus ut Rhodanus torrens, qui ex Bortiani montibus descendit, exitum inveniret, defossum canale a ponte Ruptarum, alveo in viginti ulnas patefacto, per campi Rainetii valles in Crustumium est derivatum, quod a magnitudine Canalatium vulgo dictum, Bagnoli, et Regiensium fines dividit. Quarto vero nonas octobris circiter horam noctis septimam tremendo terraemotu concussa civitas, sequenti etiam die circa horam decimam quintam, mitiore tamen repetito motu laboravit. Id cruenta, quae secuta sunt montanorum praelia praedixisse ferebatur. Catto enim, quem a Morotto caesum fuisse diximus, Vir-

gilius frater Guidonis Rangoni stipendia merens superstes erat. Is ex Frignanis montibus Mutinam versus cum armatorum manu Albergutium oppressurus Miconium venit. Ille ubi hostem adesse sensit in templi turrim se cum viginti octo sociis recepit, unde tormentis aeneis Virgilium strenue propellebat. Aspera jam coepta erat pugna, tresque Virgiliani, et duo ex obsessis ceciderant, cum Morottus adesse nunciatur. Ad hanc vocem propere turris oppugnatione relicta, Virgilius se in pedes dedit. Fugientem ultra Scultennam fluvium cum Morottus assequi non potuisset, in illius moletrinas aquariis instrumentis disjectis saevire coepit. Mox domuncula, quae praedii colendi gratia condita fuerat, incendio consumpta et laeta gratulatione salutato Albergutio discessit. Ob id factum animo aestuans Virgilius, quod neque Morotto obstare, nec sua conservare potuisset, septingentis viginti sex montanis coactis, et aliis triginta qui tormentis aeneis utebantur suo aere conductis, rursus Albergutium majoribus copiis aggreditur. Fama jam contractae cohortis longe diffusa, accitus Morottus cum quadringentis sociis cito affuit. Ac ne aliquod vigilantissimi ducis officium praetermitteret triginta praemisit, qui summum Miconii montis cacumen occuparent: reliquam vero aciem bifariam divisit; alteraque parte Vitali tradita, ut in prati planitiem ad montis radices duceretur, alios ipse post collem ductos instruxit; pugnacissimis quibusque in fronte collocatis hortatur, ut praesente animo, et viriliter hostem invadant, exploratam contra imbelles, et incompositos homines victoriam promittit. Oriente jam sole in extrema planitie se Vitalis ostendebat, et aliae copiae longo ordine ex colle descendere conspiciuntur. Viso hoste Virgilius ubi duobus in locis pugnandum esse animadvertit, duplici et ipse ordine

ingenti clamore sublato in eum convertitur. Morottus silenti agmine procedens jam manus conserebat, cum qui collem occupaverant geminata voce caruem exclamant, quo ferocium agrestium vocabulo caedes praecipitur. Virgiliani qui aeneis tormentis utebantur, et plumbeas glandes emisere prope inermes facti, instantibus Morottanis, verubus et sparis pecudum instar confodiebantur. Qui proxime sequebantur priorum caede turbati, et ipsi facile repelluntur. Dum terga darent a caedentibus usque ad Scultennam flumen circiter centum trucidati, et totidem in flumine submersi fuere. Ceteri vel tranantes vel in proximas sylvas se abdentes hostium manus evaserunt. Hac victoria potitus Morottus jam non sicarii, ut antea, sed praestantis ducis nomine quaesito, clarior haberi coepit.

Interim Franciscus Guicciardinus ob summam in regendis populis aequitatem et justitiam, Parmae, Regio, et Mutinae iterum praeficitur, et octavo calendas decembris effuse obviam euntibus civibus ingenti omnium laetitia, et frequenti nolaram pulsatione pater patriae salutatur. Id unum tamen urbem turbavit, quod Pius arcem, quam Gallis prodere cogitabat, ei tradere recusavit, et ipse in publicum palatium divertere coactus fuit; quin etiam Morottus contra eum invidiose est accitus, qui Joannini Medices copias in Regiensibus hybernantes veritus, Albineam transgredi non est ausus. Inter hos tumultus religiosum populo spectaculum, divorum urbis tutelarium antiquae pietatis memoria renovata, exhibitum fuit. Beatorum enim Chrysanti et Dariae martyrum reliquias, quas ab hinc mille et aliquot annos Regium delatas fuisse dixi, etsi omnes ingenti studio venerabantur, nullum tamen earum translationis publicum monumentum apparebat; unde non pauci vacuam esse arcam, et falsam populo

religionem injectam esse jactabant. Primus Bonfranciscus Arlottus, anno jam decimo quinto elapso, Joannesque Lucas Pontremulensis, ut hujus rei certiores fierent, saepius aperiendae arcae cum canonicis consilium inierant; sed eam se inanem reperturos timentes, ne a pietate populum avocarent, negotium tentare ausi non fuerant. Ugo vero Rangonus Antistes cognoscendae veritatis desiderio tactus, canonicis aliisque sacerdotibus convocatis, omne ex civibus animis dubium removendum esse proponit. Verum ne loco forte vacuo invento populi religio minueretur, antequam rem in publicum proferat, Cherubino Manenti ecclesiae ratiocinario, et Ludovico Bedogno aedituo, ut superius arae marmor removeant, committit. Nocte concubia jussa fecerunt, cubitalemque arculam in arae cavea cellocatam invenerunt. Sed eam attingere non ausi rem ad Antistitem, et quosdam seniores canonicos clam deferunt. Ugo dubia Gerardi parentis aegritudine commotus, et ad Castrum Vitreum, ubi graviter aegrotabat, se conferre coactus in opportunius tempus visendorum martyrum spectaculum differt. Demum firma corporis valetudine a Gerardo recepta, cum eo Regium venit, et quid cum canonicis deliberasset Regiensium curiae aperuit. Ut vero tanto negotio graviores cives interesse possent, aliquos ex optimatibus mitti suadet. Electi Ludovicus Pinottus a S. Laurentio, et Albertus Pancirolus jureconsulti, Prosper Lanceus eques, duo Nicolai alter Ancinus, alter Fossa, Alexander Bebius qui postea ante episcopum ensem et cassidem de more detulit, Joannes Baptista Fabalius, Albertus Gaziolus, Sigismundus Anguisciolus, et Alexander Malegutius, qui rei gerendae testes ossa diligenter inspicerent, et donec reposita essent die noctuque custodirent: septem praeterea tabulariis omnia

acta describenda commissa. Ante septem vero dies, quam sanctorum ossa viserentur per concionatorem jejunium per triduum populo est indictum, et omnibus mandatum, ut exomolegesi religiose facta crimina expiarent. Quae cum cujusque ordinis et aetatis homines studiose observassent, Guicciardino, Hercule Atestino, et Alberto Canussio ad nobile spectaculum invitatis, pridie calendas decembris, qui dies dominicus fuit, circa horam decimam sextam Antistes cum universo sacrorum virorum ordine et populo, cujus nec dimidia pars templum propter hominum multitudinem ingredi potuit, ad aram majorem primarii templi se contulit. Religiosi sacerdotalibus vestibus solemniter induti, prius hymnis in laudem martyrum decantatis, Chrysantique et Dariae moribus et gestis, eorumque translatione recitatis, cryptam, ubi reliquiae jacebant, ordine ingrediuntur. Ibi intra lignea septa, quae ad arcendum populum facta erant, sacris pie peractis, Antistes pontificali habitu indutus malleo primus arae murum percussit, tum superiore marmorea tabula a Clementibus fabris remota rubri coloris arcula aereis vinculis arcte constricta, in arae vacuo inventa fuit. Eam prope erat lignea pyxis, in qua subucularum martyrum particulae adhuc sanguine infectae servabantur. Arcula ob vetustatem carie corrosa vix integra extrahi potuit, quae alteri proximae arae, quae ad id antea parata erat, imposita fuit. Remotis vinculis intus ossa in candidissimo linteo arcte consuto miro ordine disposita, et cranea in medio collocata invenerunt, quae suavem ac fere nativum odorem redolebant. Dum ea Episcopus tremulis prae religione manibus singulo populo ostendit, omnes genibus flexis, et prae gaudio effusis lacrymis alta voce misericordiam implorant. Capita cum brachiis labro argenteo

coccineo bombice substrato imposita et arcula in parato ferculo collocata fuit. Antistes luculenta oratione, gratiis Deo actis, quod tantum thesaurum reperiisset, Ambrosii, Augustinique hymnum cani jussit. Inde sub umbella exiens Praesul ipse capita cum brachiis, duo vero canonici humeris arculam cum reliquis ossibus populo spectandam circum forum detulerunt. Interea omnium templorum nolae ad gaudium declarandum pulsabantur, canentibus tubis aliisque personantibus instrumentis, undique omnia gaudio implebantur, ut prae laetitia nullus lacrymas continere potuerit. Ad templum reversi reliquias super ara altius evecta visendas omnibus deposuere. Demum Antistes pro urbis salute et pace precibus recitatis circa horam vigesimam populum dimisit. Quatuor sacerdotes cum duobus canonicis, et sex civibus decurionum jussu, qui martyrum ossa custodirent, in templo relicti fuere. Toto eo die, et sequenti nocte ingens virorum mulierumque numerus martyres venerantium in templum confluxit. Inter alios etiam ex Divi Thomae coenobio Deo dicatae virgines venerunt. Postridie pomeridianis horis Antistes, nonnullis adhibitis jurisconsultis et scribis, peritiores medicos et chirurgos convocavit, qui ossibus collectis diligenterque inspectis, quae Chrysanti, quaeve Dariae essent, certa ratione demonstrarunt. Uterque viginti annorum fuisse est judicatus. Sub vesperam Episcopus retentis capitum, et brachiorum ossibus, cetera suo, ut prius erant, lineo linteo insuta cum alia tenui ex necydali filis contexta tela in nova arca, quae ex robore ad id elegantius fabricata fuerat, condidit. Arcae imposita est lamina plumbea, in qua dies, quo haec acta sunt, Antistitis, Alberti Panciroli, Nicolai Trignoli, et Joannis Baptistae Martelli ad id testium adhibitorum, et canonicorum, qui tunc aderant,

nomina inscripta fuere. Mox capsula vinculis ferreis arctius constricta, et in prioris arae cavea est collocata. Cranea cum brachiis, et pyxide alii arculae inclusa in publici carthophilacii armario deposita, ac tribus clavibus obserata diligentius custodita fuerunt.

Nocte qua Regii haec acta sunt, Hercules Gonzagus Achillem Taurellum Guastallae tyrannum virum flagitiosissimum, quod cum sua sponsa cubuisse diceretur, Nivolariae in propriis aedibus trucidavit. Ob id factum eorum populi per multos annos mutuis postea cladibus se afflixerunt. At Guicciardinus, arce quamquam jubente Pontifice nondum recepta, etiam Parmae praefectura, quam Fanensis Episcopus habuit, privatur. Ceterum Albertus Pius vir alioqui litterarum eruditione insignis perfide accusatus, quod cum Gallis conspirasse diceretur, temeritatis suae non multo post poenas dedit. Siquidem insequentis anni (1) initio, unus Prosperi Columnae militum tribunus Caesaris mandato Carpum ingressus, Leonellum cum liberis, atque Alberti uxorem armata vi ejecit. Itaque dum aliena Pii ambitiose non restituunt, propria amiserunt. Leonellus Novum Alberti fratris castellum, ubi tutius viveret, concessit. At in montibus Virgilius acceptas a Morotto injurias ulturus quantascumque potest undique copias contrahit. Ducentos jam socios Rodeliam secum adduxerat, ac dum alios plures Medula, ac ex ceteris propinquioribus locis sibi affuturos expectat, Bonjoannes cum quinquaginta stipatoribus ex montibus Parmensium ei auxilium laturus Livicianum pervenit. Guicciardinus hos motus a Morotti nuncio intelligens utrisque per tubicinem arma deponere, et ab Ecclesiae

(1) MDXXIII.

finibus recedere imperat. Omnibus Praefecti mandatis parentibus, solus Vitalis hostes obscura nocte secutus, viginti in Albineae et Mocciatellae finibus interfecit (1). Inter eos Bonjoannes elapsus Monticuli permittentibus Rangonis, qui illud oppidum a Leone Pontifice obtinuerant, se servavit. At Doninus Valtemporius latrociniis assuetus Caesarem a Cerutto Morotti asseclam aliosque ejusdem factionis octo viros trucidavit, et universam eorum pecuniam diripuit. Contra Petrus Petius a Baisio cum nepote et Antoniacius a Castello Arianorum Morotti stipatores Albineam cum triginta sociis venerunt, ubi Joannem a Guardasono, qui a partibus Bonjoannis Andrioli stabat, prope capreoli cauponam inscio Morotto jugularunt, et viginti uno capitibus armentorum abductis, tredecim tantum vigintiquinque aureorum pretio Dominici Morotti opera, qui hoc facinus graviter tulit, reddita fuere. Post haec mense junio Morottus cum quingentis sociis Ligurtianum in Frignano Dianae a Contrariis castellum petiit, ubi, hostibus duodecim obtruncatis, etiam septem aedificia solo aequavit, nonnullisque captis ingentem jumentorum praedam Carpinetum egit. Prope urbem vero plurimi quoque qui armis tecti agnosci non poterant in Regiensium villis omne flagitii genus ediderunt. Hi exules esse credebantur qui latronum more, non paucis sparsim caesis, pecora vel frumenta, prout sors dabat, abducebant; nulloque obviam eunte, quod praesidio urbs deserta esset, non mediocriter cives affligebant. Herberiae quoque ingens facinus Caesar Martellus edidit, qui, praetore occiso, omnia apud Hebraeum deposita pignora cum auro et argento diripuit. At milites qui apud nos in hybernis

(1) Die xxxi januarii.

erant, Prosperi Colnmnae mandato iu Apuanos Ligures transmissi, cum a Malaspinis uon recipereutur, non pauca eorum oppida suut depraedati. Virgines et nuptas e templis extractas uefarie constuprarunt; plurimornm praeterea aedibus incensis, nullum flagitii genus fuit quod per eam regiouem uon perpetrarint. Inde in Parmensium agros desceudentes, nulla jam militari observata disciplina ad rapiuas ibidem couvertuntur. Ea injuria commoti Parmeuses duce urbis Praefecto Fanensi Episcopo, latronum libidinem compressuri exeunt; sed illi ad Niceam flumen se recipieutes, dum oppidum aliquod occupare tentant, frustra paucis diebus consumptis, demum in Regienses revertnntur; qui et ipsi, duce Ludovico Rangono Monticuli domino, eos in Cremonenses retrocedere coegernnt. Aliqui ex Regiensibus de plebe homines, qui se eis comites addiderant, capti pro meritis laqueo necati fuere. In urbe vero Joanninus Medices in via quae inter Marcum et Domiuicnm interjacet equestribus ludis din oblectatus mox Apuanis Liguribns, quos ob natas proximia annis rixas inimicos habebat, bellum intulit. Ibi uon paucis ejus regionis opulentioribus villis eversis, aliisque non iguobilibus locis dirntis, demum Auolam oppidum a Malaspinis emit, et Regium cum copiis revertitur: quo tempore ob iusolitas grandines repentini vis frigoris media aestate mortales igne, et hyemalibus vestibus uti coegit.

Iuterea Morottus Catto fratri snperstitem esse Virgilium aegre ferens, Fregnanum sibi repetendum esse coustituit. Undique igitur contracto milite, eo tanta celeritate contendit ut pridie vesperi Scandiani conspectus, postridie, qui dominicus dies fuit, sub lucem ad Ripam hostis locum perveuerit. Ibi omnia depraedatus quadraginta etiam aedes, nonnullis senibus occisis, funditus

evertit. Virgilius ubi hostem adesse sentit, suorum et ipse collecta manu in campo inter Ripam et Montemfortem Morotto occurrit. Primum praelium aeneis tormentis eminus coeptum, mox pede collato cruenta pugna est dimicatum. Pluribus utrinque cadentibus evenit ut jam ad vesperam inclinante die Virgilius ipse singulari certamine cum Morotto cominus congrederetur: pugnantibus formidandum erat ipsos agminum et factionum principes inter se concurrentes conspicere, qui ultro citroque cum magno impetu illatos impetus excepissent aliquam diu pugnam sustinuerunt. Tandem Virgilius, glandea pila ab Ugolino Garola, Morotti genero, eminus sclopo emissa, lethaliter vulneratus concidit. Dominicus et ipse a Joanne sacerdote Virgilii patruo in gutture confossus et iterum in facie percussus ab equa unde viriliter pugnabat dejicitur. Tum Morottani Virgilianos amisso duce fugientes facile fundunt. Ex victoribus etiam multi, qui Dominicum saucium esse sciebant, se in pedes dederunt. Pauci, quod ducum clade non diuturna fuerit pugna, nec plures quadraginta eo praelio desiderati fuisse dicuntur. Inter eos inventi sunt quinque Regienses qui cum Roberto Messorio Morotto opem tulerant. Ex his Petrus Vianinus securi percussus. Robertus Messorius captus decepta custodia Bononiam fugit; sed iterum Scandiani comprehensus, quod Georgium Gabbium occidisset, Regii suspensus fuit. Plerique alii qui incerto itinere vagabantur ab incolis caesi; Vitalis solus domum reversus plus dimidiam partem ex suis cecidisse arbitrabatur. Ceterum qui ex Morottanis non longe hostes secuti fuerant ad Dominicum revertuntur; quem cum vulneribus defessum arma exuisse invenissent, equae rursus impositum cum Ugolino genero et aliis quinque sociis Cornetum curandum deducunt.

Inter eundum forte Thebaldo Sessio et Antonio Paclono infensissimis hostibus, qui cum armatorum manu Virgilio auxilium laturi veniebant, in medio itinere occurrunt. Ubi Thebaldus Morottum cognovit, infesta hasta in equo currens percussum transfodit, mox alius sparo vulneratum equa dejecit, ac caput ab humeris abscissum Spilimbertum specioso triumpho detulit: ejus etiam manus velut insignis latronis ad incutiendum facinorosis hominibus metum publice suspensa fuit. Hunc finem habuit Dominicus Morottus, qui infimo loco natus tantum sibi virium comparaverat ut etiam potentioribus hostibus timendus et nobilibus amicis honorandus videretur. Guicciardinus audita illius morte cum ejus sicarios Montemriccium se plerumque conferre intellexisset, contracto magno equitum peditumque agmine eo Bernardinum a Carraria stipatorum ducem mittit ut castello in potestatem redacto quoscumque Morottanos invenerit captos Regium deducat. Loco primo impetu capto, munitissima turris jam multis annis ante aedificata expugnanda supererat, in quam Carolus Manfredus Ludovici filius cum duobus fratribus et quatuordecim sociis se receperat. Bernardinus priusquam eam adoriretur, sub vesperam inclusis si dedantur vitam et bonorum incolumitatem promittit; sed pacta recusante Carolo, aeneo tormento murus dirui coepit. Jamque prope erat ut pars turris concideret cum iterum ad deditionem per tubicinem Carolus invitatus iniquiore conditione arbitrio victoris cum sociis se hostibus committere coactus est. Omnes numero decem et septem Regium deducti praeter duos Caroli fratres qui in Alberti Fossae gratiam sunt dimissi, alii custodiae traditi fuere. Tota turri dejecta, ingens rerum quae ibi inventa est copia ad Guicciardinum est deducta. Carolus quaestioni subjectus, quod

nullius rei conscius esset, nihil est confessus. Unus vero a Rodelia, qui multa facinora perpetrasse dicebatur, laqueo est suspensus. Ludovicus Manfredus Caroli pater primo Scandianum profectus, demum in arcem Regii a Leonello Pio velut ad tutius refugium se contulit. Alius ejus natu major filius ad Vitalem concessisse dicebatur. Non minus tamen in montibus a facinoribus abstinebatur: siquidem Doninus Valtemporius collecta montanorum manu Franciscum propinquum, sed quod Franchetum sibi fratrem occidisset, hostem factum in villa Gottano inter Vallisneriam et Nigonem domi inclusum obsidet: incenso illius et vicinorum tritico, Regio et Parma apparitores evocat quibus se facinorosissimum hominem et ultimo supplicio dignum in manus daturum pollicetur. Jam illi venerant, et prope erat ut Franciscus caperetur cum Vitalis Morottus magna sociorum manu adesse nunciatur. Hostis adventu perterriti obsidentes, fuga arrepta, inclusos liberarunt. Vitalis Carpineti praefectus et Castelli Novi praetor a Pontifice confirmatus postea in Fregnano cum diversae factionis hostibus, excepto Bonjoanne et Camaclionibus, pacem inivit. At Regii cum ab utroque latere apertum divi Prosperi in summo tecto hemispherium per latitudinem palmi hiantibus rimis ruinam minaretur, clavibusque murus contineri non posset, laborans aedificium dirui placuit. Fabrorum imperitia illud vitium acciderat, qui angustiora fundamenta jecerant, nec ea, ut scaturiente aqua faciendum fuit, robustioribus palis confirmaverant.

Interea Pontifex a Guicciardino certior factus quorsum Alberti Pii consilia tenderent crebris litteris stimulatus tandem eum Regii arcem dimittere compulit. Germanus homo Regium missus certa soluta pecunia cum oppido Herberiae nostram arcem recepit, quae Joanni

Baptistae Smiraldo Parmensi, qui eam alias obtinuerat, commissa fuit, Guicciardino si voluisset ibi commorandi potestate concessa. Paulo post arce quoque Herberiae, quam idem Albertus Pius tenebat, certa soluta pecunia, est recepta. Contra Morgantus et Boccalinus Alberti Pii duces ducentis peditibus et viginti equitibus stipati Carpum recipiunt; Vincentioque Cosso, qui ibi pro Caesare imperabat, vulnerato, et Joanne Baptista Castaldo captis, quorumdam aedes diripuerunt. Rentius quoque Ursinus a Cerete cum centum equitibus et pluribus exulibus Campum Cajanum et Fabricum capit; sed id postea, acceptis sexcentum aureis, Corrigiis restituit. Ejus milites, ut erant rapinae dediti tam in Mutinensibus quam Regiensibus usque ad viam publicam viatoribus expoliatis, latrocinia exercere non desistebant. Inter haec nunciata Adriani Pontificis morte, Andreas Biragus et Tristanus Corsicus Rentii peditum tribunus intempesta nocte primum Herberiae pontem dormientibus vigiliis occuparunt. Dum vero ad secundum invadendum se accingunt, strepitu expergefacti qui excubabant, capto Tristano, plures confecerunt. Ceteri, re infecta, turpiter repulsi domum redierunt. Alphonsus Atestinus sedis vacantis tempus magnam recipiendarum paternarum urbium occasionem esse ratus, octo vel, ut alii scribunt, trium millium peditum et quingentorum equitum coacto exercitu, etiam Rentium Ursinum ter mille pedites et ducentos equites ducentem trium millium aureorum stipendio conducit. Mutinam deductis copiis per tubicinem prius a Guidone Rangono, qui cum centum cataphractis totidemque levioris armaturae equitibus et mille peditibus in urbis praesidio erat, deinde a Guicciardino, postremo a populo urbem petiit. Praefectis postulata facere detrectantibus cives se in alio-

rum potestate esse respondent. Hoc nuncio accepto, cum mille Hispani opportune supervenissent, populusque urbem constanter defensurus esse crederetur, postridie cum viginti majoribus aeneis tormentis ad Marzajam fluvium cum Rentio venit. Rangonus et Guicciardinus Vincentium Majatum Bononiensem cum quingentis peditibus Regium omni praesidio destitutum antea praemiserant, ut pro viribus eam urbem aut saltem arcem tueretur, quam non paucis diebus defensum iri sperabant: Smiraldo praeterea pecuniam ad conducendos tercentum milites dederunt. Demum Regienses instanter rogarunt ut stipem ad novas copias comparandas Ecclesiae mutuo dare vellent; sed illi et continuis militum exactionibus attriti, et Atestini etiam nominis studiosi nihil conferre voluerunt. Quare Alphonsus in ejus civitatis obtinendae spem erectus per tubicinem Antonium Folleanum Mutinensem et Philippum Fontanam Guicciardini assessores de Regio sibi restituendo interpellat. Illi civitatem in Praefecti potestate esse, ad quem Mutinam de hac re nuncios se missuros esse dixerunt. Sed his in itinere ab Alphonso interceptis, alius caduceator in curiam introductus exponit: Regium antiquo jure ad Atestinos pertinere, nunc eam urbem Julii II injuria vi occupatam repeti, deditos non secus àtque a parente in fidem tutelamque suscipiendos; si in contumacia persistant vim expectent, omnia crudeliter diripienda, et victoris arbitrio atrox in cives imperium exercendum. His decuriones respondent: se non credere Alphonsum in castris esse, nec ejus mandato haec vèrba referri; cives enim non posse eam de Alphonso opinionem concipere, ut de evertenda ea urbe cogitet, quae Atèstinum nomen semper coluit. Antequam igitur aliud statueretur, Franciscus Maria a Dadallo et Philippus Saravallus cum

tubicine ad castra, jam ad D. Lazarum posita, exploratum mittuntur, an Alphonsus ipse, vel ejus filius, ibi inveniretur. Ubi eo perventum est, Alphonsus Regiensium nuncios amplexus urbem quam mirifice semper dilexit se malle incolumem servare quam perdere affirmavit; porro nisi dedatur, se quamquam invitum moenibus vi tormentorum eversis totam civitatem praedae militibus concessurum. His dictis missus statim est Regium Vincentius Mustus, deinde Æneas Pius, qui cives ut se Atestinorum fidei committerent maguo verborum apparatu exhortarentur. Decuriones qui Atestinis semper studuerant ubi etiam imminens periculum viderunt, die quo Michaelis memoria colitur circa decimam quintam horam certis conditionibus urbem dedidere. Itaque Hieronymo Fontanello, Prospero Lanceo equite, Paulo Nigramonte, et Nicolao Fossa ante obviam missis, sub vesperam Alphonsus benigne exceptus cum copiis aeneisque tormentis ac reliquis impedimentis ingreditur. Inde per viam regiam ad basilicam profectus, ante majorem aram lacrymis prae gaudio emissis, Deo immortali gratias agit, quod paternam urbem, sine tumultu et civibus optantibus, recepisset. Mox in episcopi palatium diverteus quamprimum arcem, quae a Joanne Baptista Smiraldo cum quadraginta peditibus praefecto tenebatur, omni conatu adoritur. Ab hora noctis sexta usque ad decimam tertiam majora octo tormenta certo libramento in tollonem unde pons subductilis catena suspendebatur et in moenia ad libellam dirigit, ipse astans frequenti tormentorum crepitu quadraginta quinque pilis evibratis maguam muri partem quassavit. Demum trabe perfracta cum pons casurus timeretur, ac non nisi quadraginta peditum intus praesidium esset, salvis hominibus et rebus circa horam deci-

mam quintam arx deditur. Hanc deditionis excusationem Smiraldus attulit quod Vincentius Majatus eo ingredi recusaverat, et pecunia Parmam ad conducendum militem missa in itinere direpta fuerat. Postridie Alphonsus praemisso tubicine Monticulum, Brixillum et Castellum novum in Parmensibus et montana omnia, oppidanis Regiensium exemplo ultro se dedentibus, recepit. Ludovicus quoque Rangonus qui cum ducentum peditibus se Monticuli continebat, cum et ipse demum Atestinorum fidei se commisisset, Regii custodiae traditus et Ferrariam deductus fuit. Calendis vero octobris Alphonsus, conventionibus cum Regiensibus confirmatis, inter factionum principes initam pacem repetitis poenis rursus ratam haberi voluit: ipse utriusque partis se fidejussorem constituens severa fronte his qui pacta rupissent graviter est comminatus. Mox omnibus praeter Gozadini percussores in urbem revocatis, ut aliquem justitiae terrorem facinorosis injiceret, Bellabarbam flagitiosissimum hominem, qui etiam Gozadini neci interfuerat, quamquam suo stipendio merentem media nocte laqueo strangulari jussit. Ita Gozadini percussores fere omnes infelicem exitum habuerunt. Paulus enim Cossellus dum Venetiis quemdam ab apparitoribus captum eripere conatur, iisdem diebus fuerat occisus. Cocconus quoque novem post annos non longe a D. Bartholomaei templo in Philippi Zucchi pigmentarii taberna dum per otium colloquiis familiaribus vacat a Lodovico Genaro Brixiliensi est obtruncatus. Soli Paulus et Bernardinus Bebii, hic in sancti Secundi ubi exulabat castello, ille Regii ab exilio revocatus, naturali morte decesserunt. Civium agris et Capelli cauponae immunitate concessa, etiam Niceae aquae jura Regiensibus sunt donata. Dimidium quoque vectigalis memorialis extinctum,

et salem duodenis assibus Regiensibus in vigintiquinqne libras vendendum esse convenit. Alphonsus arci Joannem Rubeum cum ducentis peditibus, et nrbi Æneam Pium praefecit. Mox Rentio, qui in suburbanis vicis praedam agebat, Regiensinm agro excedere jusso, ipse postridie ad Marzajam ut Mutinam reciperet, castra posuit. Ibi civibus nisi se dedant bona militibus praedae daturum frustra minatus Theodorum Triultium copiarum Venetarum ducem cum quinquaginta cataphractis et ducentis aliis levioribus equitibus ac septingentis peditibus ad meridiem sub moenibus castra habere jubet. Hercule vero filio cnm aliis copiis et majoribus tormentis Ferraria accito, ipse Herberiam reversus oppidum sibi dedi per tubicinem nonis octobris postulat. Cum responsum contra votum tulisset, sequenti die circa horam noctis tertiam portam majoribus tormentis quassare coepit: postridie ubi expectatum Mutina snbsidium non venit, Guido Coviànus senior qui cum dncentis peditibus oppido praeerat ex moenibus descendens se et oppidum Atestino commisit, incertum an pecunia corruptus, an vero a tumultuantibus oppidanis coactus id fecerit. Paulo post equitum turma ad ferendam obsessis opem missa ubi serum auxilium esse intelligit, ne Gabellum quidem ausi snnt pertransire. Capta Herberia, Alphonsus arcem omni rerum copia munitam nnllo disploso tormento a Tito Tagliaferro Parmensi statim recepit. Mox mnris et aggeribus magno rusticorum et Regiensium dispendio oppidum munire coepit, aedibusque circa moenia ad quingentos passus dirui jussis, per quadraginta dies ibi se continuit. Interea in Mutinensem agrum missi frumentatum milites aut caesi, aut capti, armisve exnti fuere. Cum vero apud Nonantulam equitum ala sub Albertino Atestino et Alberico Rangone com-

misso in itinere praelio profligata fuisset, Theodori Triultii agmen ultra Crustumium plures Regiensium villas diripuit, reliquusque ejus exercitus qui ex quatuor millibus peditum et octingentis equitibus constabat, in urbe per civium domos magna cum injuria et detrimento divisus fuit. His incommodis accessit quod Alphonsus Regium reversus ducentorum equitum turmam et quingentorum peditum manum in agros Regiensium hybernaturas deduxit. At Caulenses Atestini nominis hostes cum centum quinquaginta Hispanis Saxolum patriam suam adorti duodecim Mariorum domos, quatuor trucidatis et ingenti abacta praeda, incenderunt. Quod ubi Alphonsus intellexit alios ipse Regio centum quinquaginta pedites Mariis auxilium laturos mittit, qui hoste non invento, ut paria facerent, alias et ipsi domos combusserunt.

LIBER OCTAVUS

Dum haec apud nos aguntur, Cardinalis Medices, qui Clemens VII est vocatus, a triginta novem Cardinalibus, post quinquaginta dies quam inclusi fuerant, Romae Pontifex declaratur. Quo audito Alphonsus cum copiis nono calendas decembris Brixillum, et inde Ferrariam secessit. Eo die Triultii equites, qui ad Valverdum hyemabant, a Mutinensibus fugati Regium se receperunt. Verum ut tutum per viam regiam iter esset, cum Regiensibus Mutinenses conveniunt, ut ab omni ultro citroque inferenda injuria abstineretur. Clemens, qui etiam antequam Pontifex declararetur apud Carolum Caesarem egerat, ut Regium et Mutina Atestinis restituerentur, Herculemque Alphonsi filium, quum Adrianum Romae salutavit, hospitio humaniter exceperat, benigne rescribit, ut quae Alphonsus tenebat, modo arma deponantur, tuto possideat. Quare sexcentis tantum peditibus, et equitatu ad nostrae urbis praesidium retentis, ceteri dimissi, et Triultius Carpum jussus est proficisci. Cives autem et de militum onere, et de aedium ruina, quae circa Herberiae oppidum fiebat, plurimum querebantur. Praefectus quoque Neapolis, qui in Flaminiam venerat, quod nova moliturus crederetur, non mediocriter urbem exterruit, et ex

hybernis intra moenia milites sunt convocati. Sed is pacato agmine Mntinam ingressus edicto Atestinorum populis injuriam fieri prohibuit. Cum vero a Gallis Mediolanum arcte obsideretur, Nicolaus Vitellius, qui Mutinae praesidio erat, centum triginta equitibus stipatus fidem publicam de itinere per Regienses habendo accepit, et secundum moenia nostrae urbis ad Prosperum Columnam, qui in apoplexiam ciderat, properanti agmine contendit (1). Praefectus Neapolis Prospero jam inutili facto suffectus cum duobus millibus et quingentis peditibus, ac centnm equitum et quinquaginta cataphractorum turma eum est subsecutus. Venienti Æneas Regii Praefectus ad primum lapidem obviam exiens non mediocrem albae cerae, zeae et volatilium, diversique generis carnium munus obtulit. Ille aureo sago indutus, et torque splendide exornatus magnam Hispanici fastus jactantiam ostendit; cujus majora tormenta civium jumentis Niceam usque perdncta fuere. In eo itinere Hispani se abstinere non potuerunt, quin pistorum ad D. Stephani portam venales panes diriperent. Eos alia duo equitum millia Neapoli secuta, deinde Piscarius, et Vastius, aliique Caesaris duces, qui ad repellendos Mediolano Gallos proficiscebantur, in Regiensium agris modestius se gesserunt. Tandem pridie çalendas jannarias (2) Prosper Columna morbo confectus, omnibus sui temporis ducibus praeferendus, deecessit; qui postea sexto çalendas februarias sequente anno lectica Regium est delatus. Ea auratis clavis confixa, coccinea stragula auro villosaque bombice intexta undique tegebatur. In summo mediam coccinea crux dividebat. Pone

(1) Mense decembris.

(2) MDXXIV.

Marci Antonii Columnae cadaver in alia lectica, et villosa, sed nigra bombice tecta, sequebatur, quam alba damasceno opere elaborata crux distinguebat. Diversi crucium colores, alterum Ecclesiae, alterum Gallorum exercitui praefuisse significabant. Æneas cum magistratibus, et urbis nobilissimis civibus ad S. Stephani portam obviam exiit; religiosisque cum funalibus praecedentibus defunctorum reliquias ad templum majus deduxit. Postridie naeniis decantatis ad S. Petri portam eadem pompa honestata cadavera, et inde Fundos Columnensium urbem delata fuere.

Ceterum Vitalis Morottus, cui libera per totos bacchanalium dies in montibus versandi facultas concessa fuerat, post id tempus Alphonsi mandato ab Ænea Pio, velut ad necessarium negotium, vocatur. Ille, genio hominem ad supplicium agente, nihil sinistri suspicatus, duodecim tantum comitantibus, mane Regium venit. Jam ad quintum ab urbe lapidem pervenerat, cum, nescio qua doli suspicione sociorum mentibus injecta, evocationis causam inter se conferunt. Tum unus in Vitalem conversus: quo, inquit, Morotte, nulla fide publica accepta tendimus? adeo ne confidentes sumus ut omni salutis cura abjecta sponte nos morti temere objiciamus? suadeo, dum licet, ut vitam servemus. Vitalis omnes bono animo esse jubet, vetustam se cum Piis amicitiam colere, nihil mali ab ea familia, quae sibi semper favit, posse expectari. Sociis aegre persuasis urbem ingressus, Æneam adiit, a quo benigna fronte simulate excipitur, et tamquam alia hora eo opus esset, comiter dimittitur: postridie abeundi commeatum petentem Æneas specie instantium negotiorum ad vesperam remoratur; mox apparitoribus, qui venientes retinerent, in insidiis collocatis, oborientibus tenebris rursus vocatur. Vitalis, ut erat omni suspicione liber, sex tan-

tum comitantibus, profectus in Æneae cubiculo cum sociis capitur, ac circiter horam noctis tertiam in arcem abvoluto capite deductus, postridie tormentis subjectus fuit, ubi scelerum quae patraverat nullus finis apparuit. Sequenti saturni die sub horam noctis secundam injecto collo fune, et per foramina tabulae immisso, novo necis genere est strangulatus. Quod latronum nequissimus omni supplicio dignus crederetur, diu in mortis cruciatu detentum esse dicitur: prope enim necatus remisso laqueo spiritum recipere permittebatur, tum rursus coustrictus ad necem deducebatur, donec saepius in mortis angustias deductus animam tandem expiravit. Ceteri ex Praetorii fenestris laqueo palam sunt suspensi. Bontempum quoque Baisiensem, Peregrinum Cruceum, et Philippum Paclonum, qui cum fratribus viatores et pauperum villas in montibus latrociniis flagitiosissime infestabant, Alphonsus extirpare decrevit. Baisiensis primo fide publica accepta Regium venire permissus, ut alii deciperentur, incolumis dimittitur; sed non multo post in montibus dolo captus supplicio afficitur. Philippus quoque a Pasino satellitum praefecto domi est obtruncatus: socii et fratres partim Regium partim Ferrariam deducti, et ipsi dignas factis poenas dederunt. Cruceus, qui solus supererat, cum capi non posset, ab eodem Pasino ad colloquium vocatus, et a Volta apparitore aeneo tormento trajectus cecidit. Instante februario Æneas, debacchandi licentia quinque quadrantum pretio sordide per chirographum concessa, primus Regii personas venales fecit: demum sub finem martii ad instruendos filios Ferrariam ab Alphonso evocatus, Hectorem Sacratum virum humanitate insignem successorem accepit, quo tempore Ludovico Rangono decepto Joannes Monticuli Praefectus castellum occupavit.

Haec ingens secutus terraemotus magnas, quae venerunt, perturbationes portendisse ferebatur. Siquidem multis quotidie militibus Bononia exeuntibus cum novi rerum motus timerentur, Alphonsus sexcentos in urbe milites conscripsit, et Sertorium Neapolitanum, qui firmo praesidio urbem tueretur, Regium misit. Sed cum ad suas res defendendas aliquod sibi externorum auxilium quaerendum videret, cum Francisco Gallorum Rege, qui Ticinum obsidebat, foedus percussit; ad quem trecentas sexagenas tormentarii pulveris cupas transmisit. Inter haec Albaniae Dux, qui cum sex millibus peditum, et quadringentis equitibus in montibus Regii hybernaverat, ut Neapolim oppugnaret in Campaniam proficiscebatur, in Regienses magno cum civium detrimento venit; nam praeter rapinas, quas ubique avarissime exercuit, etiam quadraginta domos in villa Ligoncii, aliasque plures in montibus exussit. Assiduis quoque pluviis cum agri Regium usque ab aquis submersi navigarentur, non multo post saeva pestis urbem afflixit. Sequente vero anno (1) cum Franciscus Gallorum Rex Ticinum obsideret, Caesariani, qui ex viginti quatuor millibus peditum, et millibus trecentis cataphractis, et aliis millibus quingentis levioris armaturae equitibus constabant, sancti Angeli oppido capto, omnes Gallos trucidarunt. Gregarios autem Italos, proprio idiomate agnitos, incolumes dimiserunt, et nobiliores, inter quos Gaspar Sessius fuit, captivos fecerunt. Is postea Piccighitoni morbo extinctus, et Regium delatus in D. Dominici aede sepultus est. Post haec, cruento conflictu edito, Franciscus Gallorum Rex captus sub fide Proregis Apuliae et ipse Piccighitonum est de-

(1) MDXXV.

ductus; Joanninoque Medice aeneo tormento vulnerato, regia supellex cum omnibus tormentis direpta fuit. Insperata hac victoria potiti Caesariani per omnes Galliae cisalpinae urbes tam gravi civium aere milites alendos diviserunt, ut diurnus in singulos equites aureus solveretur. In Regiense territorium septingenti equites missi, a die quae idus aprilis praecedebat usque ad tertium calendas julias, ducentos singulis diebus aureos devorarunt. Magna postea eorum parte abeunte, reliqui ferme centum et quinquaginta usque ad calendas septembris summo cum civium incommodo permanserunt. Pro singulis jugis boum julius nummus quolibet die solvebatur, ita ut plus quinquaginta millia aureorum in eos impensa fuisse dicantur. Iniquo et gravi hoc onere supra vires oppressi Regienses Albertum Pancirolum et Nicolaum Zobolum legatos ad Piscarium de abducendis ex hybernis militibus Mediolanum miserunt. Hilari vultu, humaniterque excepti cum magnam obtinendae justae petitionis spem habuissent, postea re infecta discesserunt; quod non equites removere, sed solum ad aequiorem modum alendorum militum sumptum revocare Piscarius voluisset. Cives ubi hac via se nihil proficere intelligunt, corrupto Uria Hispano castrorum praefecto, aliam removendi intolerabilis jugi rationem inveniunt. Is clam acceptis ducentis quinquaginta aureis, si acrius discessum decuriones efflagitassent, se recessurum occulte promittit. Certa igitur die, cum reipublicae Praefecti ex composito se amplius milites non passuros clamitarent, Urias ex adverso alta voce se non abiturum contendebat, ac simulate quaedam graviora minatus tandem velut victus et juri cedens recessit. Alii non multo post supervenerunt, sed Dux Mercurius in Regiensium gratiam, quibuscum magnam amicitiam ser-

vabat, eos in Mutiuenses et Ferrarienses abduxit. Maximum tamen ob centum Alphonsi equites, et alios postea missos dispeudium cives sustinuernut. Nec minus sequente anno [1] est laboratum, quo ter mille ex Caesariano exercitu pedites, ac nouuulli equites in iuferioribus Regiensium villis magno cum hospitum detrimeuto aliquot diebus fuerunt. Guido quoque Raugonus qui semel cum peditum vexillo Monticulum se contulerat, rursus cum ducentis equitibus per Regiensium villas aliique plures cum gravi civium incommodo transierunt. Ab alia parte, qui sub Francisco Castaldo Neapolitano, et Varga Hispano in Carporum praesidio erant, quotidie latronum more quoscumque intercipere poteraut, avare spoliabant, solisque Atestinorum ditionis, qui vel eorum, vel magistratuum diplomata ostendissent, ignoscebant. Etsi tot sumptibus exhausti Regienses, sacella tameu in Misericordiae templo aedificare coeperunt. Piscario vero extincto, ipsius et alterius a S. Angelo ducis cadavera, quae Ateruum, nunc Piscarium vocatnm, deferebantnr, Regii eodem, quo Prosper Columna, honore excepta fuere.

Ceterum Clemens, Galli captivitate coguita, ut Regium reciperet cum Caesare foedus sibi ineundum esse censuit. Summae rei pro eo tum in Italia praeerat Carolus Lanojus Belga Prorex Neapolis, a quo centum triginta millibus aureorum uummum pace redempta, calendis maii couvenit, ut ad recipiendum cum Herberia Reginm, quod Adriano vita functo per interregnum Alphonsus occupaverat, sibi auxilium ferret. Alphonsus Pontificis consiliis exploratis majore pecunia expugnatum Lanojum a negotio avertit; qui alias ex aliis moras

(1) MDXXVI.

nectens se inconsulto Caesare, cujus imperii ea urbs esset, id bellum temere non suscepturum dicere; et si sine armorum strepitu ea contentio sedari posset, se medium polliceri. Tandem cum Caesar, qui ejus urbis adjectione Pontificis opes augeri nolebat, pactam pacem ratam non haberet, elusus Clemens alte concepto animi dolore graviter premebatur. Injuriam auxit Lanojus, qui in Parmenses, et Placentinos hostili populatione copias traducens magna clade eos agros afflixit. Gallus qui se Pontificis, Venetorumque armis liberatum iri speraverat, ubi a sua salute diversa eorum consilia esse intelligit, spem omnem in Caesaris clementia reponit et cum Lanojo, in cujus potestate erat, clam agit, ut in Hispaniam deducatur. Ei Caesar Eleonoram viduam sororem, quae antea Emmanueli Lusitaniae Regi nupta fuerat, captivo despondit, ducentisque millibus aureorum et quibusdam etiam in Heduis locis, de quibus lis erat, pro dote promissis, laetam cum eo pacem inivit. Contra Gallus Neapoli, Mediolano, Genuae, Flandriae Allobrogumque ditioni renunciavit, ac intra bimestre tempus postquam in Gallias rediisset, se Heduos, vulgo Burgundos vocatos, quos per annos quinquaginta detinuerat, Caesari restituturum fidem dedit. Henrico Novariae Regi, Carolo Gheldriae, Ulrico Vitemberghae, Roberto in Piceno Comiti nullam se opem laturum, nec quidquam in Italiam moliturum spopondit: Carolo in Italiam venturo sedecim triremium classem omni armorum genere, praeterquam milite, se adornaturum, et annuam pecuniam Anglo debitam soluturum; Carolum denique Borboniae Ducem cum sociis in integrum restituturum promisit. Francisco, et Henrico pueris obsidibus relictis, nisi pacta servavisset captivum se reversurum pollicitus est. Contra Caesar Isabellam sororem

Joannis, qui Emmanueli in Lusitaniae regno successerat, duodecies centies millibus aureorum pro dote acceptis, uxorem duxit. Eas ob causas accensis ignibus, displosisque tormentis, et frequenti nolarum sono magna laetitiae signa Regii edita fuere.

Ceterum Clemens eo Caesaris opes provectas intelligens, ut totam Italiam brevi occupaturus crederetur, cum Venetis et Sfortia contra eum conspirat. Gallus quoque ulciscendae per captivitatem acceptae injuriae cupidus in eam societatem his conditionibus recipitur, ut triginta millium peditum, et sex millium equitum communibus impensis contracto exercitu viginti octo triremium classem instrueret, Mediceisque Florentiae praefectis cum expugnatum esset regnum Neapolis septuaginta quinque aureorum millia quotannis solverentur. Franciscus vero Sfortia, regis filia uxore accepta et quinquaginta millibus aureorum socero solutis, Mediolano potiretur. Sed is ob hoc foedus proditionis insimulatus cum morbo vehementer affligeretur munitionibus omnibus exutus, et a Vastio in arce Mediolani obsessus, salvis rebus, se dedere coactus est. Hoc cognito Pontifex Cardinalem Cybum legatum cum ducentis equitibus et centum curruum commeatu per Regienses ad Venetorum castra transmisit; qui, Laude Pompeja Vistarini opera capta, ac caesis trecentis Hispanis, Italisque spoliatis, S. Angeli oppidum, et Cremonam occupaverant. At Cardinalis Columna a Caesare excitatus, Vaticano Palatio direpto, expilatisque Florentinorum mensis, Pontificem in Adriani molem compulsum exercitum dimittere coegit. Tandem rebus in hunc modum compositis ut Pontifex ex Gallia cisalpina copias revocaret, plura peditum vexilla in D. Martini agro, magno cum Regiensium incommodo, aestiva habuerunt. Alphonsus cum suspectum Clementis

ingenium haberet, qui recipiendo Regio die noctuque studebat, sexaginta equitum alam, quae Joannini Medices fuerat, cum ducentis equitibus Germanis in Regienses, ingrediente anno MDXXVII, deduxit. Salutius Pontificii exercitus imperator cum Guicciardino castrorum praefecto ex conventione revocatus dum per Regienses Mutinam proficiscitur rusticos in urbem cum armentis et frugibus confugere compulit, et aliquot aedes Copriaci incendit. Cum his erant duo Helvetiorum millia et septem Italicae cohortes, quae sub Joanne Medice pugnaci duce militaverant, ducentique Friderici Gonzagi cataphracti. Quibus copiis confirmatus Clemens, aliisque conscriptis militibus initae pacis foedere contempto quatuordecim Columnorum oppida avarius direpta devastat. Valdemontius quoque qui ex regia stirpe ortus ex Gallis a Pontifice accersitus erat, expugnato Salerno Neapolim .infestis armis vexare coepit. Caesar Pontificis consiliis exploratis Borbonium cum viginti millibus Germanorum, octoque millibus Hispanorum et ter mille Italorum exercitu ad reprimendos hostium conatus misit. His octingenti cataphracti et ter mille levioris armaturae equites conjuncti formidandas copias fecerant. Ubi ad proxima Copriaco loca pervenere, Regiensium mandato Annibal Malegutius, et Albertus Pratonerius speciosis muneribus oblatis, ferocis ducis animum placare conati sunt. Alphonsus quoque magnifica per legatos donaria detulit. Haec tamen superbum licentiaque corruptum militem ab insatiabili libidine revocare non potuerunt. Per sex enim dies, quibus in Regiensibus fuerunt, plures villas ab agricolis desertas incenderunt, agros devastarunt, nec paucis mulieribus turpiter constupratis, etiam S. Pauli castellum avarius diripuerunt. Cives plaustra et jumenta profiteri coacti,

etiam ducentos operarios totidem juliis nummis ad complanandas majoribus tormentis vias conduxerunt. Cum calendis martii discessissent non multo post [1] Feltrius Venetarum copiarum imperator cum duodecim millibus peditum, centum quinquaginta cataphractis, et undeviginti majoribus tormentis Borbonium secutus ad Valverdum divertit. Ei conjunctus erat Paulus Manfronus cum quadringentis levioris armaturae equitibus, et septem peditum cohortibus, qui omnis generis commeatu abunde adjuti recreatique per Casalis et Castellacii villas ad S. Martinum, et Faustinum, impedientibus iter nivibus, se per aliquot dies effuderunt. Alii in Arginis, Sessii, Ripaltae, Folleani, et proximis villis se continuerunt, ut Gallorum copiis commode conjuncti cum Caesarianis certamen committerent. Demum cum octo mensium inter Caesarem Gallumque et Pontificem pactae induciae fuissent, Feltrius collectis vasis magno cum Regiensium incommodo Brixillum se convertit.

His malis accessit, quod etsi tanta vini copia fuerit ut tribus assibus Mediolanensibus uvae congius distraheretur, in magna tamen frumenti caritate, plurimi vix semina colligere potuerunt. Laborante igitur civitate annona, cum plus mille sextariis frumenti singulis diebus in alendo exercitu insumeretur, pauperes ad extremam egestatem deductos glandibus et asininis carnibus vesci necesse fuit, frumentumque usque ad duos aureos nummos cum dimidio in singulos sextarios nostros est distractum. Post famem Carpi, Ferrariae et Scandiani secuta pestis cum his locis commercium prohibuit, Regiique supplicationes ad divinam iram avertendam habitae fue-

(1) Post quinque dies.

runt. Alphonsus Carpum, quod Vergas cum Hispanorum cohorte per bienuium graviter oppresserat, centum millibus aureorum a Caesare emit, et Russinum cum trecentis peditibus in oppidi praesidio posuit. Id in Alberti Pii contemptum factum fuisse dicebatur, qui Gallicis partibus addictus, velut laesae majestatis reus ejus ditionis jure excidisse judicatus fuerat. Ceterum Borbonius spreto pacis foedere incredibili celeritate Romam traducto exercitu, urbem milite destitutam invadit. Dimiserat paulo ante Clemens detestabili avaritia perditus duo Helvetiorum millia, et septem spectatae virtutis cohortes, quae, extincto Joanne Medice duce, ab atro vexillo nigrae vocabantur. Itaque solus Rentius Ceres imbelli armata plebe patriam tueri conabatur. Borbonius tumultuario hostium apparatu minime perterritus dum scalas moenibus sua manu apponit, plumbea glande ex aenea fistula extrusa in inguine trajectus occubuit. Cadenti duci statim milites Philibertum Aurantium Belgam suffecerunt; plus demum septem millibus utrinque desideratis in urbem irruere. Ibi inusitatis caedibus in cujusque ordinis homines saevire, nobiles matronas violare, vestales turpiter constuprare, ac per octo dies sacra profanaque omnia impudenter diripere. Hispanorum ante omnes inexplebilis avaritia fuit, qui Julii Pontificis jam multa carie consumptum cadaver, ut anulo spoliarent, sepulchro extrahere non exhorruerunt. Pontifex in arce obsessus, cum ad eam deficientis commeatus egestatem pervenisset, ut asinina carne pro exquisitis epulis vesceretur, arbitrio victorum se dedidit.

Alphonsus, ubi Clementis casum audivit, ne opportunam benegerendae rei occasionem pretermitteret, recipiendae Mutinae animum intendit. Magna itaque peditum, equitumque coacta manu, et eductis copiis, quae in Regii

praesidio erant, Herberiam veniens, Mutinenses ad deditionem sollicitat. Ludovicus Rangonus, qui cum paucis militibus urbem tuebatur, se primo vanis Atestinorum minis non terreri respondit; sed cum attritis Pontificis viribus ab irato Alphonso cladem perterriti cives timerent, excedente Rangono, postridie ei urbis claves miserunt. Itaque post sexdecim annos, quam Pontifici se commiserant, in Atestinorum potestatem redierunt. Nec multo post pari felicitate occupatum Monticulum fuisset. Ob res prospere gestas accensis ignibus displosisque majoribus tormentis Regii laetitiae publicae signa edita fuere. Clemens, qui Romae arce a Caesarianis capta, et Centumcellis, hodie Civitas vetus dicitur, hosti traditis, post septimum mensem quam obsessus fuerat, quadraginta millibus aureorum nummum se redimere coactus erat, ubi amissae Mutinae nuncium accepit, incredibilem dolorem concepit. Denique velut omnibus eodem tempore concurrentibus calamitatibus animo plane consternatus est, quum Hippolyto, et Alexandro Mediceis necessariis ejectis Florentinos in spem veteris libertatis erectos defecisse cognovit. Annibal quoque Bentivolus nonnullis contractis copiis Bononiam invaserat, sed dum hostibus se inferiorem cerneret, receptis Atestinorum opera paternis praediis, retrocessit. Caesaris felicitati etiam accessit, quod Philippum ex Isabella conjuge suscepit. Alphonsus vero, capto Castello Franco, omnia Guidonis Rangoni, velut rebellis, castra invasit: quo tempore opportune Rangono Antistite defuncto pro filio Hippolyto Mutinae episcopatum obtinuit. At Gallus ubi miserandam Clementis calamitatem intellexit, Odettum Lotrechium cis alpes ad liberandum Pontificem pia generositate transmisit, qui, Caesarianis ad Boschum oppidum profligatis, captaque Alexandria,

et Ticino direpto, totam Insubriam subacturus credebatur, nisi mutato importune consilio per Flaminiam Neapolim se convertisset. Ad eam expeditionem obeundam Pontifex et Veneti cum Henrico Anglorum Rege, et Sfortia contra Caesarem socii fuere: Alphonsus quoque in id foedus receptus Cotignolam in Faventino agro, et Novum Alberti Pii castellum pro societatis praemio accepit: ipse sena millia aureorum singulis mensibus conferre, et cum centum cataphractis, laborantibus rebus, se opem laturum promisit. Foedere clangentibus tubis Regii pubblice promulgato, universae Gallorum copiae per nostras villas late in hyberna diffusae fuerunt. Lotrechio duci, qui, comitantibus Venetorum, Anglique et Florentinorum legatis, cum bis mille equitibus per duos dies Regii se continuit, Alphonsus frumentum, copiosum penum, caelatumque argentum donavit; cives quoque magnificum munus obtulerunt. Majora tormenta, quae cum commeatu equi supra mille trahebant, in Valverdi villa sub militum custodia posita fuere.

Interea Hercules Alphonsi filius, cui Rex Franciscus Renatam Ludovici Regis filiam, et Claudiae conjugis sororem, desponderat, in Gallias ad celebrandas nuptias profecturus cum Hippolyto fratre Regium venit, ubi summo honore exceptus reos omnes ex carceribus dimitti jussit. Eo anno (1) ante augustum mensem ob perpetuos imbres qui per duos et quadraginta dies continuos profluxerant, aucta flumina cum agris late aedes submerserant, armentaque necaverant: quare redundante humore vitiato coelo, saeva pestilentia Italiam invasit. Antea omnes finitimas urbes ea lues occupaverat, ac demum non sine

(1) MDXXVIII.

magna apud vulgum meae familiae invidia, etiam Regium penetravit. Pauci antea eo morbo decessisse cogniti fuerant, cum mea mater Catharina et soror infans Violantha eodem die septimo idus maii forte obiere. Inde plurium postea morte secuta plebs non sine male dicto mali causam in eas referebat quasi extraneorum contagione negligentius se infici permisissent. Sed corrupto aere cum alii urbium populi passim occumberent, ita et Regienses eodem morbo correpti fuere. Plerisque in villas secedentibus per aestatem pestis intermissa videbatur; sed veniente autumno multiplicatis funeribus, plurimos absumpsit. Cadaverum strage plenae aedes inveniebantur, nec pauci in mediis viis cadentes conspiciebantur. Vespillones ad corpora, quae acervatim plaustris efferebant, humanda non sufficiebant. Praeter eos qui innumerabiles in villis defuncti sunt, in urbe supra sex millia decessisse dicuntur. Adeo destituta incolis urbs fuit, ut curandae sanitati praefecti relicta domi chlamyde in sago deserto in foro versarentur. Lotrechius quoque, qui Caesarianos intra Neapolim summa cum laude compulerat, saeviente pestilentia per eos dies cum exercitu in medio victoriae cursu extinctus est. Ea occasione arrepta, obsessi in hostium castra lurida macie deformata irruerunt, illisque facile profligatis, bello finem imposuerunt.

Clemens ubi Gallorum, qui etiam Florentinis conjuncti erant, se armis parum juvari animadvertit cum Caesare pacem renovandam esse censuit. Novo igitur foedere percusso, convenit, ut aureo diademate a Pontifice coronatus Caesar Florentinos, quod Gallis Neapolim petentibus contra se opem tulissent, vetusto libertatis jure privaret, et Alexandro Mediceo, quem, Margarita naturali filia desponsata, sibi generum adsciverat, subjiceret. Alia vero arte

Pontifex urbes sibi ab Alphonso ereptas recipere cogitavit. In primis enim Hieronymum Pium, qui tunc in Regii praesidio erat, ingentibus promissis ad defectionem sollicitat. Ubi in sententiam deductus est, convenit, ut ille Saxoli, quod suae ditionis castellum erat, clam militem describeret, et caeso Alphonso ejus civitates Clementi traderet. Compositae technae litteras in tabula per negligentiam relictas a Roberto Boschetto Mutinensi Pontificis cubiculario lectas fuisse ferunt. Is etsi Albertino genitus, quem velut laesae majestatis reum alias ab Alphonso caesum fuisse diximus, ut praeclaro tamen hoc beneficio ab Atestinis gratiam iniret, Ferrariam paraveredis properans conspirationem detexit. Praeerat tunc Regiensi arci Rubeus cognomento Malvasia, qui, simulato Alphonsi Regium adventu, ut edoctus erat, Hieronymum ad inspiciendum palatii apparatum invitat. Ubi urbiculae portam ingressus est, sublato ponte, exclusis comitibus, a circumstantibus militibus captus in vincula conjicitur; exinde Ferrariam ductus, et crimen confessus perfidiae capite poenas dedit. Alteram iisdem diebus Bartholomaeus Comestabilis cum Uberto Gambara, et Bernardino Barba, qui Bononiae magistratum gerebant, Ferrariae conjurationem inierat, quam Hieronymus Pepulus, a Gambara tum in oppidum Centum relegatus, deprehendisse dicitur. Erat Comestabilis exiguae auctoritatis, et extremae inopiae jurisconsultus, senioque confectus, ut vix amicis, opibusque destitutus tantum facinus aggredi posse crederetur. Moenibus contiguam domum habebat, per quam, Alphonso tum ad Aponenses aquas valetudinis gratia profecto, liberisque ad Belloguardum villam amoenitate celebrem rusticantibus, milites, qui sub frumentariae negotiationis specie navibus vehebantur, perfracto muro in

urbem recepturus erat; sed patefacto scelere comprehensus in quaestionibus proditionem confessus est, et in foro capite punitus.

Inter haec cum Renata Herculis uxor jam alpes superasset, Alphonsus nurui officii gratia obviam iturus Regium venit. Triumphalibus arcubus in sponsae honorem erectis, quinquaginta juvenes raso bombice caernlei coloris sub boram primam noctis cum sacris viris venienti occurrerunt. Nuptiae postea Mutinae celebratae, ubi Venetorum legati, qui gratulatum venerant, duas vestes aureas Renatae liberaliter donarunt. Vincentius Scajolus, et Alexander Vicedominus et ipsi cum nuptialibus muneribus eo a Regiensibus missi equestri dignitate ab Alphonso exornati fuere. Ibi etiam Florentini, qui inter Caesarem et Pontificem contra se factam conspirationem cognoverant, Herculi Atestino, quem copiarum imperatorem declaraverant, praefecturae sceptrum miserunt. Cum vero Gallus obsides a Caesare filios efflagitaret, ab alia parte Anglus trecenta aureorum millia eidem mutuo data et alia quingenta millia sibi poenae nomine promissa, quod desponsatam filiam uxorem non dnxisset, et quatuor annorum pactam pensionem repetebat; et cnm nihil praestaretnr ei ab utroquo rege grave bellnm indictum fuit. Tanta in eum ira Gallus exarsisse dicitur ut verbis notatum ad singulare certamen provocaverit. Nec Caesar conditionem renuit, qui missis ad regem per praeconem litteris ad Fonterabiam et Andeam flumina eo armorum genere, quod certi proceres elegissent, se pugnaturum promisit. Sed ille, dissimulato responso, ubi suos, qui Mediolanum obsidebant, ab Hispanis profligatos fuisse audivit, et Auriam ob occultam injuriam ad hostem defecisse, his legibus hosti iterum est conciliatus, ut vicies

centenis millibus aureorum nummum persolutis, obsides filios incolumes recuperaret, e: si ex Eleonora prolem masculam snscepisset, Heduos omnes in suam potestatem reciperet. Pacis foedere percusso, Caesar Auriae classe vectus Genuam applicuit, inde Bononiam ad imperatorium diadema a Clemente accipiendum profecturus, cum Regio iter esset habiturus, splendidissimi apparatus in urbe fieri coeperunt. Alphonsus arcis palatium aulaeis auro bombiceque superbius intextis ubique exornatum regia supellectile instruxit. Anreum solium sub umbella alte suspensa cum argentea virga ad jus reddendum posuit. Fulcra attalicis opibus, nobilibusque toralibus magnifice velabantur. Ingentes auri argentique caelati abaci, elaborato opere picta tapeta, regalique luxu undique splendentes aedes non sine omnium admiratione spectabantur. Viae crassioribus pannis ad arcendum solem extensis peristromatibusque tectae visebantnr. Caesaris palatii magister et metator ad di ponenda hospitia praecurrentes, alter apud Alexandrum Zobolum, alter apud Annibalem Malegutium splendide exceptus divertit. Caesari postea pridie calendas novembris Regium venienti Alphonsus extra D. Stephani portam occurrit; ac statim equo desiliens in argenteo labro genibus flexis urbis claves obtulit. Caesar excelso animo munere recusato Alphonsum in equum remisit. Tum obviam pro more venientibus sacris viris venerandam crucem exosculatus sub umbella, quae ex auri albique rasi plagulis alternatim contexta erat, civitatem ingreditur. Ad majus templnm deductus, cum orandi gratia descendisset, postea recta in arcem se contulit. Postridie Mutinam profectus similis apparatus magnificentia ab Alphonso liberali hospitio acceptus fuit. Exinde cum Bononiam pervenisset, multa cum Clemente

secretiora colloquia habuit, sed in primis, imminente Pannoniis Turca, de componendo Italiae statu diu agitavit. Tandem, deprecantibus Venetis et Pontifice, etiam Franciscum Sfortiam calumniose, ut ajebant, majestatis reum factum in gratiam recepit, et in principatum Insubrum clementer restituit. Interea donec imperata nongenta millia aureorum nummum solverentur, Novum Comum, et Mediolani arcem in sua potestate retinuit. Cum vero ob ejectos Mediceos in primis Florentiam subigi convenisset undique contracto milite etiam Georgius Franispergus quatuor millibus peditum praefectus ex Insubria revocatus cum mille Heduorum equitum ala Regium venit. Hos secuta Pontificis stipendio collecta Italorum legio in Monticuli, Albineae, vicinorumque castellorum villis omne execrandum libidinis genus per septem dies exercuit. Paleis incensis, vinoque per furiosam lasciviam effuso, undique pecora, et pauperum supellectilem diripiebant. Ubi bona abstulerunt, omni tormentorum vi adhibita ab infelicibus agricolis quam non habebant pecuniam extorquere conabantur. Plures fustibus caesi, alii atrociter vulnerati, nonnullis etiam testiculi inaudita crudelitate extirpati, et, quod dictu horrendum est, quibusdam digitis oculi eruti immaniter fuere. Inventi praeterea abominanda feritate sunt alii, qui nudos in doliis cum felibus conditos ad timpanorum sonitum barbara feritate circumvolverent, ut eo strepitu perterrefacta animalia miseros crudeli cruciatu dilacerarent. His septingenti Caesaris Hedui equites successerunt, qui in Regiensium hyberna deducti, aliquanto mitius se gesserunt.

Ad haec mala, pullulante per aliquot dies pestilentia, etiam Clementis severitas accessit; qui ob superiora incommoda pecunia exhaustus cum novis ob Florentinam

expeditionem impensis opus esset, quinque decimas, quae dimidiam redituum efficiebant, omnibus religiosis Regiensibus avarius imperavit (1). Cum vero Caesar coronam accepisset, Alphonsum Pontifici conciliatum Bononiam vocat. Is antea duodecim tormenta majora cum pulvere tormentario instructa ad Caesarem dono miserat, et tum quoque trecenta plaustra vario commeatu onerata ad confirmandam Augusti benevolentiam sub horam noctis tertiam ad eum deduxit. Postridie cum ad Pontificis pedes, eo non respondente, prostratus diu jacuisset, tandem composito ad lenitatem vultu surgere jussus, ad Caesarem a quo humaniter exceptus est se contulit. Clemens de adempta sibi importune Mutina graviter est conquestus; demum Caesar totius Atestini principatus arbiter constitutus, seorsum secreto colloquio a Pontifice rogatus fuisse dicitur, ut si potiora Alphonsi jura cognovisset, nulla dicta sententia, compromissi diem exire pateretur. Dum vero lis cognoscitur, et plurimi hinc inde testes producuntur, Caesar eductis Alphonsi magistratibus Mutinam a Petro Labacta cum Hispanorum praesidio non sine anxia Atestinorum sollicitudine custodiri voluit. Tandem in Germaniam profecturus primo Corrigium, mox Gonzagam et Mantuam se contulit. Alphonsus eum secutus honoris gratia, Hercule Hippolytoque filiis in clientelam oblatis, mox Regium et Ferrariam rediit. Varii tum principes inter quos fuit Dux Allobrogum a Caesare domum profecturi Regio transierunt; ubi ob D. Francisci coenobitas ingens tumultus est suscitatus. Hi virgines sacras quae suae disciplinae commissae fuerant vitiasse dicebantur. Scelere evulgato cives publico decreto pollutos homines

(1) MDXXX.

ejici jubent; missique statim satellites eos bonis omnibus exutos urbe expulerunt. Coenobium castioribus religiosioribusque minoritis traditum fuit. Sed illi non multo post principum interventu pristinam sedem, virginibus sub civium tutela relictis, receperunt. Sub id tempus Carolus Ruinus Regiensis, qui Papiae, mox Patavii, et Ferrariae, postremoque Bononiae mille ducentorum aureorum annuo stipendio summa cum laude legum interpretationem professus fuerat, septimo idus aprilis decessit. Eo die cum magna imbrium copia ipsius cubiculum de coelo tactum, et inventam ibi supellectilem combustam fuisse ferunt. Hieronymus Prividellus Ruini loco suffectus intra paucos annos sicariorum manu confectus occubuit.

Inter haec Florentini qui per annum obsessi fuerant, fame domiti, octuaginta millibus aureorum persolutis, salvis rebus et hominibus, se Pontifici dediderunt. Eorum Alexander Medices Laurentii nothus filius qui Margaritam Caesaris notham item filiam ex paupere Hollanda susceptam, uxorem duxerat, Princeps est constitutus. Alphonsus vero per Baptistinum Stroccium octingentorum peditum manu Regii descripta alias etiam ad suum principatum defendendum copias coegit. Ceterum Caesare in Belgas ad componendum Germaniae statum profecto, consiliarios apud eum potentes per Casellium jureconsultum legatum amplis largitionibus in suas partes trahere conabatur. Tandem sub finem martii (1) Mutina Regiumque velut urbes imperii Alphonso sunt adjudicatae, eidemque Ferraria confirmata, pro qua tamquam Pontificis beneficiarius cliens ipse et posteri principes septies mille aureos annuos nummos solvere, et ducentis cum opus

(1) MDXXXI.

esset cataphractis suo aere Ecclesiae militare sunt condemnati. Alphonsus centum millia aureorum antequam sententiae beneficio uteretur Clementi pendere jussus fuit, qui hoc arbitrio summopere laetatus ad Divino Numini agendas gratias in omnia virginnm coenobia pecuniam liberaliter divisit. Regii quoqne effractis ob gaudium carceribus, vincti dimissi, et ingens ignibus displosisqne tormentis laetitia est declarata. Clemens vero hanc sententiam graviter ferens, oblatum sibi ex ejus formula ad pedes aurum, frnstra instante protestanteqne Alvaroto legato, truci vultu repudiavit, cum diceret, iniqno Caesaris decreto se Ecclesiae jnra fraudari, suumque nomen impndenter sugillari non passurum. Itaqne Alvarotus pecuniam retulit. Nec multo post Baptista Stroccius cum trecentis peditibus Regium ab Alphonso missus, Mutinam, Hispanis qui ibi in praesidio erant discedentibus, magno cnm gaudio recepit. Contra iratus Pontifex qui aliam tnm in Atestinos saeviendi occasionem non habebat ob decimas a Judaeis integre non solutas sacris omnibns Regiensibns interdixit. Eo anno Laurentius Bergomas ex D. Dominici familia facundus concionator ducentos pauperes inter cives in aedibus alendos insigni pietatis exemplo divisit. Sed illi stipi ignaviter mendicandae assneti intra paucos dies fere omnes ad pristinam vitam reverti, quam honeste victum quaerere maluerunt.

Post haec quiescente Gallo, Alphonsus Vastius Caesaris dux cnm bis mille equitibus et peditum legionibus duabus per sex menses in Regiensium pagis magno cum civium dispendio aestiva habuit. Discedens tres peditum cohortes Corrigii reliquit. Sed non multo post (1) cum

(1) MDXXXII.

Galleacius Tassonus Hectori Sacrato in Regii praefectura suffectus esset, reversi in hyberna Hispani per tredecim menses, quibus misere Regienses afflixerunt, plus centnm millium aureorum damnum intulerunt. Praeter omnes barbara crudelitate insignis Cajetani Tribuni cohors fuit, quae omni flagitii genere patrato, ut alia scelera praeteream, infelices agricolas suillo adipe inunctos ad ignem horrenda feritate petulanter torruisse dicitur; suavissimis quibusque epulis saturati, raptaque pecunia abunde repleti, etiam austerum saccharum, vel lac gallinaceum ad quaerendam inferendae injuriae occasionem qnidam efflagitasse dicuntur. Quibus contumeliis exacerbati rustici, quos solos in mediis campis intercipere potuerunt non paucos trucidarunt. In eam tandem audaciam milites devenerunt, ut in urbem praedandi studio irrumpere tentaverint: sed cum cives toto die pro moenibns excubantes vidissent, postridieque trecentorum peditum manum Alphonsus misisset, ab insano consilio destiterunt. Illis stipendii plnrium mensium creditoribus, cum in magna rei nummariae difficultate satisfieri non posset, alimenta praebere Regienses cogebantur. Tandem cum Turcae, qui Pannoniae cum innumero exercitu imminebat, Caesar obviam ire cogeretur, omnes in Germaniam revocati discessere. Fabricius Maramaldus Neapolitanus eo cum duabus legionibus, Romanusque cum quatuor mille peditibus et trecentis equitibus profecturi in Regiensibus ex civium fortunis se aliquandiu aluerunt. Demum Turca cum formidandis christianorum copiis congredi non auso, cum utrinque retracti essent exercitus, Caesar cum Pontifice foedus renovaturus in Italiam revertitur. Venienti pro lata sententia gratias acturus Alphonsns affuit, ac Mantua Mutinam deductum splendidissimo cum apparatu

excepit. Mantuae Caesar omnes qui tum Regii erant jurisconsultos equestri dignitate honestavit, torquibusque, gladiis, vestibus, phaleris, et calcaribus auratis utendi facultatem praestitit. Bononiae quoque cum esset, nostro collegio dandae in utroque jure laureae, nothis legitimam successionem tribuendi, in integrum infames restituendi, arrogandi, emancipandi, aliaque ampla privilegia concessit. Duae legiones altera Germanorum, Hispanorum altera eum comitatae cum per Regienses iter haberent, agricolis quos invenerunt avidius spoliatis, plurimas aedes ab incolis desertas incenderunt. Alia deinde Hispanorum cohors cum ducentis Aloysii Gonzagi equitibus, qui a corporis robore Rhodomons dicebatur, Italicaeque copiae in hyberna Regiensium missae aliam super aliam cladem civibus intulerunt. Praeter ea enim quae voraci ingluvie absumebant, bovilibus, aedibusque incensis, non paucos rusticos tormentis subjiciebant. Missi (1) ob id ad Alphonsum Julius Scarlatinus jurisconsultus et eques Malvetius, ut urbem a tanta injuria liberaret, nihil certi retulerunt. At Caesar cum Pontifice, quem a se alienatum invenit in sesquiannum tantum inducias fecit, Hispaniamque repetiturus cum Francisco Mediolani Duce, Alphonso et tribus Cardinalibus calendis martii Regium venit. Ibi regio apparatu exceptus post biduum Mediolanum ac recta Genuam contendit; inde classe a Doria splendidissime exornata in Hispaniam transvectus est. Dux Allobrogum cum trecentis equitibus et uxore eum salutaturus apud Zobolos divertit. Regii vero Alphonso Bevilaqua in Tassoni locum suffecto, D. Rochi gesta celeberrimo spectaculo repraesentata fuere. Admirandum in ipso

(1) MDXXXIII.

initio fuit, descendentem nubem, et in medio aere suspensam cernere: ea aereis filis, quae ob tenuitatem cerni non poterant, magna arte sustentata ex se in medio coelo pendere videbatur. Demum cum inde prodiens vestalis virgo prolognm apposite recitavisset, sensim labens evanuit. Expugnatum ibidem oppidum maxima cum spectantium oblectatione veri certaminis imaginem retulit. Fictus quoque elephas productus, ita veros animantis actus expressit, ut non cives tantum sed etiam plurimi, qui spectandi gratia confluxerunt peregrini, eos ludos summopere commendaverint (1).

Interea Caesare Concilinm religionis gratia efflagitante, Pontifex Ugonem Rangonum Regiensem Antistitem in Germaniam ad Ducem Saxoniae misit, per quem ante omnia de loco, tempore, et modo conveniendi tractandum esse exposuit; nisi certnm detur responsum se intra sex menses Bononiae, aut Mantnae aut Placentiae synodum indicturum esse denunciat. Saxo rem tanti negotii definire non ausus, in comitiis intra pancos dies Smalcaldiae indictis respondet: Germanos, nisi in sua provincia habeatur, concilio non affuturos; petere ut, posthabitis scholasticis voluminibus, ex utriusqne tantnm Testamenti scriptura controversi articuli definiantur; Pontifex, qui actor sit, vel reus, judex non habeatur. His cognitis Clemens, qui ereptam sibi Mutinam graviter ferebat, foedere cum Gallo percusso Catharinam Mediceam Laurentii filiam Henrico III Francisci filio Duci Aurelianensi, annorum quindecim adolescenti, despondet (2). Mox ut oppor-

(1) Die XXVI maii occisus est Carolus Bojardus canonicus regiensis; causa cum sit odiosa reticetur. — Die VI julii Ludovicus Ariostus ex Maleguzia genitus decessit.

(2) Mense septembris.

tuna de oppugnando Caesare et amissis urbibus recipiendis consilia iniret, Niceam cum rege collocuturus proficiscitur; cui cum Gallus omne auxilium promisisset ad conscribendum Parmae militem est conversus. Leonellus Pius in his motibus Novium paternae ditionis oppidulum occupavit. Ceterum Alphonsum rerum novitate perturbatum propagatae sobolis superveniens gaudium mediocriter sublevavit: ex Hercule enim filio et Renata nuru Alphonsum, postea imperii successorem, nepotem suscepit. Ob id Regii rei omnes ex vinculis dimissi aliaque ad laetitiam ostendendam peracta fuere. Puerperae Regienses caponum et pernicum vicena paria, turdorum quinquaginta, lepores duodecim cum caseo, et duobus juvencis pondo DCCCXLI et undecim funalia octonum pondo gratulantes dono miserunt. Paucis ante mensibus Ferrariae nobile quod conflagraverat Atestinorum palatium magnum futuri principis splendorem significasse ferebatur. Cum vero Alphonsus Parmae exercitum contra se quotidie augeri sentiret, Alberto Sacrato in Regii praefectura Alphonso Bevilaquae suffecto, in universa sua ditione militem conscripsit. Sed dum imminentis belli terrore omnia complentur, Clemens insanabili morbo corripitur, ac in urbem revectus post duos menses quam jacere coepit, anno pontificatus undecimo, sexto calendas octobris consumptus est. Lethi causam Curtius medicus, qui mutandi victus auctor fuerat, dedisse creditus est. Eo nuncio accepto mirum in modum laetatus Alphonsus ne aliquam bene gerendae rei occasionem praetermitteret, Novium sibi a Leonello ereptum recepit. Post decem vero et septem dies, quam sedes vacavit, Alexander Farnesius, qui Pauli III nomen desumpsit, Pontifex est declaratus. Cum is Borgiae familiae conjunctissimus Atestinis fautu-

rus esse crederetur, Regienses publice laetitiam ostenderunt. Ceterum Alphonsus praesente felicitate non diu laetatus, quinto et tricesimo die post Clementis obitum pridie calendas novembris et ipse decessit. Ex nimio melopeponum esu lethali concepto morbo mortem accersivisse existimatus est.

Defuncto patri Hercules, ejus nominis secundus, successit. Ob id Regii aperti carceres, vectigalium et causarum criminalium libri lacerati, publiceque luculenti ignes ad exprimendum gaudium accensi fuere. Bonifacius Rugerius, Vincentius Scajolus equites, Annibal Malegutius, et Antonius Maria Fontanellus legati Ferrariam gratulatum missi, obtinuerunt, ut per annos decem Ædilis a civibus libere crearetur: rusticis parte dimidia zearum, et tributi taxarum quas debebant dimissa, reliquum, quod debebant intra quinque annorum spatium pro rata solvere jussi. Hercules ubi primum imperii habenas suscepit, nihil antiquius habuit, quam ut nutantia urbium suarum jura confirmaret. Itaque centum millibus aureorum ex forma sententiae a Caesare latae Paulo Pontifici numeratis, non modo se a funestis contentionibus singulari prudentia liberavit, verum etiam Hippolytum fratrem inter purpuratos senatores legi fecit. Ob id factum, et aequissimum postea moderamen, laudatissimosque mores, omnium Italiae principum sapientissimi nomen tulit. Postea ubi Paulum Perusium venisse audivit, eo profectus perpetuum cum ipso pacis foedus percussit. Inde cum Neapolim ad Caesarem se transtulisset, ob sententiam antea latam cumulate gratiis actis in intimam ejus amicitiam receptus est. Is paulo ante Barchinone in Africam solverat, ubi in Guletam arcem munitissimam a captivis christianis receptus, navigiisque sexagenis cum

magno aeneorum tormentorum numero Ænobarbo archipiratae ereptis, ingentem barbarorum stragem ediderat [1]. Nec multo post pluribus hostium caesis etiam Tunetum, ubi olim Carthago fuit, insignem urbem expugnavit; ac Muleasse, qui a filio ejectus fuerat, in regnum restituto, in Siciliam navigavit. Quinque millia Germanorum ab ea expeditione reversa tanta modestia Regii pernoctarunt, ut nullum de se conquerendi locum reliquerint. Praeclaram hanc Caesaris felicitatem adjectum nobile Mediolani imperium mirabiliter adauxit. Defuncto enim [2] Francisco Maria Duce, Antonius Levius Caesarianarum copiarum in Italia imperator omnes Insubrium civitates occupavit. Supererat Joannes Paulus extincti principis frater, qui dum Neapolim ad paternum imperium a Caesare repetendum contendit, in itinere decessit. At Gallus Insubriam, quam ab aemulo Carolo detineri aegre ferebat, quamprimum subigere constituit. Per Valentinam enim proaviam suam, quae Philippi Vicecomitis Mediolanensium Ducis soror Ludovico Caroli V regis filio et Aurelianensium principi nupta fuerat, illud imperium vindicabat; ac, praeter legitimam successionem etiam tabulis nuptialibus adjectum erat, ut Valentinae liberi, Philippo sine justa prole decedente, Insubrium principatu potirentur. Susceperat autem Ludovicus Carolum et Joannem filios, quorum ille Ludovicum postea Galliae regem procreavit, hic Engolismorum princeps Carolum Francisci regis patrem genuit. His subnixus juribus cum armis sibi decernendum esse judicaret, Claudium et Guidonem Rangonos,

(1) MDXXXV die XXX aprilis spatio mensis fusa est a quatuor Gallis campana majoris templi pondo 11500, pretio aureorum 45.

(2) Mense novembris.

aliosque egregios duces iu diversas Italiae civitates ad conscribendas copias dimisit [1]. Auuibal quoque Nivolarius armorum peritia, et corporis robore ceteris tribunis antecelleus, militem et ipse Regii cogere coepit; sed ab Hercule Atestiuo, qui neutrarum partium prudenti consilio videri volebat, finibus suis excedere jussus est.

Gallus interim ad tauti belli molem sustinendam quadraginta millium peditum legiones, exemplo Romanorum Caesarum, per Gallias perpetuo exerceudas alebat; quibus iustructus Carolum Allobrogum principem avnuculum quamprimum e Sabaudia expulit. Belli caussam praetulit, quod Ludovicae matri a Carolo fratre quaedam haereditas inique retiueretur; sed re vera indignatus, quod precibus Beatricis uxoris, quae Isabellae Caesaris conjugis soror erat, secum arma conjungere noluisset. Subacta Sabaudia, alpes transgressus primo impetu Taurinum occupavit, et Vercellas obsedit. Ad eum iu exercitus supplementum a variis ducibus coactae copiae per Regienses transmittebantur; ac inter alios Valerius Ursinus quingentorum equitum alam, et magnam peditatus vim sibi ab Alexandro Medice commissam duxit. Caesar ubi Gallorum conatum iutellexit, accito ex Germania Hispaniaque milite duodecim millia Germauorum, et Fabricium Maramottum quatuor millium quiugentorum peditum et centum equitum ducem per Regienses ad defeudendas Insubrium civitates praemisit. Ipse, cum Venetis adversus Turcas foedere percusso, Neapoli Romam venit. Ibi apud Pontificem de Galli perfidia couquestus, misso libello Franciscum regem ad singulare certameu provocavit. Mox diplomate celebrandi Mantuae concilii a Paulo

(1) MDXXXVI.

obtento, post undecim quam venerat dies, per Senenses et Florentinos rebus bellicis consulturus in Galliam cisalpinam venit. Eum mille quingenti equites sub Hieronymo Ursino, et alii ducenti sub alio duce per Regienses sunt secuti. Aliud paucis ante diebus patratum facinus non mediocriter Caesarem perturbaverat. Galleotus enim Picus, Joanne Francisco patruo musarum alumno occiso, Mirandulam munitissimum oppidum Galli opibus armisque tuebatur; ibi ex infimis gentibus collecto milite, cum non modicum Insubrium imperio damnum afferret, eam novi alendi belli sedem habere videbatur. Caesar id aegre ferens, qui etiam trucidati Francisci liberos in paternam ditionem restituere cupiebat, septem Germanorum millia, ut oppidum expugnarent, per duos menses in Regiensium aestivis ad S. Martinum tenuit; quae postea Italis conjuncta ad numerum hominum circiter decem millium excreverunt. Sed cum eam expeditionem in opportunius tempus diferri placuisset, corruptis frumentis, tantum Mirandulensium praedia devastarunt, et ad Caesarem, qui cum valido exercitu Provinciam invadebat, contenderunt. Sed ille a Gallo, qui ad Avinionem castris positis agros omnes late incenderat, in magnas difficultates conjectus, amisso Antonio Levio, multisque inedia consumptis, re infecta, Genuam, et inde in Hispaniam redire coactus est. Ceterum Franciscus rex non diu eo successu laetatus, filium sibi in regno successurum amisit; quem ipse a Ferdinando Gonzago et Antonio Levio per ministros veneno sublatum fuisse, missis ad principes litteris, conquestus est, Sebastianumque Moncuculanum, qui facinus patrasse dicebatur, equis distractum velut perduellionem punivit (1).

(1) Erasmus, julio mense, annum agens septuagesimum Basilicae decessit.

Regii vero ob exules, qui conjunctis viribus urbem impetere ferebantur, populus non sine timore arreptis armis moenia custodivit.

Sub finem anni Hercules, qni post susceptum imperium nondum ditionis suae urbes ingressus fuerat, Reginm venit. Praeter graviores viros equo vectos, ei triceni ex omni jnventute delecti adolescentes albis vestibus, at raso bombicino contextis, conspicui sed nigro thorace superinduti pedites occurrerunt. Arcns in ejus honorem erecti per depictos Herculis labores haud obscure virtutes principis significabant. Illo ingrediente in summo arcu quod ad D. Petri portam aedificatum erat, vir herculeo habitu armatus hydram mira arte compositam percussit, quae septem capita artificiose movens dnm longe terrificos ignes evomit, Ducem ipsum et spectantes mirabiliter oblectavit. Urbem ingressus, omnibus sacri ordinis viris praevia cruce occurrentibus, sub umbella a civibus exceptus fuit; ea, ubi ad majus templum deductus est, a praetorianis direpta fuit; equum adolescentes abduxerunt, qui centum aureorum pretio postea redemptus est. Postridie cives praeter varia edulia auream etiam cupam cum operculo principi obtulerunt. Postridie in majore templo Bassianus Landus Placentinns, praeceptor meus, qui tum Regii graecas, latinasque litteras magna cum laude publice profitebatur, luculenta oratione in ejus laudem recitata munus viginti ulnarum villosi bombicis retulit. Is postea Patavii medicinae theoricem magna audientium frequentia interpretatus celebre nomen sibi comparavit, donec sicariorum manu trucidatus occubuit. Ceterum concilium Mantuam indictum quamquam reclamantibus Germanis ob varios tnmultus in calendas majas sequentis anni (1)

(1) MDXXXVII. Census civium a censu rusticorum separatur.

Vicentiam translatum fuit. Alexandrum vero Medicem Florentiae Principem Laurentius agnatus, spe potiundae nobilis matronae in aedes suas traductum, trucidaverat; cui Cosmus gentilis Caesare concedente suffectus, Eleonoram Petri Toletani filiam uxorem duxit. Caesar quoque Toroane Morinorum diu per legatos obsessa, tandem S. Paulum oppidum in Belgis Atrebatibus, vulgo Artesienses vocant, cum arce occupaverat, in subalpinisque magna hostium strage facta, Cherium receperat. Paulus vero Pontifex, vir consilio prudēns, ut sublatis belli discordiis aliquo principatu posteros amplificaret, praesentibus tumultibus occurrendum esse existimavit. Niceae itaque, quae urbs est Provinciae praeclara, cum Gallo et Caesare convenit, ubi cum pacem firmare non potuisset, in decem annos inducias a principibus extorsit (1); ac Margarita Caesaris notha, quae Alexandri Medices uxor fuerat, Octavio ex Petro Aloysio nepoti nuptui locata, discessit. Dum Paulus Niceae fuit, Caesar, incertum ex qua causa, cum Gallo non est collocutus. Postea vero in Hispaniam iturus cum ad Aquas mortuas, quod est ad ostium Rhodani Galliae Narbonensis oppidum, olim Fossa Mariana dictum, classe applicuisset, Gallo venienti ad scalas obviam prodiit. Incredibili gratulatione, arctisque complexibus se salutantes, in puppi familiariter consederunt. Ibi Rex, Auria, qui annis decem ante a se defecerat, accersito: quandoquidem, inquit, ita visum est Augusto, ut te invisam ei morem gerere volui. Mox cum Caesare per horam remotis arbitris, collocutus discessit. Postridie Carolus ex litore a rege et regina cum duobus filiis in palatium deductus ibi pernoctavit; mane cum

(1) MDXXXVIII.

rege pransus, et ad classem reversus in Hispaniam navigavit. Regii vero cum adhuc tumultus essent, Hercules vicenos cataphractos urbem cum peditatu defensuros misit, quibus cives hospitium exhibere, paleasque et ligna aequo pretio vendere jussi, sed illi instructa cnm luxu cubicula exposcere, et alia suo arbitrio disponere coeperunt. Querentibus ea de re apud Herculem civibus rescriptum est, ut praeter stratum cum fulcris mensae, scamni, cupae et stabuli usum cetera miles justo pretio emeret. Sed induciis inter Gallum et Caesarem publicatis, illi mox Ferrariam sunt revocati. Aliud quoque Regiensibus est indultum, ut in causis summam trecentorum aureorum non excedentibus duabus latis sententiis litigatores Ferrariam ire non compellerentur, sed ab uno ex jureconsultis Collegii, in quem consensissent, lis decideretur. Cum vero qui ditionem in Regiensium castellis habebant, subditos Regium sedem transferre non permitterent, et civium agricolas in suis moletrinis frumenta molere iniquius cogerent, id ab Hercule agere decreto sunt prohibiti. Eo quoque anno turris sancti Prosperi a Castello ingenti studio magnifica quadrati lapidis structura coepta est aedificari.

Caesar autem amissa conjnge Isabella Emmanuelis Lnsitaniae regis filia per Gallias in Germaniam proficiscitur. Quo tempore (1) Philippus Ænobarbus archipirata Castellum novum in sinu Ambriaco Illyrici oppidum, praesidiariis Hispanis, qui in Regiensibus anteactis annis onerosa hyberna habuerant, interfectis, occupavit. Eum locum anno ante Veneti Caesari conjuncti ceperant, ex foedereque sibi deberi contendebant. Sed cum Augustus

(1) MDXXXIX.

quater mille Hispanos in oppidi praesidio posuisset, neque res ex sententia cessissent, Venetis necesse fuit cum Turca iniquam pacem facere, cujus gratia ei Naupliam et Monembasiam, et amplius trecentis millibus aureorum nummorum tradidere. Tanta eo anno frugum inopia fuit, ut sextarius noster frumenti plus tribus aureis venierit. Eam ob rem Albertus Pancirolus Curiae princeps cives hortatus, ut ad emendum frumentum pecuniam conferrent, ipse primus centum aureos numeravit; aliis ejus exemplum secutis, cum ingens nummorum numerus coactus esset, ad emendum ex alienis regionibus frumentum negotiatores miserunt. Praeter haec cives ad alendos pauperrimos quosque triticum, pecuniamque hoc ordine contulerunt, ut ex suae viciniae sacerdote praescriptam sibi panis carniumque partem quilibet inops perciperet. Superveniente postea maxima frugum copia (1), cum respublica ingens aes alienum ob emptum carius frumentum contraxisset, novum tributum imponi oportuit; ad quod solvendum etiam qui immunitatem adepti fuerant a Baptistino Stroccio urbis Praefecto condemnati fuere. Uberioris praeterea annonae gratia decretum est ab Hercule ne ex castellis pecora in urbem duci prohiberentur, graviore poena laniis, qui edicto fraudem fecissent, denunciata. Paulus vero Pontifex qui transferendae ad nepotes Parmae et Placentiae animum adjecerat, Lucam venit (2), ubi cum Caesare collocutus, quod eum gravioribus curis implicitum invenerit, nihil efficere potuit. Juliam enim Caesaream, nunc Algeriam dictam, urbem a barbaris in Mauritania occupatam expugnaturus viginti duorum

(1) MDXL. Mense augusto Gulielmus Budaeus obiit.

(2) MDXLI.

millium peditum et equitum supra mille exercitum collegerat: sed postea ob ortam tempestatem navibus et majoribus tormentis amissis cum milite in Hispaniam retrocessit. Gallus quoque per eos dies abrumpendarum induciarum occasionem invenit, quod Caesar Fregosius Genuensis, et Antonius Riconius Hispanus, quos ad evocandam Turcicam classem legatos mittebat, dum per Padum Venetias deferuntur trucidati fuerant. Ea nova injuria concitatus Franciscus Rex primum Lucemburgo in Belgis capto Papirianum in Hispania obsedit, atque in Pedemontibus novo belli incendio suscitato classem Turcicam per Polinum ad oram ligusticam traduxit. His motibus auditis Hercules, ut ad omnem occasionem paratum militem haberet, singulos ex quaque rusticana familia, quae plures puberes habuisset, pedites describi voluit: omnibus tribuni, a quibus erudirentur, praefecti, et quamquam cohortem sub uno pago unoquoque mense lustrari, simul vero omnes, binis aureis cuique numeratis, bis quotannis recenseri statutum fuit. Cunctis ferendorum armorum praeter quam in conventibus publicis facultas concessa, vexillaque a villarum universitate comparari jussa. Tanta eo anno locustarum ex Germania in Italiam multitudo venit, ut solem obscuraverint. In Regiensibus ubi consederunt virentibus omnibus devoratis solum herbis, et arbores foliis denudarunt.

Interea Paulus Pontifex, Concilio Tridentum indicto (1), Caesarem ex Hispanis in Germaniam redeuntem Busseti, quod est ad ripam Tari inter Placentiam et Cremonam non ignobile oppidum, convenit. Ibi se Placentiam et Parmam Petro Aloysio filio concessisse exposuit, et quod

---

(1) MDXLIII.

principatus Insubrum hae urbes quaudoque fuerint, augusta auctoritate contractum confirmari postulavit. Caesar, quod Pontifex secum contra Gallum arma coujungere recusavisset, nec ipse ratam earum civitatum alienationem habere voluit, ad Henricumque Angliae regem conversus eum in partes suas pertraxit. Deinde Philippo filio Hispaniarum regi declarato Mariam Joannis Lusitaniae regis filiam in matrimonio collocavit. Liburni et Florentiae arcem Cosmo, ducentis mille acceptis aureis, concessit. Magna sequenti anno (1) solis eclipsis, et triplex lunae orbis ingentes clades nunciavit. Classis enim Turcica, post captam in Provincia, excepta arce, Niceam, oramque Ligusticam et Tyrrhenam direptam, Byzantium se contulit. In Pannonia quoque terrestri exercitu Solimanus Quinque Ecclesias, Strigoniam, et Albam regalem expugnavit. Contra Caesar idibus aprilis, qui dies dominicam resurrectionem secutus est, ad Carignanum insigni clade accepta, postea in Belgis Lucemburgum recepit. Anglus vero trajectis in Galliam copiis Bononiam urbem clarissimam occupavit. Tandem mutuis cladibus utrinque principes attriti pacem inierunt. Gallus, Neapoli et Mediolano dimissis, Sabaudo ablata se restituturum professus est. Contra Caesar se Burgundia inferiore decessurum, Caroloque Aureliano regis filio, aut Mariam natu majorem filiam, aut unam ex Ferdinandi fratris filiabus, utram inter quatuor menses optaret, se nuptui traditurum pollicitus est. Si filiam daret Brabantiam, Gheldriam, Lucemburgum, Limburgum, Flandriam, Bataviam, Frisiam superiorem, Burgundiam, usufructu sibi, dum viveret, servato, dotis nomine spopondit, quae, sine liberis dece-

(1) MDXLIV.

dente filia, ad se aut haeredes reverterentur. Si vero Ferdinandi filiam traderet, Mediolanensem principatum pro dote futurum dixit. Quae omnia, Carolo Aurelianensi non multo post decedente, irrita fuere. Regii vero cives censum memorialis vocatum pro annua centum aureorum pensione ab Hercule in emphyteusim acceperunt. Est id tributi genus quod contrahentes ei solvere tenebantur qui Principis jussu conventionum memoriam conservabat. Id institutum fuerat, ut cujusque rei dominii origo facile posset inveniri.

Ceterum Paulus Pontifex diu concoctum Parmae et Placentiae Petro Loisio tradendae consilium, tandem patefecit [1]. Ac prius cujusque Purpurati voluntate privatim explorata, cum plures in suam sententiam blandiendo adduxisset, senatum convocavit. Duas ultra Mutinam et Regium Ecclesiae civitates longe remotas magno incommodo impensaque defendi exponit. Eas, altercantibus inter se christiani orbis principibus, expositas facile ab alterutro, qui vicerit, occupari posse, praesertim cum ad Insubrum principatum pertinere dicantur. Expedire magna molestia Sedem Apostolicam liberare; et Camerino, quod in mediis Ecclesiae terris continetur, accepto, eas urbes Petro Loisio beneficiario titulo regendas committere; ita futurum, ut directo apud Ecclesiam dominio residente, nec alienatae civitates viderentur, et alterius urbis lucrum fieret. Eo inani colore persuasis patribus, Grimanus illarum civitatum legatus revocatur, quarum Petrus Loisius Dux declaratus tertio calendas octobris primo Parmam, deinde Placentiam obtinuit. At Hercules Atestinus veritus, ne id factum novi quandoque belli causam pareret, ingenti stu-

(1) MDXLV.

dio muniendo Regio animum adjecit. Dum vero Concilium Tridenti celebratur (1), Caesar contra Germanos, quos novae religionis specie contumaces nova moliri sciebat, expeditionem parat. Praeter Hispanorum tria millia, et quinque Germanorum, quae apud se habebat, etiam sex millia veteranorum Hispanorum Neapoli evocavit. Ei Pontifex dimidia parte annuorum redituum qui ex sacerdotiis percipiebantur concessa, decem millia peditum, et quingentos equites sub Octavio nepote in auxilium misit. Hercules quoque Atestinus centum equorum et Cosmus Medices ducentorum opem tulerunt. Contra Fridericus Saxoniae Dux, et Philippus Hassiae Lantgravius liberis civitatibus foedere conjuncti in libertatem se asserere nitebantur. Caesar postquam aliquandiu peste et caritate annonae atque imbribus laboravit, demum Durensi Comite, aliisque Neapoli quingentis equitibus sibi adjunctis, plura oppida ac ipsum denique Joannem Fridericum feliciter cepit. Mox Erico Brunsvicensi profligato, Lantgravium in deditionem accepit. Inter haec Franciscus pridie calendas aprilis (2) decedens Henricum filium viginti octo annos natum, opulenti regni gallici successorem reliquit. Rex magnae eruditionis fuit, qui ex litterarum colloquio omnes disciplinas adeo exacte didicerat, ut plenam arborum, plantarum, gemmarumque notitiam haberet; insignem etiam bibliothecam, undique ex Italia et Graecia libris conquisitis, instituerat; ac quinquaginta millia annuorum aureorum censum alendis sexcentis studiosis in Collegio a se condito destinaverat, in quo omnes artes, et linguae docerentur.

---

(1) MDXLVI.
(2) MDXLVII.

At Concilium Tridentum indictum, quod Hieronymus Fracastorius Medicus menstruis aureis sexagenis conductus pestem predixisset, Bononiam transfertur. Id aegre ferens Caesar sui imperii episcopos inde discedere prohibuit. Inter haec Comes Fliscus Genuam occupaturus, Zanettino Auria interfecto, in magnum discrimen patriam conjecit; sed dum in triremem transit, mari demersus tumultui finem imposuit. Petrus Loisius velut ejus conspirationis auctor ad causam dicendam a Caesare citatur, qui cum se Pontificis exercitus imperatorem Italia non discessurum respondisset, alia arte punitus est. Scripserat ad eum pater Pontifex astronomiae peritus, ut a die decima septembris sibi caveret, et ille ob eas litteras sollicitus omnes urbis munitiones inviserat. Sed fato impellente domum reversus a triginta sex conjuratis cum sacerdote stabuli magistro, et quinque Germanis satellitibus Placentiae confossus est. Concurrentibus ad rumorem civibus percussores occisum esse tyrannum clamant, catenaque ligatum cadaver ex fenestra suspendunt: demum aliquandiu per ruinas devolutum in fossam praecipitant. Mox direpta nobili supellectile Ferdinandum Gonzagum, qui in Mediolanensi praefectura Alfonso Davalo proximo anno suffectus fuerat, cum militum manu adventantem in urbem recipiunt, ac Caesari se dedunt. Frustra sollicitati Parmenses ut a Pontifice deficerent, in fide permanserunt. Paulus ubi divino judicio se filio privatum et Placentia spoliatum animadvertit, sero rescipiens Parmam Camillo Ursino ei praefecto restituit. Hercules vero Atestinus filiam natu grandiorem Aumalio Guisii Principis filio, qui Caesaris ex sorore neptem Lotharingiae Dominam frustra ambierat, uxorem dedit: dehinc Philippo Hispaniarum Regi, qui a Caesare patre in Germaniam accitus in Italiam venerat, Mantuae

occurrit: ibi regio instructus apparatu, et incredibili magnificentia alios proceres superans in se omnium oculos convertit. Mirum erat aulaea eruditis manibus auro bombiceque intexta, et toralia gemmis distincta, superbamque supellectilem inspicere. In spaciosa coenatione tres auro argentoque onusti stabant abaci, sed ad majorem luxum ostendendum centum convivis aliunde argenteis vasis semper ministrabatur. Philippus quamquam natura humanus ab assentantibus praeceptoribus Hispanicum fastum edoctus, cum vix alios Principes respiceret, Herculem tamen praeter omnium opinionem benigne amplexus est. Ipse non multo post cum primum Spirae patrem convenit, commutatis antiquis moribus, vanaque superbia relicta, cum omnibus familiariter est versatus. Caesar in ejus fidem omnes inferioris Germaniae populos, accepto prius juramento, adegit.

Ceterum (1) Octavius Pauli III ex Petro Loisio nepos Parmam, quam amissa Placentia sibi ab avo ademptam fuisse aegre ferebat, astu intercipere, et, ut quidam asserunt, etiam Caesari tradere statuit. Litteris igitur confictis, et clam Pontificis signo munitis, quibus ea urbs sibi tradi jubebatur, currentibus equis ad Camillum Ursinum Praefectum advolat. Id ubi Pontifex rescivit etiamsi celeriore nuncio nepotem anteverteus Ursinum de insidiis certiorem fecisset, rei tamen gestae dolore consternatus quarto idus novembris decessit. Camillus de voluntate Pontificis edoctus Octavium Parma exclusit. Interea coactis ad novum successorem creandum senatoribus, Alexander Farnesius, qui plurimos a Paulo avo in senatum lectos sectatores habebat, nemini temere favendo diu electionem

(1) MDXLIX.

retardavit; tandem in Joannem Mariam Montanum ea conditione consensit, ut Parmam Octavio fratri restitueret. Is igitur quarto idus februarii (1) Pontifex declaratus, et Julius III vocatus, promissa Farnesiis praestitit. Currebat tunc jubilaei annus, quo aurea porta pro superiorum Pontificum more erat aperienda; ea aureo malleo a Julio primum percussa, cum subinde ostium fabri aperuissent, irrumpens populus calcem et rudera velut religiosa abstulit. Malleus qui honoris gratia amicissimo tradi solet, Augustano Cardinali est donatus. Hercules Atestinus Romam profectus ditionis suae confirmationem retulit. At Octavius, Parma recepta, cum nec petitam Placentiam, nec Parmensium oppida a Caesare socero obtinuisset, ad Henrici Galliae regis partes se contulit. Quare Diegus, qui Senas pro Caesare tenebat, Parmam in Ecclesiae fraudem in Gallos alienatam fuisse Julio suadet, et credulum hominem facile ad inferendum Octavio bellum impellit. Ferunt aliqui tacite conventum fuisse, ut, Parma Caesari concessa, principatus in Apulia Joanni Baptistae Julii ex fratre nepoti traderetur. Citatus in primis Octavius ut intra triginta dies Romae se sisteret; ubi non venit, bonis publicatis, perduellionis damnatus est, et Caesaris auxilium ad puniendum hostem imploratum. Demum conscriptis duodecim millibus peditum, cum ad Niceam flumen Ferando Gonzaga Mediolani Praefecto mense junio se conjunxisset, convenit, ut Caesariani Parmam obsiderent. Pontificii vero, duce Joanne Baptista Balduini Julii fratris filio, Mirandulam expugnarent. Erat is ferocis, ac impotentis ingenii juvenis, qui primo impetu agris undique devastatis plus octingentas Mirandulensium

(1) MDL.

aedes incendisse dicitur. Et cum Mantuanorum etiam praedia vexasset, legatum, qui ut de illata injuria quereretur missus fuerat, liberius locutum vulneravit. Contra Gallus, ubi se Ecclesiae causam suscepisse frustra praedicavit, Caesari bellum indixit nonnullaque in subalpinis oppida occupavit. Deinde pecunia ex Galliis Romam deferri prohibita et sacerdotiorum collatione sibi retenta, decies centenum millium aureorum censum Pontifici abstulit. Ferandus vero, octo et decem millibus hominum coactis, primo impetu Brixillum occupavit. Deinde ut Monticulum, et Castellum Novum ab Hercule Atestino sibi committerentur obtinuit. Tum vastandis praediis, abigendisque pecoribus intentus ex Regiensibus multa, quae Parmensium esse dicebat, abduxit. Nonnullos etiam ex Regiensibus et Cambium Cambiatorem legatum a civibus Parmam missum, captivos duxit. Sed hoc ob crebras Regiensium querelas demum dimisso, ceteri octingentis et mille aureis se redimere coacti fuere. Id militibus, quibus ob rei nummariae difficultatem stipendium non repraesentabatur, concedi necesse fuit. Interea vallo ad Niceae pontem erecto trinis castris Parmam obsedit; ubi pluribus levioribus praeliis commissis Colurnum per proditionem, aliaque ignobilia oppida cepit; demum ad defendendos subalpinos, ubi Gallus Cherium et S. Damianum occupaverat, revocatur. Regienses magna in vicinos humanitate usi per publicum nuncium invitatos plures ex Parmensibus in urbem hospitio pie susceperunt. Hanc ob causam cum Gallici nominis studiosi esse dicerentur, crebras agrorum direptiones saepius sustinuerunt. Placidissima hyems secuta, quae nulla ventorum, nivis, aut pluviarum vim sensit, magnam rapinis occasionem praebuit.

Hercules interim propugnacula ex pratorum crustis cretaque interjectis trabibus ad muniendum Regium erigebat. Ceterum Julius, qui se Gallicis reditibus privatum et bellico sumptu, nulla memorabili re acta, oneratum esse animadvertebat, ab armis discedere constituit. Gallo itaque ea conditione conciliatus, ut ipse neutrarum partium esset, exercitum, quo Mirandulam obsidebat, Caesarianis ducibus erat traditurus. Evenit itaque ut quo die pacis conditiones recitandae erant, qui Dominicae passionis fuit, Joannes Baptista ex Balduino fratre Pontificis nepos idemque copiarum imperator temere egrediens ab hostibus occideretur. Minores duces vel amisso exercitus praetore in obsidione, ut convenerat, Caesaris nomine erant permansuri; verum Hippolytus Atestinus Cardinalis magna calliditate in ea rerum perturbatione numeratis praesente pecunia quinis aut senis aureis singulis militibus, omnes ex Pontificio exercitu ad se traxit. Ita destituti duces discedere coacti Mirandulae obsidionem deseruerunt. His actis Caesar cum inducias in duos annos cum Octavio Farnesio, et Mirandulensibus fecisset, Monticulum et Castellum Novum Herculi Atestino restituit: Brixillum quoque aliquaandiu retentum ea postea conditione redditum est ne Hippolyto Cardinali restitueretur. Hercules, qui eo bello urbibus suis vehementer timuerat, ubi armorum metu liberatus est, ad Regium Brixillumque firmius muniendum se convertit. In primis ne ullum hosti tuto consistendi locum relinqueret, omnia extra urbem per quingentos passus aedificia, arboresque mense octobris disjecit. Praeter longa suburbia, magnificaque hospitia, et plures privatorum aedes, quae cum publico luctu ceciderunt, Divi etiam Joannis templum, quod prope Divi Petri Portam magna elegantia cum nobili pa-

latio, topiariisque operibus, et jucundissimis vivariis fabricatum erat, dirutum fuit. Extra Portam Castelli amplum Minoritarum coenobium latis piscinis, umbrosisque nemoribus, et amoenissimis viridariis insigne cum alio templo Divi Claudii, ubi praeclarum Antistitis praetorium erat, solo aequatum fuit. Miserandum erat sacra templa everti, jucundissimos privatorum secessus devastari, limpidissimos fontes obstrui, frugiferas arbores exscindi, desolatosque undique campos conspicere. Ea ruina centum millium aureorum damnum civibus illatum fuisse ferunt. Fons, qui in D. Joannis peristylio saliebat, intra moenia est receptus; et Minoritae quam nunc habent S. Spiritus aedem obtinuerunt. Sequente anno sub finem junii Sebastianus Pighinus magno purpuratorum applausu in Cardinalium collegium est cooptatus. Is ex Recetto Regiensium pago oriundus cum juribus operam dedisset, jurisconsultus creatus primo Romanis singulari aequitate et justitia jus dixit, postea ad regendos Perusinos missus, et iterum Romam revocatus, Joannis Baptistae Cicadae Auditoris, ut appellant, Camerae Vicarius factus est; deinde Auditor Rotae, et Syponti Archiepiscopus declaratus ad Carolum Caesarem pro Pontifice legati officio functus est. Demum cum Tridentinae synodo praeesset superiore anno occultis suffragiis ne alii, qui Concilium celebrabant, Patres offenderentur, Cardinali dignitate honestatus fuerat. Sed id nonnisi eo Romam reverso post annum et mensem est publicatum. Hac tamen dignitate paulo plus biennio frui potuit; cum enim pridie calendas novembris MDLIII in divinis officiis sudorem concepisset, refrigerato corpore aegritudinem contraxit, ac primum dolore renum, mox alterius pedis tumore affectus, febri laborare coepit. Demum invalescente morbo intra octo dies undecimo

calendas decembris circa duodecimam horam noctis vita functus est.

Per id tempus Mauritius, quod socer Lantgravius non liberaretur, cum Gallo se conjunxerat, ac contra Caesarem bellum molitus Augustam et Erebergum per deditionem ceperat. Quo audito Patres Tridento aufugerunt, et Caesar Oenoponte discedens cum Ferdinando fratre Villacum, quod est in Carnis ad Dravam oppidum, se recepit. Mauritius Oenopontem veniens Caesaris supellectilem diripuit; demum Lantgravio dimisso, Caesari est conciliatus. Gallus autem Metim cum Lotoringhia aliisque oppidis occupavit, ad quam obsidendam Caesar profectus profligatis hostibus Guisium, tribus illatis vulneribus, cepit. Demum frigore, et peste amissa tertia parte exercitus, quam quindecim millium peditum, et quinque millium equitum fuisse ferunt, Metis obsidionem solvit. Inter haec Senenses, cum Diegus Praefectus Romam petiisset, a Caesare ad Gallum defecerunt, ad quos regendos Hippolytus Atestinus Cardinalis profectus quingentos familiares secum adduxit. Ea re indignatus Caesar a Petro Toledo Neapoli Prorege Senas expugnari jubet, qui dum Florentiae apud generum eam expeditionem parat, veneno, ut ferunt, sublatus decessit. Non ideo minus Caesar qui Teroanam Morinorum ceperat, et in Pedemontibus bellum gerebat, Senas obsidere destitit; sed inde milites ad defendendum a classe Turcica Neapolim revocati, obsidionem solverunt. Illa totum litus Tyrrhenum foede devastaverat, ingentique hominum et pecudum abacto numero opulentam praedam fecerat; demum adveniente Caesarianorum auxilio repulsa, Bonifacium oppidum in Corsica Galli nomine occupavit. Post haec Philippus Caroli filius, Maria, quae in Anglo regno, defuncto fratri Eduardo

successerat, uxore ducta, Mediolani principatum a Caesare patre obtinuit. Cosmus autem Medices, qui ampliando imperio stndebat, cum Carolo Angusto convenit, ut Senas obsideret, et captas sui juris efficeret, quam postea, cum Petrnm Stroccium ad liberandam urbem missum profligasset, jure beneficiario obtinuit. Contra Gallus Dovino et Dinanto ad Mosam flumen captis, etiam Mariemburgum et Binsinm occnpavit. In Pedemontibns quoque, dnce Brisaco, Eporediam nunc Invercam vocatam, et cum Valleaugusta etiam Casalem Montisferrati invasit. Sub id tempus Julio Pontifice defuncto, Marcellns successit, qui superflnis snmptibus recisis, cum magnam sobrietatis et frugalitatis spem dedisset, intra viginti dies defunctus est. Ei Joannes Petrus Caraffius Neapolitanus Theatinus episcopns, Paulus IV vocatus, est suffectus (1). Tandem post multas illatas, acceptasque clades Caesar cum Gallo in quinquennium inducias inivit, quae Pontificis opera non diu observatae fuere. Is enim Paleanum Columniis velut rebellantibus ademptum nepoti ex fratre tradiderat, et Balnenm in Flaminia non ignobile oppidum, possessore expulso, alii nepoti concesserat. Columnii Caesaris praesidium imploravere, quibus Dux Albae Italiae praefectus opem ferre jussus, quatnordecim millium peditnm, et mille quingentorum eqnitum collecto exercitu, nonnulla Ecclesiae oppida invasit. Quo tempore Sebastianus Corradus Recetto oriundus, et praeceptor meus, qui primo Regii, deinde Bononiae magna cnm lande publice docuerat, stranguria oppressus decessit, et in Divi Dominici aede Regii humatus fuit.

---

(1) MDLVI.

Inter haec Octavius Farnesius a Gallo ad Caesarem defecit, Placentiamque et Novariam, praeter arces, omniaque Parmensium oppida recepit. Regii vero cum a coenobitis sacrae virgines turpiter violari dicerentur, decretum est ut illae sub delectorum civium cura degerent: non ob id tamen aliquae pollutae castitatis notam evitarunt, quae occulte se cum nonnullis Divi Dominici religiosis nefarie commiscuisse diffamabantur. Id ubi Alberto Pancirolo curiae principi relatum fuit, qui a necessariis coactus, convocatis affinibus, et omnium virginum curatoribus, rem turpiter patratam per certa indicia aperit: interrogat, quid in re tam gravi deliberandum censeant. Omnes armis populi sacrilegos ejicendos esse clamant, ac de nefariis supplicium sumi postulant. Cum irati cives oratione flecti non possent, plurium votum obtinuit: adeoque ob criminis atrocitatem audientium animi exarserant, ut vix in posterum diem, qui sextus calendas novembris fuit, negotium differri potuerit. Mane sub tertiam horam in forum conscii venere, ubi aeris campani crebra pulsatione cives ad arma vocati ad Divum Dominicum contenderunt, factoque in coenobium impetu cum innocentibus sontes magno cum religiosorum dedecore expulerunt. Alphonsus Tassonus urbis Praefectus cum militibus ad rumorem accurrens sanguinem effundi prohibuit. In eorum cellulis cum phrigianis sudariis, et mitris acu pictis inventae amatoriae litterae deprehensam turpitudinem manifestius indicasse feruntur. Illis ejectis Ludovicus Zobolus, et Franciscus Maria Brameus ad loci custodiam relicti supellectilem custodierunt. Ceterum Hercules alios ex eodem ordine honestiores ad idem coenobium redire, et Divi Raphaelis virgines custodire voluit; quae omnes, praeter tres vitae sanctitate incorruptas, pollutae fuisse

dicebantur. Inter hos tumultus Divi Benedicti patres Sanctae Magdalenae virgines in comitiis Mantuae habitis dimiserunt, quae Herculis auctoritate postea in pristinam tutelam receptae fuerunt. Ego qui tum Patavii profitebar, in privatis comitiis, quae ibi Patres habuerunt, ob eam rem obtinendam, non mediocrem meam operam praestiti. Pontifex vero, qui a Duce Albae acriter urgebatur, Gallum ad ferendam sibi opem sollicitat. Is cum inducias superiore anno cum Caesare inivisset, earum abrumpendarum hanc occasionem invenit, quod Pontifici, qui pro socio nominatus fuerat, contra foedera vis inferretur. Verum priusquam arma moveret, Herculem Atestinum opibus, aeneorum tormentorum copia, lato imperio, et ingenti auctoritate in Italia florentem sibi conjunxit, et centum millium coronatorum quotannis belli, et pacis tempore, honorario constituto, suum in universa Italia magistrum militum declaravit; eidem summam in Ecclesiae milites potestatem Pontifex concessit. Quare magistratus sceptrum alter, alter gladium, quod Ecclesiam ab omni injuria vindicaret, et pileum, velut imperii ornamentum donavit. Idem ferme antiquitus ab imperatoribus romanis, cum militum tribunos, hoc est legionum praefectos, creabant, observabatur (1). Atestino itaque in suas partes traducto, Galli, ingenti Helvetiorum et Rhetiorum coacta manu, ad triginta ferme peditum, et equitum tris millia, quorum octingenti erant cataphracti aere suo nobiles militantes in Italiam descendunt. Primo impetu Valentiam non ignobile oppidum ad Padum, Ticino non amplius miliariis viginti distans, occupant. Octingenti propugnatores cum aliquandiu vim sustinuissent, tandem

(1) Dion in Trajano.

se dedere coacti incolumes abiere. Hoc loco in potestatem redacto et pro temporis angustiis munito, ultra progrediuntur, Dertonamque et alia circiter decem oppida, non validis tamen muris, aut magno praesidio defensa capiunt. Rebus ita prospere gestis, statim Placentiam contendunt, quo Octavius Dux rebus suis timens propere se contulit. Ob eos successus non sine ingenti suspicione Florentiae vivebatur, nec parum de se Neapolitani dubitabant, quod illud regnum violatis jam directi dominii juribus ad Pontificem ex lege devolutum esse diceretur. Hispani etiam, qui magnam Ecclesiae patrimonii partem occupaverant vel quod commeatu destituerentur, vel pecunia non abundarent, cedere sunt coacti. Stroccius eos secutus quadringentos in vallo arctius obsedit, ac dum audacius loci expugnationem tentat, saxum ab aeneo tormento percussum in ejus os recidens anteriores duos dentes excussit. Demum excrescente Tybri, obsessi, cum nec ipsi, nec hostes aquae inundationem amplius sustinere possent, vix incolumes abierunt. Ex deserto vallo non mediocris vini et frumenti copia Romam est allata, et omnia quae jam antea ab Albensi Duce capta fuerant loca non magno negotio a Stroccio octo millium peditum et quingentorum equitum duce sunt recepta.

Inter haec Galli sub Guisio ad quatuordecim ferme peditum millia, et mille quingenti equites Regium veniunt. Ibi Hercules qui totidem milites collegerat, velut copiarum imperator, auro, gemmisque fulgentibus armis conspicuus exercitum lustravit. Equo per agmina discurrentem armiger, et alius hastam parvo vexillo praefixam gerens, quod ibi Ducem consistere significabatur, pone subsequebatur. Eo etiam Cardinalis Caraffius Pontificis ex fratre nepos advenit, qui belli incendium accenderat.

Prudenti consilio suadebant Galli primo impetu Cremonam, mox Parmam invadendam : Brisaco enim ex Pedemontibus urgente, et opulentioribus urbibus ab alia parte expugnatis, futurum ajebant ut brevi tota Insubria Gallo subjiceretur. Ceterum contendente Caraffio, qui regnum affectabat, mentem Pontificis esse ut exercitus Neapolim duceretur, eo Galli sunt perducti. Hercules qui insano consilio eam expeditionem tentari cognovit, Guisio dimisso, ad sua defendenda permansit, et de pace cum Philippo, cui Caesar omnia regna commiserat, paulatim agere coepit. Interea magna commeatus, et aeneorum tormentorum vim Regium transmisit, deficientesque a se populos punire statuit. In primis Sigismundum S. Martini dominum, ob occultas causas etiam antea sibi invisum, quod Hispanos recepisset, velut rebellantem vocavit. Sed is sarcinis mature collectis, Nivolariam ad amicos Gonzagos ubi in aegritudinem incidit, se contulerat. Militibus, qui ad oppugnandum castellum missi fuerant, ab Hispanis responsum est, Philippi regis nomine eum locum teneri, quem ad necem usque essent defensuri. Corrigienses quoque, qui Imperatori jamdudum faverant, et ipsi non amplius decem millibus passuum Regio distant, ad septingentos Hispanos adversus Ferrarienses acciverunt. Hac re Dux animadversa, sub Alphonso fratre milites cum aeneis tormentis ad S. Martinum recipiendum mittit. Propugnatores, vix duodecim ferreis globis in arcem contortis, omnes victoris arbitrio se dediderunt. Ex his centum quadraginta, qui Herculis subjecti erant, in carcerem conjecti; reliqui, castello solo aequato, impune dimissi fuere. Hinc Corrigium opulentius oppidum est itum, cujus domini Gibertus et Camillus precibus Herculem exorarunt, ut se obsidum loco retineret, nihil se adversus

ipsum molituros, nullumve Hispanorum praesidium intra oppidum, quinquaginta millium aureorum fidejussione data, recepturos promiserunt: idem Nivolarienses polliciti. Quare Hercules ut erat benignus, ab omnique injuria abhorrens, discessit. Sed haec simulata fuisse res postea consecuta patefecit. Tertio enim idus aprilis Hieronymus Corrigiensis a Parmensibus adjutus cum mille peditibus et circiter trecentis equitibus oppidum ingressus, diu noctuque munire non destitit. Alphonsus vero Herculis filius, qui parentis copiis praefectus erat, Luzariam primo impetu occupavit, mox Guastallam mense junio per triduum tormentis oppugnavit. Interea levioribus praeliis factis, qui tormentis praeerat, cum supra muros pilas aeneas in aliam castrorum partem emitteret, magnam nostris cladem intulit: qua re comperta, eorum duo laqueo sunt necati. Ceterum Alphonso a patre, qui pacem tentabat, revocato, hinc Corrigienses, inde Guastallenses Regiensium villas crudeliter diripuerunt. Camillus enim Gonzagus ex Alexandro Joannis Petri nepos ad Pratum Fontanae, et proximas villas captis nostris civibus omnia armenta abegit. Idem ab alia parte a Corrigiensibus factum fuit. Ob id iratus Alphonsus universum eorum territorium incendio consumpsit. Qui Rossenam incolebant, Corrigiorum oppidum, gravia et ipsi vicinis villis et pagis damna intulerunt. Res rustica ab agricolis deserebatur, animalia undique abigebantur, cives simul et rustici captivi ducebantur. Quare Canuli, Fossae, Cognenti, et aliae inferiores villae messes amiserunt, et plurimi moerore affecti, et praesertim rustici qui urbe inclusi exire non poterant, occubuere. Alphonsus vero dimissa Corrigii obsidione magnam equitum peditumque partem Regium deduxit, et alios abire jussit. Itaque Corrigienses jam

omni metu liberati, velut effraenes equi ad diripiendos omnes Regiensium pagos discurrnnt, armenta abigunt, villas incendunt, captivos homines ducunt, ac quidquid obvium est crudeliter dissipant. Denique ut incautum Alphonsum interciperent, oppidum se prodituros simulant, sed Gibertus Corrigius, re clam indicata, principem, cujus familiaris fuerat, a periculo humaniter liberavit. Dum vero apud Brixillum leviora praelia saepius committebantur, ineunte augusto mense evenit, ut Gibertus Cortillus Quaestor Regium iturus esset. Hispani, qui Guastallae praesidio erant, ut hominem intercipiant, ferme centum inter densas arbores se abdiderunt. Insidiis per exploratores cognitis, Ludovicus Ateneus Vicentinus, qui Brixillo praeerat cum aliis ferme centum in hostes fertur. Ubi manus conseri coepit alii quingenti Hispanis subsidium tulerunt. Asperiore pugna facta, plures vulnerati sed pauci, inter quos quatuor Regienses fuerunt, hinc inde cecidere. Ludovicus glande plumbea in ore vulneratus, pugna excedere coactus, Brixillum se recepit. Tum Hispani turmatim Guastalla exeuntes praeter ingentem abactam praedam, etiam viginti septem aedificia in villa Nemorum barbarica crudelitate incenderunt; pluribusque factis captivis non modicam pecuniam extorserunt. Mox e villa Sessii praeter immensam minuti gregis multitudinem plus centum paribus boum dicti sunt abduxisse. Ab alia parte Horatius Sessius dum Mantuam cum magno comitatu contendit in quosdam equites Ferrariolos incidit, a quibus altero in capite, altero in collo vulnere accepto cum sociis capitur. Hi ex Pannoniis omnium barbarorum trucissimi venerant, tribus sclopis, scuto, lancea, et aeneo thorace armati, quod malleum et ad fabricanda arma alia instrumenta secum ferrent, Ferrarioli vocati fuisse

dicuntur. His malis accessit, quod omnes fere catarrho, ex coeli intemperie concepto, eodem tempore laborarunt. Afflicti cives Herculi per legatos incredibilem suam calamitatem exponere, civium bona devastata, ut urbem jam pessundatam esse nunciare, obtestantur ut miseris suae fidei commissis subvenire, hostiumque furorem compescere velit. Ille inanibus verbis oratores consolatus ac futuri propediem auxilii spem faciens, moestos dimittit. Interim crebris commissis praeliis, etsi hostes semper inferiores discedebant, ubi nostri longius aberant, cuncta incendio miscebant. Super alios barbara crudelitate eminebant Ferrarioli, qui cum Corrigiensibus tandem in Valverdo ab iratis agricolis inclusi, donec Regio accita cohors superveniret, diligenter observati fuere. Sed illi, dum tardius auxilium adducitur, nonnullis amissis demum evasere.

Sub finem mensis augusti Alphonsus Herculis Ducis filius cum Cornelio Bentivolo Regium venit. Castrorum praefectus erat Justinianus Faventinus, qui in Alberti parentis mei aedibus commoratus modestissime semper se gessit. Plurimi alii tum pedites, tum equites in civium domibus coenobiisque hospitium habuere. Laborante vero annona Brixillo, nocte, quae calendas septembris praecessit, ter mille sextarii frumenti, duodecim peditum vexillis et sexcentis equitibus comitantibus, eo sunt deducti. Galli interea cum ferme spatio mensis in Æmilia prope Fanum Fortunae non sine incolarum injuria consedissent, demum mense aprili in Brutios sub duce Guisa sunt profecti, qui cum Pontifice coenatus adamante triginta millium aureorum aestimationis est donatus. Circiter duodecim oppida minus munita primo impetu ab eo capta, et Stroccius cum quatuor millibus peditum, et quadringentis equitibus observaturus, ne quid novi Florentini molirentur, Bono-

niam est missus. Brisacus quoque Pedemontibus a Gallo praefectus, ne otiosus sederet, et ut bellum a Ferrariensi, quod ei imminere videbatur, averteret, Valfenaria et Chirasco munitissimis castellis expugnatis, Cuneum obsedit. Senas vero Cosmo Florentiae Duci Philippus Hispaniarum Rex his legibus tradidit, ut Plumbinum pristino domino restitueret, ac tributi nomine certam pecuniam sibi quotannis persolveret. Sub finem mensis augusti idem rex Sanctum Quintinum in Galliae finibus, profligato Gallorum exercitu, qui in eam urbem commeatum intulerat, vi cepit, urbemque moenibus refectis valido relicto praesidio muniit. Hac victoria potitus Octavium Farnesium Parmae et Placentiae principem, quem copiis Italicis praefecerat, contra Herculem Atestinum, quod Gallo se conjunxisset arma movere jubet; ad sustinendamque belli molem ei ex centum quinquaginta millibus aureorum Mantuam missis, vicena millia singulis mensibus solvi jussit. Farnesius quatuor millibus peditum et sexcentis equitibus contractis, donec justiorem compleret exercitum Brixilliensibus infestus esse coepit. Septingenti Ferrarioli, qui in ejus auxilium supervenere, non nostris solum nocuere, sed ingentem etiam ex Mantuanis sociis praedam egerunt, quae plus decies centum millibus aureorum aestimata fuisse dicitur. Jam Brixilli, Guastallae, et Viadanae praedia incensa ac penitus devastata fuerant, et ejus anni frugibus amissis plures ad eam calamitatem devenerant, ut supellectile etiam denudati reperirentur. Inter alios Guastallenses, qui in extruendo pro moenibus vallo cupas opposuerant, cum modicam vindemiam, quae hostium oculos effugerat, fecissent, vasa, in quibus vinum conderent, non habuere.

His malis accessit quod Paulus Pontifex, pace cum Philippo inita, Herculem, quem ad bellum incitaverat, inique exclusit. Ille ad hostium impetum sustinéndum praeter ter mille pedites, et centum cataphractos, qui Regium tuebantur, alia etiam octo millia peditum, centumque cataphractos et quadringentos levioris armaturae equites habere dicebatur; ex quibus cum plurimos Alphonsus Regium deduxisset, octo ferme mille peditum, et mille equitum praesidium urbi imposuit. Ex his circiter centum pedites decimo octavo calendas octobris ad Corrigii fines profecti, ut cives vindemiam facturos ab hostium injuria tuerentur, in insidias inciderunt. Non ob id tamen animo deficiunt, sed facto globo hostium impetum fortiter sustinent. Nec virtuti fortuna defuit. Strenue enim pugnantibus centum ex nostris cataphractis superveniunt, qui, Corrigiensibus primo impetu profligatis, plurimos occiderunt, et centum parium boum praedam fecerunt: demum octuaginta septem milites, aliosque Corrigio oriundos vivos ceperunt, et vinctos Regium duxerunt. Contra Octavius Farnesius quinque millium peditum, et octingentorum equitum copiis iustructus, Nicea flumine superato, in primis Monticulum, turpiter se dedentibus praesidiariis militibus, deinde S. Paulum, et Quatuor Castella, nemine obstante, ineunte mense octobri, occupavit. Hercules vero qui intra moenia se tueri decreverat omne foenum et stramenta, quae in hostium potestatem venire nolebat, intra urbem duci aut comburi praecepit; quod cum negligentius cives exequerentur, et pluribus etiam jumenta quibus abduceretur deessent, milites dejiciendi foeni molestia pertaesi confestim igne foenilibus injecto, plura tecta, aedesque iu Copriaci territorio crudeliter incenderunt; quae acerbitas non paucos

ad despondendum animum cives adegit. At Farnesius, Canussio expugnato, etiam Bibianellum cum proximis castellis occupavit. Inde colles Regiensium depraedatus, montanos homines proprias sedes deserere coegit. Cum alii quoque rustici intra urbem se recepissent, desertis agrestibus casis, ingens ubique in villis solitudo inveniebatur; nemo agros colere, pauci etiam terrae semina committere. In urbe calamitatem Aquitani milites augebant, qui rapinis intenti, quidquid poterant, impudenter auferebant. His addebatur quod frumenta a rusticis pro victus usu in urbem allata ad militum alimenta vertebantur. Gemitus pauperum et mulierum, quae sub porticibus pernoctare cogebantur, puerorumque ploratus miserando spectacnlo totam urbem compleverant. Ingens praeterea morientium multitudo afflictae civitatis calamitatem adauxit; et quod miserabilius est, si diuturnius bellum fuisset, in urbe commeatu deficiente, cives omnes bonis denudatos urbe ejectum iri ferebant.

Inter haec Mocciatella, et Scandiano ab hostibus captis, et canalis aqua aversa, urbs fere obsidebatur. Praesidio ibi imposito, Octavius dum Parmam revertitur forte in Alphonsum incidit. Commisso usque ad obscuram noctem praelio, in neutram partem visa est inclinare victoria. Plures tamen ex hostibus, et ferme sexcentum, equo etiam quo Octavius ferebatur vulnerato, cecidisse dicebantur. Demum Rollo capto, cum armenta undique abigerentur, vivique homines caperentur, nemini tutum iter dabatur. Per hyemem dum res quiescere videntur, Alphonsus Herculis filius cum mille peditibns et quingentis equitibus intempesta nocte Mocciatellam, et Canussium vi expugnata castella recepit: mox Nicea superata, etiam Guardasonum in montibus castrum vi occu-

pavit. Inde quarto idus januarii cum vallum, ubi se ad Niceae pontem Parmenses munierant, expugnasset, centum Hispanis trucidatis in Parmensem agrum incursionem fecit. Demum S. Paulo occupato, etiam Russenam proximum Corrigiensium oppidum cepit. At Cardinalis Caraffius ubi res suas cum Philippo composuit, ad eum Herculis Atestini statum turbaturus contendit. Ille turbulenti hominis ambitione cognita omni spe vacuum Romam dimisit; ac Philippus cum Hercule, sequenti anno MDLVIII, laetam pacem inivit. Octavius ne amissi Guardasoni ignominiam pateretur, armis prius illud recepisse videri voluit. Eo itaque mense martii cum exercitu profectus, cum obsessi aliquandiu se defendere finxissent, demum castrum reddiderunt. Itaque ingenti omnium laetitia, quamquam afflictis rebus, ineunte mense majo laeta pax est promulgata. Cosmus Medices, qui equitatu suo auxilium Octavio tulerat, pactis cum Alphonso Herculis filio Lucretiae minoris natae nuptiis, ejus tranquillitatis auctor fuit; statimque Scandianum, Monticulum, aliaque ab hostibus capta loca sunt restituta. Ceterum rustici, qui libero coelo assueti moenibus inclusi fuerant, acuto morbo correpti passim decesserant; nec pauci cives moerore afflicti, et jumentorum foetore infecto aere laesi occubuere. Tanta hominum strages fuit, ut jam ubi cadavera humarentur sepulcra deficerent. Plus tertia parte agricolarum eo anno periisse creditur, ita ut nec qui agros colerent, nec armenta quibus colerentur, amplius superessent.

Sub id tempus Rex Gallorum Calesium, olim Portum Icium, Stroccio et Thermensi ducibus, vi ferrearum pilarum, quas ex sex onerariis navibus in arcem emittebant, cepit. Ducenta aenea tormenta bellica ibi inventa, ingensque pannorum et stanni copia Gallos ditavit. Urbs

celeberrima antea ab Eduardo III post undecimnm mensem quam terra marique obsessa fuerat anno MCCCXLVII capta, post CCX annos in Gallorum potestatem rediit. Nec multo post Theonvillam munitissimum oppidum ad deditionem compulit, ubi aenei tormenti ictu Petrus Stroccius, magna regis et procerum consternatione cecidit, qui in templo, ubi condi reges solent, honorifice sepultus fuit. Qninto quoque calendas octobris hora noctis prima Carolus V Imperator in Hispania decessit, qnem et Maria ejus soror, et Maria Angliae regina, ex Catharina Ferdinandi Castilliae regis ab Henrico VIII suscepta, secntae et ipsae in fata concesserunt. Huic Elisabetha quae ex Anna Bolena suscepta fuerat, vigintiquinque annorum mulier in Angliae imperio successit. Ea velut ex nefariis nuptiis, qnas cum Anna Bolena Henricus contraxerat, procreata spuria habebatur. Quare Scotiae regina, quae ex Margarita Henrici VII sorore et Jacobo Stuardo nata erat, illud regnum ad se spectare praetendebat; eo vero anno Francisco Gallorum regis filio nupta, compositis Galliae rebus, regnnm illud brevi repetitura esse credebatur. Inter Henricum enim Gallorum et Philippum Hispaniarum regem, nuptiarum foedere firma pace inita, conventum erat ut Margarita Galli regis soror Emanueli Philiberto Sabaudiae principi, universa Pedemontana regione cum Sabaudia restituta, nuberet, ejusdemque Galli filia primogenita Isabella aut Philippo ipsi, aut ejus filio Carolo Hispaniarum infanti locaretur, omnibnsque Mediolani, Siciliae, Neapolisque juribus Gallus cederet. Is ut celebriorem filiae et sororis nuptiarum apparatum faceret, in decursione, quam solemnem instituerat, hasta et ipse pridie calendas julias currens certavit. Ter quaterve magna cum laude adversarium incursaverat, cum repetito

certamine currens Scotus, qui pluribus equitum alis in Galliis praeerat, fractae hastae acutum mucronem per mediam venientis regis cassidem adactum oculo infixit. Ex eo vulnere rex lethaliter sauciatus sexto nonas julii postea extinctus est. Pridie quam decesserat Franciscum filium successorem jam firmatam pacem servatum iri scripto promittere coegit; ac Philippum, cui etiam filium commendavit, cum aliis regni proceribus testamenti executorem reliquit. Nec multo post Paulus IV Pontifex et ipse decessit, die vigesima octava augusti.

Regii vero atrox inter monachos S. Petri, et S. Prosperi canonicos de ejus Divi corpore orta est controversia. Cum enim jam diruto coenobio, quod extra muros fuit, ad S. Petrnm intra urbem se coenobitae recepissent, prohibentibus adversariis cives nec ex carceribus liberatum pro more offerebant, nec solitas oblationes faciebant. Hercules itaque Dux Praetori, et Alberto Pancirolo litem decidendam commisit; qui ex Pontificis diplomate D. Petri coenobium in antiquis privilegiis subrogatum fuisse, non sine magna civium qui alteri parti favebant indignatione, pronunciarunt. His actis Hercules Dux, cum Alphonsus filius in Galliis degeret, et Hippolytus Cardinalis frater, vacante sede, conclavi inclusus teneretur, quinto nonas octobris inter decimam quintam et decimam sextam horam decessit. Cum antea ad multam noctem scripsisset, primo lenta febricula correptus mane quievit, adeoque levis morbus videbatur, ut nec vino, aut negotiis abstinuerit. Demum die martis, ubi deficere coepit, a religioso viro monitns est, ut peccatorum absolutionem peteret, quod sibi bene habere videretur, ad id vix induci potuit; demum quamdam anxietatem se in animo habere dictitans paruit. Exomologesi vix peracta, sub manu absol-

ventis sacerdotis anno aetatis quinquagesimo primo et imperii vigesimo quinto expiravit. Statim ad Alphonsum filium tres veredi sunt missi; quorum primus desperatam patris salutem nunciavit, alii duo diversis itineribus usi secutam mortem significarunt. Quod vinum ligni indici mense julio consilio imperitorum medicorum hausisset, exustis intestinis mortem accersivisse creditus est: cadaveris enim ventre exsecto, etiam jecur nimia ariditate contractum corque exiguum inventum fuit. Dum vero successor expectatur, Renata mater Ferrariae arcem custodivit, et Alphonsus patruus Mutinam ad continendos in officio cives missus est. Regii vero Alphonsus Tassonus gubernator statim ad urbis custodiam rusticos ad militiam designatos evocavit. Alphonsus, ubi primum de parentis morte certior factus est, Cornelium Bentivolum cum litteris ad Regienses praemisit, quibus donec ipse adveniret universae ditionis praefectus declarabatur; ideo cives humaniter monebat, ut ipsi omne obsequium, ac si ipse Princeps fuisset, praestare vellent, se non minorem in Regienses, ac pater habuisset, benevolentiam declaraturum brevique ad eos se venturum. Cornelius nono calendas novembris urbem ingressus a decurionibus, quos Antianos vocant, servandae novo Principi fidei juramentum exegit. Eum paulo post subsecutus Alphonsus navi Liburnum delatus, apud socerum et conjugem aliquandiu Florentiae resedit; demum decimo calendas decembris, qui natalis ipsius dies fuit, ad insulam, quae jucundi visus nomen habet, donec apparatus in urbe compleretur paululum substitit. Regienses quatuor legatos Vincentium Scajolum equitem, Albertum Pancirolum parentem meum, Horatium Malegucium et Franciscum Mariam Brameum de nova in principatu successione gratulaturos, et Herculis

obitu dolituros, Joanne Baptista Marone scriba adjuncto, destinaverunt. Pulla lugubrique veste induti decimoprimo calendas decembris Regio Mutinam pervenerunt: ibi fluviali navi Ferrariam usque conducta, cum jam essent abituri, Mutinenses, qui se praeveniri aegre ferebant, a nauclero acceptam arrham restitui imperant, nostrumque discessum impediunt. Ad urbis praefectum ob hanc injuriam cum frustra legati provocavissent, aliam ad secundum ab ea urbe lapidem navim clam conduxerunt, et postridie duabus ante Mutinenses horis Ferrariam pervenerunt. Dux eo die, quo Catharinae virginis pro Christo passae memoria agitur, magnis cum acclamationibus argentea trabea indutus circa meridiem urbem ingressus, ac in cathedrali ecclesia sacra audivit: inde in arcem comitante populo sub umbella deductus octo millia aureorum ad aedificandum palatium Cornelio Bentivolo donasse dicitur. Mox ad patruum Alphonsum conversus, ei alia quinquaginta millia aureorum, quibus tamen in magna penuria populo subveniret, elargitus esse fertur, ut his nummis comparatum frumentum, pretio quo ipse emisset, civibus distraheret, pecuniamque sibi retineret. In ea laetitia Julius Alphonsi patruus magnus, qui antea nova molitus annos quinquagenos carceribus inclusus fuerat, cum ei gratulatus per nuncium se sperare significaverat sicut ab Alphonso custodiae traditus erat, ita ab alio Alphonso liberatum iri, benigne dimissus fuit. Vespere parentis clam humato cadavere postridie obortis tenebris ingenti pompa ejus imaginem ad sepulcrum atratus comitatus est. Dies jam XXVIII novembris venerat cum nostri circa meridiem equis insidentes ad Alphonsum patriae mandata expondituri accedunt. Ibi Mutinensium legatis inventis, se ante alios tamquam prius urbem ingressos

audiri petunt. Orta altercatione Princeps se eos, qui primi Ferrariam venissent, auditurum pronunciavit. Interim utrisque dimissis circa horam noctis secundam prius Regiensium petitioni benigne vacavit, a quibus sacramento pro more promissae fidei servandae praestito antiquas cum majoribus initas conventiones liberaliter confirmavit. Postridie Mutinensium quoque legatis satisfecit. Sequenti anno (1) cum tota Gallia cisalpina annona maxime laboraret, ut frumenti sextarius pene tribus aureis veniret, paupertati consulendum esse Regii decuriones censuerunt. Egentibus enim cuique familiae, a qua alerentur, attributis, magnam etiam stipem ad sustentandos inopes, elatis in publicis supplicationibus tutelarium Sanctorum reliquiis, quinto calendas februarii collegerunt. Respublica sexcentos aureos, religiosa profanorum sodalitia centenos, aut quinquagenos, tricenosve pro facultatibus contulerunt. Templi majoris Collegium fruges mille ducentis aureis aestimatas donavit. Religiosorum quoque coenobia aureos calices, sacras lanceas et argentea vasa, aliquae matronae anulos, et monilia, elenchos, vel frumentum, aut aurum magno pietatis studio obtulerunt. Universa summa quatuor millia aureorum excessit, quae ab attrita bello civitate vix sperari potuisset. Alphonsus vero Cosmi Medices Florentiae principis filiam, quam proximo anno acceperat conjugem, ad se venientem decimotertio calendas martii magna pompa excepit. Triginta juniores matronas vigesimum quintum annum nondum excedentes, vestibus albo bombice damasceno opere elaboratis et argento picturatis indutas Bononiam usque obviam misit. Aliae praeterea maturiori aetate totidem eodem habitu ad Poggium Lam-

(1) MDLX.

bertinorum oppidum eam expectaverunt. At Renata Alphonsi mater cum ducentis viduis pulla veste extra portam venienti occurrit. Regienses varia esculenta, quae tres currus oneraverunt, per Carolum Fossam gratulantes sponsae dono miserunt. Sed ea lenta tabe confecta intra paucos menses occubuit. Inter haec Philippus Hispaniarum Rex Isabellam sororem Francisci Gallorum Regis uxorem se habiturum declaravit. Emanuel quoque Sabaudiae Dux, paterno recepto imperio, Margaritam ejusdem amitam in Allobroges duxit.

Alphonsus, conjuge amissa, imperii sui urbes, quas patre defuncto nondum adiverat, invisere decrevit. Regium venienti cives, qui in urbe ingentem apparatum ediderant, cum celebri pompa obviam exierunt. Ei Alphonsus Tassonus urbis Praefectus cum nobilium urbis procerum auro bombiceque nitentium comitatu intra primum ab urbe lapidem occurrit. Quem cum jureconsultorum collegio praetor sequebatur. Ab his ad lapideum arcum extra Portam D. Petri in ejus honorem dorico opere elaboratum deductus est. A summo utriusque lateris vertice duobus surgentibus obeliscis in fronte Atestinae domus insignia cum hac inscriptione visebatur: ALPH. II DUCI V OPTIMO FORTISSIMOQ. PRINCIPI QUOD CIVITATEM IPSIUS CONSILIO ET ARMIS AB HOSTIUM IMPETU EREPTAM SUMMA REGAT AEQUITATE ET IN PLACIDISSIMA CONSERVET PACE S. P. Q. REG. D. Ad dextrum pegmate inclusa Justitiae effigies cum hac inscriptione spectabatur: JAM REDIT ET VIRGO; et in sinistro ad Pacis simulacrum legebatur: REDEUNT SATURNIA REGNA. Ab arcu exeuntibus ad dextram gypso efficta Victoria querneam coronam cum hac inscriptione porrigebat: OB CIVES SERVATOS. Ab alio latere Securitas sinistra columna innixa, dextra albam

aqnilam tenebat; litterae erant: Ob partam securitatem. Quibus Alphonsi opera a superiore bello servatam fuisse civitatem significabatur. Ubi eo Princeps pervenit tubicines intra summi arcus podia clangenti aere concinere coeperunt; alii emissis ignibus, qui longis meatibus per coelum stridentes, demum inanes cadebant, publicae laetitiae signa ediderunt. Ibi Princeps a viginti quinque juvenibus, qui ex universa pube delecti fuerant, honorifice excipitur. Hi galeris albo villosoque bombice contextis, et plurimo auro gemmisque superbe distinctis conspicui, atque ejusdem bombicis vestibus intus argentea tela sublucente nitentes incedebant. Ensibus splendente argento exornatis accinti praealtas secures praefixas hastis, quae villoso alboque bombice et auro undique tegebantur, ad submovendam turbam gerebant. Eos Hercules Bebius Georgii filius qui torque aureo et gravi longoque gladio insignis praecedebat, cum sociis medium Alphonsum stipavit. Illum undecim hippagi pueri generosis equis vecti, omnes caeruleo bombice auroque virgato insignes, cum octo tubicinibus ejusdem habitus antecedebant. Nicolaus Tassonus sceptrum et Cornelius Bentivolus strictum gladium splendentibus gemmis in capulo exornatum praeferebant. Pone croceo, caeruleoque habitu decori stipatores, nobilissimusque Principis comitatus post urbis praefectum, et alios cives sequebantur. Ubi ad Portam perventum est, displosis majoribus minoribusque aeneis tormentis salutatur. Tum omnium ordinum sacris viris obviam euntibus, magnifico habitu spectandi decuriones sub umbella excipiunt. Eam majoris templo sacerdotes ex albo damascenoque opere elaborato bombice cum aureis fimbriis contexi jusserant. Illam ex Regiensium villis descripti milites fulgentibus armis instructi praecedebant; qui

croceo, caeruleoque colore distinctam pro galea cristam cum hac inscriptione gerebant: S. P, Q. Reg. Hos candidum civitatis vexillum rubenti cruce divisum sequebatur; in cujus summo Chrysanthus, Daria, et Prosper urbis tutelares Divi depicti visebantur. Prope stabant tubicines, qui eodem colore divisas vestes habebant. Via regia, per quam eundum erat, usque in forum pannis contecta, et redolentibus floribus, depictisque tapetis exornata conspiciebatur. Ad Ruini palatium lapideus arcus genio Principis, qui sub scorpii signo natus esse dicebatur, erectus fuerat. In summa fronte aquila alba scorpium cum hoc carmine pedibus constringebat: Ipse tibi jam brachia contrahit ardens scorpius. In dextra alius dimidius versus legebatur: Nil oriturum alias. In sinistra: Nil ortum tale fatentes. In epistilio vero: Ingredere et votis jam nunc assuesce vocari. Et quia scorpius, signum Alphonsi, ab astronomis bellicosos gignere dicitur, in dextra parte in pegmate Martis effigies albam aquilam in clypeo cum hac inscriptione regebat: Marti Victori. In sinistra Genius Principis veste aureis stellis distincta indutus poculum supra aram ad pedes erectam versabat, cui inscriptum erat: Genio Principis. Arcus fornix aureis rosis exornatus ab uno latere Gloriae, ab altero Famae effigiem habebat. A tergo in summa fronte alba aquila coronam auream cum his verbis tenebat: Dei providentia. In arcus vero ambitu haec legebantur: Ingredimini portas ejus cum laude, et atria ejus cum hymno. Judaeorum impensa opus illud fabricatum fuerat, et ob id ad dextram hebraeo idiomate ex sacris libris scriptus erat versiculus: Thronus tuus erit primus usque in saeculum. Infra vero judicium Salomonis cum aliis verbis hebraeis cernebatur, quae latine sonant: Sapientia Dei in

EO EST AD FACIENDUM JUDICIUM. Ad sinistram sub solio Salomonis Davidis carmen legebatur, cujus haec est sententia: JUSTITIA ET JUDICIUM PRAEPARATIO SEDIS TUAE. Interim a pueris, qui albis vestibus induti cum viridi corona in capite, et vexillulo in manu longo ordine praecedebant, alta voce Alphonsi nomen acclamabatur. Ei tertius a coriariis ex lapide conditus arcus fuerat: in cujus summa fronte supra Atestinorum insignia legebatur: ALPHONSO II OPTIMO PRINCIPI. In dextra parte Prudentiae effigies cum speculo in manu illud virgilianum carmen habebat: QUO NEC PRUDENTIOR ALTER. In sinistra stabat Pietas cum sequenti versu: NEC PIETATE MAJOR. In summa vero posterioris partis fronte inscriptum erat: S. P. Q. REG. PUBLICAE LAETITIAE M. D. D. Ad dextram cum his verbis Hilaritas erat collocata: PUBLICAE HILARITATIS AUCTORI. Ad sinistram Felicitas cum copiae cornu, et his litteris: PERPETUAE FELICITATIS CONSERVATORI. Omnes quarum hucusque meminimus effigies ex gypso humanae staturae instar scitissime formatae fuerant. Progressus Alphonsus ubi ad teloneum, qua in forum itur, pervenit, quartum ex ligno a tabulariorum collegio fabricatum arcum invenit: in cujus summo inter duo podia sub vasto vase aquila rostro haec verba ferebat: NOBILITAS ESTENSIS; pedibus vero sequentia constringebat: NON IMBELLEM FEROCES PROGENERANT AQUILAE COLUMBAM. In dextro latere Alphonsi imago cum hoc encomio depicta visebatur: ALPH. II NULLI VETERUM VIRTUTE SECUNDUS. In sinistro alia parentis Herculis leonina pelle induti cum sequentibus litteris spectabatur: HERC. II QUI NOBIS CUNCTANDO RESTITUIT REM. In summo posterioris partis culmine alia item ex gypso aquila easdem, quas et anterior rostro descriptas litteras gerebat. Ad pedes subscriptum erat:

HERCULIS PARTA LABORIBUS PRAECLARIS LIBERORUM FACINORIBUS EXALTATA. Ad dextrum latus Alphonsi avi imago cum hoc carmine cernebatur: ALPH. I ADVERSIS RERUM IMMERSABILIS UNDIS. Ad sinistrum Hercules proavus cum alio sequenti spectabatur: HERCULES I PARITER PIETATE VEL ARMIS EGREGIUS. In cujusque arcus summo dulces phonascorum voces musicique concentus venientes mirifice oblectabant. In ipso fori aditu alium arcum sublimes ex viridi junipero contextae variisque ornamentis spectandae columnae fulciebant. In cujus summo Atestinae familiae insignia duo angeli aureis vestibus conspicui sustinebant. Sub illis inter reipublicae Regiensis insignia, quae hinc inde locata fuerant, inscriptum erat: NIL DESPERANDUM ALPHONSO DUCE ET AUSPICE. Ad dextram sequens carmen legebatur: ADSIS O TANDEM ET PROPIUS TUA NUMINA FIRMES. Ad sinistram aliud: PRAESENTI TIBI MATUROS LARGIMUR HONORES. Cum eo Alphonsus pervenisset displosa majora tormenta, undique nolae, et tympana resonare, tubisque cum cornicibus atque aliis musicis instrumentis urbs circumstrepebat, atque hilari laetitia cuncta impleri. In medio foro M. Æmilii Lepidi Regii instauratoris effigies stabat a Prospero Clemente admiranda fama longitudinis decem et octo ulnarum efficta; in cujus basi scriptum erat: M. ÆMILIUS LEPIDUS HUJUS URBIS INSTAURATOR IN MAXIMA LAETITIA ADVENIENTE ALPHONSO II DUCE V HUJUS URBIS CONSERVATORE A S. P. Q. REG. ERECTUS. Ubi ad majoris templi fores Alphonsus descendit, equum juvenes, qui eum stipaverant pro more abduxerunt. Intus templum totum depictis aulaeis exornatum supra majorem aram haec carmina habebantur:

Alter adest nobis specimen virtntis avitae
Qui feret Alphonsus aurea saecla suis.

Alia quoqne versns chornm descripta erant:

Alphonsi adventu laetentur corda suornm
Quos pietate fovet, justitiaque regit.

Ubi in anreo solio, quod ipsi paratum fuerat sub aurea umbella, Alphonsus sedit, qui ab eo ex carceribus emissi fuerant, manu vexilla gerentes snperveninnt, in qnibus scriptnm erat: SALUS NOSTRA. Mox solemnibns sacris a Ravello Episcopo celebratis, Alphonsns ad arcem se convertit. In primo ejns areae aditu excelsae columnae in virginnm formam effictae, qnae floribus fructibusque oneratae pro Flora et Pomona cernebantur, arcnm buxo pinuque contextum sustinebant. Super enm Nicolaus Atestinus Ottobonum Tertium, qno caeso Regio potitns fuerat, sub eqno prostratum habebat. Ab uno latere legebatur: DIVUS NICOLAUS ATESTINUS, QUI MIRIFICA INGENII SUI VIGILANTIA OTTONEM TERTIUM BELLO ET ARMIS OPPRESSIT, ET HANC URBEM LEPIDI AB EJUS SAEVA TYRANNIDE LIBERAVIT. Ab alio: HUNC AGRUM ATESTINORUM PRINCIPUM EXIMIAM SINGULAREMQUE NATURAM REGIENSES OLIM MIRATI ILLIS IPSIS DE SE OPTIME MERITIS, ET SE IPSOS ET PATRIAM IN DEDITIONEM PERPETUAM DEDIDERUNT. Sub arcus fornice duae virgines ninpharum habitu hinc inde redolentibus floribus vestem transeuntis Alphonsi sparserunt. Prope totidem pueri cum Copiae cornn suaves odores in ara accendebant. In area ante arcem Andromeda inter sirenes scopulo alligata visebatur. Mirandum erat belluam, ut puellam devoraret, mari exeuntem cernere, et Perseum a Pegaso in aethere mira arte suspensum, ut vix videri posset quo ingenio velut volans in aere retineretur. Ibi majorum minorumque tormentorum cessante strepitu, laureatus juvenis dextra jacnlum, et sinistra Medusae caput tenens in Alphonsi, et inclytae domus

Atestinae laudem pauca recitavit: tum belluae capite percusso, maxima sanguinis copia visa est exire. Alphonsus arcis portam variis ornamentis illustratam ingressus ad lapideum arcum opere dorico ab Alphonso Tassono urbis Praefecto elaborari jussum pervenit. In summo candido velamine tecta Fides cum hac subscriptione dextra indicem tollebat: ALPH. II ATESTINO ALPHONSUS ATESTINUS TASSONUS SUAE IN EUM FIDEI MONUMENTUM D. A dextra turbinatus adamas, qui fidei argumentum in hieroglipbicis esse dicitur, cum his verbis locatus erat: PERPETUA FIDE. A sinistra vero ad amoris firmitatem ostendendam canis sequentibus litteris humeris columnam sustinebat: AMORIS FIRMITATE. Sub fornice in dextra parte Mercurii statuae caduceum tenenti adscriptum erat: SEU BELLA GERAS. A sinistra vero Mars clavam cum his verbis regebat: SEU PACE QUIESCAS. In arcus basi Charitas, Justitia, Pax, et Temperantia depictae cernebantur. In summo posterioris partis statua matris custodiae alata dextra regulam, sinistra fraenum tenens sub pedibus scriptum habebat: HAUD ALITER: quasi non secus a se urbem regi Tassonus significaret. In dextra hoc carmen conspiciebatur: TRANQUILLOS TENEO POPULOS TERRASQUE VAGANTES. In sinistra aliud: QUISQUE DOMUM PROPRIAM NOSCIT PER ME ATQUE TUETUR. In ima base Victoria, Fama, Fortitudo et Prudentia spectabantur. Arcus reliquum variis historiis, fabulisque, quas longum esset referre, plenum erat. Exinde ad palatium delatus Alphonsus ad postes a duabus ingentibus statuis Æternitatem cum Tempore sustentatam invenit; quarum sub pedibus versus erat: IMPERIUM SINE FINE DEDI. Ad dextram supra gruem lapillum pedibus tenentem Vigilantia cum hoc apophtegmate leoni juncta erat: SEMPER VIGIL. Ad sinistram Custodia supra laurum navis

temonem cum his litteris regebat: FIDELISSIMA CUSTOS. Ibi equo descendens Alphonsus, dimissis decurionibus in superiorem aulam superbis aulaeis exornatam ad prandium se contulit. Mensis sublatis, equum, qui sibi a juvenibus pro more abductus fuerat, centum aureis redemit. Illi, ea pecunia empto coccinei coloris villoso bombice, currentibus equis praemium praestiterunt. Postridie decuriones Alphonso de adventu gratulati praeter commeatum ducentis aureis emptum, auream Regiensis urbis effigiem, in qua forum, templa, turres, et cum viis aedes moeniaque cum propugnaculis visebantur, mira arte elaboratam pro solemni munere obtulerunt. In eam octingenti aurei impensi fuerant. Nullus anteriorum principum, vel Regii, vel in proximis urbibus tanta honoris pompa unquam exceptus fuisse dicitur. Decuriones ab Alphonso pro insigni gratia petierunt, ne praeter majorum consuetudinem, ut coeperat, rusticos ad agendas urbis excubias compelleret. Id cum ille negasset, nec aliud exposcere voluissent, moestis civibus relictis, post octiduum, quam venerat, discessit.

FINIS.

Jacobo Magnanio postulante, exemplum *Rerum Regiensium Guidi Panciroli* mihi oblatum cum Atestino codice Ms. recognovi, et ad lectionem ejusdem Ms. codicis Atestini restitui. In quorum ec.

Mutinae, XIII cal. julii an. MDCCCXLIX.

A. LODI *Atest. Bibl. Pro a Secretis.*

Elenco degli Associati a quest' Opera.

Ancini conte Luigi di	*Reggio*
Aleotti maestro Antonio	—
Amorotti Giuseppe di	*Carpineti*
Boni Gaetano impiegato in	*Reggio*
Bergonzi perito Cesare	—
Bruni cancelliere dott. Bartolomeo	—
Bonati Pietro impiegato	—
Baroni dott. Pietro	—
Bongiovanni dott. Pietro	—
Bersani Antonio dispensiere	—
Bertani D. Giuseppe	—
Bassi Giuseppe	—
Borsiglia avv. Biagio	—
Bongiovanni perito Paolo	—
Bonilauri prof. D. Gio. Battista	—
Benassi D. Luigi	—
Boali Gaetano segretario	—
Bertani medico Baldassarre	—
Bedogni D. Ferrante arciprete di	*Scandiano*
Baldi D. Gaetano arciprete di	*Brescello*
Bertolini D. Filippo di	*Bibbiano*
Barazzoni dott. Clarenzio	—

Bocconi Giuseppe di	*Cavriago*
Boni D. Domenico	—
Bottazzi D. Fabio maestro in	*S. Ilario*
Baccarini dott. Angelo di	*Campagnola*
Bonicelli dott. Pellegrino cancelliere in .	*Minozzo*
Boni dott. Angelo di	*Montecchio*
Bigi dott. Quirino di	*Correggio*
Cuppini dott. Giuseppe di	*Reggio*
Corbelli D. Maurizio	—
Canali dott. Francesco	—
Catellani ingegnere Domenico	—
Casoli canonico teologo Jacopo	—
Cavatorti dott. Pietro	—
Croppi perito Paolo	—
Curti dott. fisico Lazzaro	—
Camurri D. Vincenzo	—
Chiesi dott. Luigi	—
Curti Francesco orologiaro	—
Cecchetti Giulio	—
Cremonini giudice Giuseppe	—
Campani D. Filippo cancelliere vescovile .	—
Corbelli cavaliere commendatore Luigi . .	—
Cugini D. Emilio arcip. della cattedrale .	—
Cugini dott. Adolfo	—
Cocchi prof. Filippo	—
Curti Michele	—
Ciarlini D. Giuseppe rettore del convitto .	—
Cagnoli prof. Luigi	—
Casali Pellegrino impiegato	—
Cigarini D. Angelo priore di	*Roncocesi*
Canossini D. Domenico parroco ai . . .	*Canali*
Colli Geminiano esattore in	*Modena*
Caselli D. Girolamo maestro in	*Campagnola*

Canali D. Domenico parroco in	*Casteln. ne' Monti*
Campovecchi dott. Enrico podestà . . .	—
Corbelli Gioachino perito di	*Vezzano*
Curti D. Pellegrino maestro in	*Barco*
Conti dott. Genesio di	*Brescello*
Cocconi Antonio di	*Campegine*
Ciamberlani D. Alberto canonico in . . .	*Novellara*
Cecardi D. Giovanni rettore di	*Marola*
Corradini D. Giuseppe parroco a . . .	*S. Donnino*
Chilloni perito Giovanni di	*Cavriago*
Chilloni dott. D. Francesco	—
Chilloni chirurgo Luigi	—
Denti prevosto D. Prospero di	*Reggio*
Davalli Gio. Battista impiegato	—
Davalli ragionato Andrea	—
Davoli D. Antonio	—
Fantuzzi dott. Prospero	—
Fornaciari dott. Francesco	—
Fantuzzi Antonio impiegato	—
Flori dott. Angelo segretario di	*Casteln. di sotto*
Fabbrici dott. Luigi di	*Novellara*
Ferrari D. Giuseppe arciprete di	*S. Polo*
Fabbi D. Domenico professore in . . .	*Montecchio*
Ferrari D. Vincenzo parroco	—
Ferrarini D. Domenico di	*Cavriago*
Fontana D. Angelo parroco in	*Sesso*
Grassetti Camillo spedizioniere di . . .	*Reggio*
Gardini dott. Giuseppe	—
Gasparotti canonico D. Luca	—
Grasselli D. Carlo	—
Gorisi dott. Gio. Battista	—

Gualerzi dott. Orlando di . . . . . . *Reggio*
Gatti Prospero orologiaro . . . . . . —
Giavarini D. Gio. Battista . . . . . . —
Grasselli dott. Gaetano . . . . —
Gardini medico Antonio . . . . —
Gargiolli marchese Luigi . . . . . . —
Grasselli D. Luigi . . . . —
Gianotti dott. Camillo . . . . —
Gesuiti (Collegio de') . . . . —
Gramoli prof. D. Bartolomeo a . . . . *Carpineti*
Gualerzi medico Giuseppe di . . . . . *Barco*

Jodi D. Zeffirino parroco in . . . . . *Reggio*

Lustrini Giuseppe . . . . —
Lasagni D. Giacomo . . . . —
Lasagni D. Bonifazio . . . . —
Lanzi D. Gaetano . . . . —
Lorenzani dott. Giuseppe archivista in . . *Montecchio*
Lodi vice-segretario Luigi di . . . . . *Modena*

Marmiroli dott. Gaetano cancelliere . . . *Reggio*
Manfredini dott. Francesco . . . . . . —
Marchelli prof. Pietro . . . . —
Medici prof. Pietro . . . . —
Magliani prof. dott. Domenico . . . . . —
Manodori Giuseppe . . . . —
Malaguzzi conte Ippolito presidente . . . —
Manini giudice avv. Romualdo . . . . —
Menozzi dott. Giacinto . . . . —
Magnani D. Antonio . . . . —
Mazzoli Giovanni . . . . —
Malaspina marchese Lodovico . . . . . —
Magliani D. Antonio arciprete di . . . . *Albinea*

Marmiroli dott. Francesco di	*Campagnola*
Montagnani D. Felice maestro in	*Cavriago*
Moretti D. Riccardo cappellano in	*Rossena*
Nizzoli D. Giovanni di	*Reggio*
Natalini D. Ignazio	—
Nobili dott. Giuseppe di	*Carpineti*
Ottavi dott. Paolo di	*Reggio*
Pedrazzi dott. Eugenio	—
Prandi dott. Francesco segretario	—
Pieroni dott. Eugenio	—
Peretti ragioniere Francesco	—
Predelli dott. Giuseppe	—
Paglia maestro Gioachino	—
Paradisi conte Agostino	—
Pedrazzi Achille impiegato	—
Pini Angelo impiegato	—
Perseguiti perito Antonio	—
Paderni D. Luigi parroco	—
Prati giudice dott. Francesco	—
Pistoni ingegnere Gaetano di	*Scandiano*
Pataccini D. Luigi maestro in	*S. Polo*
Prampolini medico Giovanni di	*Corticello*
Pizzarelli D. Gio. Battista parroco in	*Pratofontana*
Peretti prof. dott. Antonio poeta in	*Modena*
Rota D. Alessandro di	*Reggio*
Riva Eugenio	—
Rovesti dott. Giuseppe	—
Rocca canonico conte Guido	—
Rossi Deodati dott. Giuseppe	—
Romei ingegnere Agostino	—

Reverberi dott. Pietro di	*Montecchio*
Riccò D. Giovanni arciprete di	*Barco*
Rossi D. Luciano parroco a	*S. Gio. della Fossa*
Roffi D. Giovanni parroco a	*Montecastagneto*
Rovacchi D. Giammaria maestro in . . .	*Correggio*
Spallanzani dott. Domenico segretario . .	*Reggio*
Signoretti conte dott. Giorgio	—
Spalletti Gio. Battista nobile	—
Spadoni perito Gio. Battista	—
Secchi Giuseppe	—
Scapinelli conte Gio. Battista	—
Spadoni dott. Giuseppe	—
Sidoli Domenico	—
Saracchi dott. Giuseppe	—
Sezzi Vincenzo	—
Seminario vescovile	—
Saracchi dott. Prospero parroco di . . .	*Argine*
Saletti D. Patrizio parroco a	*S. Maurizio*
Saccani dott. Gaetano di	*Casteln. di sotto*
Simonazzi D. Antonio parroco di . . .	*Seta*
Tarabini Castellani dott. Flaminio . . .	*Reggio*
Tassoni dott. Alessandro cancelliere . . .	—
Terracchini perito Jacopo	—
Terracchini ingegnere Alfonso	—
Terracchini dott. Enrico	—
Trivelli n. u. Giacomo	—
Tarasconi prof. D. Gio. Battista	—
Turri presidente dott. Giuseppe	—
Torreggiani dott. Felice giudice	—
Taschini dott. Antonio di	*Novellara*
Tarasconi D. Domenico maestro in . . .	*Cavriago*
Tarasconi fattore Andrea di	*Pieve Modolena*

Toschi dott. Pietro di . . . . *S. Ruffino*

Taddei Pietro campioniere in . . . . . *Carpineti*

Tosi D. Giuseppe canonico in . . . . . *Correggio*

Ugolini D. Pietro di . . . . *Felina*

Veroni D. Luigi parroco in . . . . . . *Reggio*

Veneri Pietro . . . . —

Venturini dott. Giuseppe di . . . . . *Brescello*

Valcavi D. Alessandro di . . . . *Pantano*

Zanichelli capitano Carlo di . . . . . *Reggio*

Zannini medico Antonio . . . . —